



THEOLOGIA

MORALIS.

THEOLOGIA

MORALIS,

QUAM CONCINNAVIT

FRANCISCUS PATRICIUS KENRICK,

ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS.

VOLUMEN II.

SECUNDIS CURIS AUCTORIS.

Τίς ἡ ἀπόδειξις; ἢ δεῖξον, ἢ μὴ κατάκρινε· εἰ δὲ ἀμφίβολον, νικάτω τὸ φιλάνθρωπον.
S. Gregor. Naz. Orat. xxxix.

MECHLINIÆ,

H. DESSAIN, SUCCESSOR P. J. HANICQ,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHI.

M. D. CCC. LXI.



INDEX.

TRACTATUS XII.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

TRACTATUS XIII.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Pars. I. De Fide.

Pars II. De Spe.

Pars III. De Charitate.

TRACTATUS XIV.

DE SACRAMENTIS IN UNIVERSUM.

TRACTATUS XV.

DE BAPTISMO.

TRACTATUS XVI.

DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS XVII.

DE EUCHARISTIA.

Pars I. De Sacramento.

Pars II. De Sacrificio.

TRACTATUS XVIII.

DE POENITENTIA.

TRACTATUS XIX.

DE EXTREMA UNCTIONE.

TRACTATUS XX.

DE ORDINE.

TRACTATUS XXI.

DE MATRIMONIO.

TRACTATUS XXII.

DE CENSURIS.



TRACTATUS XII.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

PRÆVIÆ NOTIONES.

1. *Religio* ea virtus est quæ in Deo colendo versatur : cultus autem supremus Deo, rerum omnium auctori ac arbitro, debetur. Quamvis circa Deum colendum religio occupetur, non tamen theologica virtus vocatur, quum non recta Deum respiciat, sed cultum ejus, « non quod actus quibus Deus colitur, ipsum Deum attingant : sicut cum credimus Deo, credendo, Deum attingimus. . . . Affertur autem Deo debitus cultus, in quantum actus quidam quibus Deus colitur, in Dei reverentiam fiunt : puta sacrificiorum oblationes, et alia hujusmodi. Unde manifestum est, quod Deus non comparatur ad virtutem religionis sicut materia, vel objectum, sed sicut finis. Et ideo religio non est virtus theologica, cujus objectum est ultimus finis : sed est virtus moralis, cujus est esse circa ea quæ sunt ad finem. » [1] Inter virtutes morales præcipua est, [2] quum, præ cæteris, hominum mores in re præstantissima, Dei scilicet cultu, componat, eosque ad Deum ducat. Præcipui ejus actus sunt adoratio, sacrificium, oratio, devotio, laus Dei, gratiarum actio, votum, juramentum, administratio et susceptio Sacramentorum.

2. Internis animi affectibus externos ritus conjungit, [3] Deum mente et corpore colens : « Deo reverentiam et honorem exhibemus non propter seipsum : quia ex seipso est gloria plenus, cui nihil a creatura adjici potest, sed propter nos : quia videlicet per hoc quod Deum reveremur, et honoramus, mens nostra ei subjicitur : et in hoc ejus perfectio consistit. . . . Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis, quasi signis quibusdam, mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Et ideo religio habet quidem interiores actus quasi principales, et per se ad religionem

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxxi. art. v. *Resp.*

(2) « If by the service of God is meant the virtue of Religion expressed in external action, as saying our prayers, receiving the holy sacrament, visiting churches, sitting at the memorials of martyrs, contemplation, fasting, silence, solitude, and the like, then it is certain that the service of God in this sense is to preferred before many things. » Jeremy Taylor, *Ductor Dubitantium*, l. iii. c. 3. vol. ii. p. 181.

(3) « In Roman Catholic countries people cannot pass a day without having religion recalled to their thoughts, by some or other memorial of it, by some ceremony or public religious form, occurring in their way; besides their frequent holidays, the short prayers they are daily called to, and the occasional devotions enjoined by the confessors » Charge to the clergy of Durham in 1751 by Joseph Butler.

pertinentes : exteriores vero actus quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos. »[1]

3. *Devotio* a S. Thoma definitur : « voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. »[2] « Manifestum est autem quod operari ea quæ pertinent ad divinum cultum seu famulatum, pertinet proprie ad religionem. »[3] « Causa devotionis extrinseca et principalis, Deus est : causa autem intrinseca ex parte nostra oportet quod sit meditatio, seu contemplatio. »[4] « Devotio per se quidem et principaliter spiritualem lætitiam mentis causat : ex consequenti autem, et per accidens causat tristitiam. »[5] Equidem divinæ bonitatis consideratio animam lætitia quadam perfundit, quæ tamen perfecta non est, quum nondum Deo fruamur : nostrarum autem culparum cogitatio, et pericula quibus objicimur, tristitiam ingerunt, quæ veniæ et auxilii superni fiducia temperatur.

CAPUT I.

DE ADORATIONE.

4. *Adoratio*, late sumpta, est actus quo alteri exhibemus reverentiam ob ejus præstantiam. Suprema adoratio Deo tribuitur, quem perfectissimum agnoscimus, cuique nos penitus subjici necesse est. *Latriam* eam vocant theologi : *hyperduliam* designant inferiorem adorationem Virginem Deiparæ tributam, ob præstantissimam dignitatem et merita : *duliam* eam vocantes quæ Angelis Sanctisque, ob eximia sanctitatis ornamenta, tribuitur. *Absoluta* est quæ alicui datur, ob dotes quibus præditus est : qualis præstatur, non tantum Deo, sed etiam Sanctis ; hi enim vere possident egregia dona, ob quæ honorandi sunt. *Relativa* adoratio tribuitur rebus ob relationem quam habent ad Deum, vel ad sanctos : sic crux, Christi imago, Sanctorum imagines et reliquiæ coluntur. Absit invidia verbis, quæ juxta eorum vim adhibemus : illud alta voce prædicantes, solum Deum suprema adoratione et honore dignum esse : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. »[6] « Regi... immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria. »[7] Catholicam doctrinam a Concilio Tridentino[8] perspicue definitam et explicatam, alibi propugnavimus.[9] Id hic animadvertemus, voces Anglicas *adoration*, *worship*, plerumque supremum designare cultum ; *veneration* latius sumi; quamvis *venerari deos* apud Latinos vim eamdem ac *adorare* haberet. Cautius igitur adhibendæ sunt quæ ambiguitatem patiuntur, ne cavillandi detur occasio opportuna. « Deo debetur reverentia, » inquit S. Thomas, « propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur, non secundum æqualitatem, sed secundum quamdam participationem. Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad latriam : et alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam. »[10]

5. Corpore et mente Deum adoramus, eum utriusque auctorem agnoscentes, et externis indiciis quos animo fovemus sensus prodentes, ut alii ad eum pariter colendum excitentur ; imo

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxxi. art. vii. *Resp.*
(2) Ibidem, qu. lxxxii. art. i. *Resp.*
(3) Ibidem, art. ii. *Resp.*
(4) Ibidem, art. iii. *Resp.*
(5) Ibidem, art. iv. *Resp.*
(6) Matth. iv. 10. (7) I Tim. i. 17.
(8) Sess. xxv. *Decr. de invocatione, veneratione*, etc.
(9) Dogm. Theol. vol. II. tract. ix.
(10) 2. 2. qu. lxxxiv. art. i. *Ad primum.*

ut ipsi magis magisque in ejus cultu proficiamus. « Sicut Damascenus dicit in IV. libro, quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius, ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem : ut videlicet per signa humilitatis quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo : quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus. » [1] Quomodo hæc cum adoratione in spiritu et veritate constet, breviter explicat S. Thomas : « Etiam adoratio corporalis in spiritu fit, in quantum ex spirituali devotione procedit et in eam ordinatur. » [2]

6. Loco autem specialiter ad id officii destinato solemnem Deo cultum exhibemus : quamvis enim mulieri Samaritanæ dixerit Dominus, neque Hierosolymis, neque in monte Garizim, cultum præstitum iri ; « Dominus per verba prænuntiat cessationem adorationis, tam secundum ritum Judæorum adorantium in Hierusalem, quam etiam secundum ritum Samaritanorum adorantium in monte Garizim. Uterque enim ritus cessavit, veniente spirituali Evangelii veritate : secundum quam in omni loco Deo sacrificatur, ut dicitur Malach. 1. » [3] Nec tamen credimus Deum loco contineri : sed plurimum nobis prodest ut in locum congregemur, ei cultum oblaturi ; sic enim fit ut omnes veluti accendamur aliorum exemplis, et ut omnium conjunctis precibus, Deus se facilem præbeat. Quod Christus in cubiculo orandum dixerit, ad insinuandum sincerum devotionis studium pertinet, omni ostentatione procul, quum alioquin suo exemplo publicum cultum deferendum docuerit : adstabat enim Judæorum solemnitatibus.

7. *Sacrificium* Deo, ex Jure naturali, ut videtur, offertur : nam « in qualibet ætate, et apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio : quod autem est apud omnes, videtur naturale esse. » [4] Ipsa tamen natura sacrificiorum plerorumque, quæ animantium interfectione fiebant, vix ad naturæ instinctum potest referri; et ideo ad divinam institutionem primis hominibus innotescentem referenda videtur. Soli Deo sacrificium offerendum est; nam « exteriores actus religionis ad interiores ordinantur : anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut in principio suæ creationis, et sicut fini suæ beatificationis. » [5] Quod in honorem Sanctorum Sacrificia celebrentur, ab Angelico doctore post Augustinum explicatur : « Non constituimus martyribus templa, sacerdotia sacra et sacrificia : quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Unde sacerdos non dicit : « Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule : » sed Deo de illorum victoriis gratias agimus, et nos ad imitationem eorum exhortamur. » [6]

(1) 2. 2. qu. lxxxiv. art. ii. *Resp.* « How grateful must our service needs be, when all that is within and without conspires to it; and whilst the tongue is doing its devotions, the knee is bowing to the Divine Majesty, or (which is the custom of the Jews, and is still of all the Eastern nations,) the whole body, in token of its and the soul's subjection lies prostrate upon the ground? » *Explication of the Decalogue*, by Gabriel Towerson, Rector of Walwynn, p. 86.

(2) Ibidem. *Ad primum.*

(3) Ibidem, art. iii.

(4) 2. 2. qu. lxxxv. art. i. *Sed contra*

(5) Ibidem, art. ii. *Resp.*

(6) Ibidem, *ad tertium*, citans Aug. l. viii. *de civ. Dei.*

CAPUT II.

DE ORATIONE.

8. *Oratio* est mentis ad Deum evectio ad beneficia impetranda; latius tamen sumitur pro pio quopiam animi motu in Dei laudem, contemplationem, et amorem. Est actus religionis; nam « omnia illa per quæ Deo reverentia exhibetur, pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando se eo indigere, sicut auctore bonorum suorum. » [1] Hinc dicebat Psaltes : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. » [2] Quod verbis se prodit animi desiderium ut divinam opem impetret, dicitur oratio *vocalis*, quæ præsertim de formulis certis intelligitur : v. gr. de oratione Dominica : quod mente tantum concipitur, vel saltem nonnisi vocibus ex mentis motu sponte effusis pro occasione, *mentalis* oratio est. Hujus perfectio invenitur in Dei contemplanda essentia, animo tranquillo, et in ipso quiescente, magno dilectionis affectu. [3] *Privata* oratio ea est quæ a singulis fit suo nomine, seu seorsim, seu in unum collectis, uti domibus integris contingit, seu privatim, seu in loco publico : oratio enim *publica* ea tantum dicitur quæ fit ab Ecclesiæ ministro, ejus nomine ac auctoritate. Breviarii recitatio privata a sacerdote, vel clerico, ad id muneris obligato, publicæ orationis vim habet.

9. Quomodo orandi Deum utilitas cum certis divinæ providentiæ consiliis consistat, explicat Angelicus Doctor : « Oportet sic inducere orationis utilitatem, ut neque rebus humanis divinæ providentiæ subjectis necessitatem imponamus, neque etiam divinam dispositionem mutabilem æstimemus. Ad hujus ergo evidentiam considerandum est, quod ex divina providentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, et quo ordine proveniant. Inter alias autem causas, sunt etiam quorumdam causæ actus humani : unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum. Et idem etiam est in naturalibus causis. Et simile est etiam de oratione. Non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus : sed ut id impetremus, quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum; ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare, ut Gregorius dicit in libro Dialogorum. » [4] Quod autem Deo necesse non sit necessitates nostras, nobis veluti referentibus, innotescere, verissimum est; sed nobis prodest orando eas exponere, ut intimo animo sentiamus unde nobis proveniat auxilium : « Non est necessarium nos Deo preces porrigere, ut ei nostras indigentias, vel desideria manifestemus : sed ut nos ipsi consideremus in his ad divinum auxilium esse recurrendum. » [5] Equidem « Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate, etiam non petita : sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem, ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem. Unde Chry-

(1) S. Th. 2. 2. qu. lxxxiii. art. iii. *Resp.* (2) Ps. cxl. 2. (3) S. Th. 2. 2. qu. clxxx. clxxxi. et clxxxii.

(4) 2. 2. qu. lxxxiii. art. ii. *Resp.*
(5) Ibidem. *Ad primum.*

sostomus dicit : « Considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa ; orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare. »[1]

10. *Quam necessaria* sit nobis frequens oratio, ex Christi Domini et Apostolorum verbis liquet : « Oportet semper orare et non deficere. »[2] « Vigilate itaque omni tempore orantes. »[3] « Orate ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. »[4] « Orationi instantes. »[5] « Vigilate in orationibus. »[6] Oratio idcirco habenda est præcipuum quoddam munus viri christiani, et subsidium ad salutem adultis necessarium : nam ex petitione pendet, ut plura sine quibus salutem non adipiscemur, assequamur : « Petite, et dabitur vobis. »[7] Quoties autem orandum sit, nulla certe lege definitur : sed pia est fidelium consuetudo mane et vespere preces fundendi, præter eas quas, Sacro adstantes, in diebus festis fundunt. Sæpissime etiam orant qui pietatem colunt, et orationes breves inter quotidianas occupationes ex corde veluti jactas emittunt, more veterum monachorum, de quibus scribit Augustinus : « Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas : ne illa vigilanter erecta quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio. »[8] Qui vult superare tentationes, orare debet, ut veniat illi auxilium ab alto : nec enim solus valet de hoste triumphare. Id certo statui potest, orationis neglectum per tempus diuturnum, periculum manifestum lapsus, et interitus ferre, et proinde gravi culpa non vacare, præsertim si tentatio molesta urgeat.

11. De oratione *Sanctis porrigenda* alias disputavimus : hic autem recitare juvat quæ ab Angelico Doctore clare et pulchre dicuntur ad explicandum discrimen inter eam et orationem ad Deum directam. « Oratio porrigitur alicui dupliciter : uno modo quasi per ipsum implenda : alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus ; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, secundum illud Psal. lxxxiii. « Gratiam et gloriam dabit Dominus. » Sed secundario modo orationem porrigimus sanctis Angelis, et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat : sed ut eorum precibus et meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apoc. viii. quod « ascendit fumus incensorum de manu Angeli coram Deo. » Et hoc etiam patet ex ipso modo quo Ecclesia utitur in orando. Nam a Sancta Trinitate petimus ut nostri misereatur ; ab aliis autem Sanctis quibuscumque petimus ut orent pro nobis. »[9] Illud animadvertendum, Litanias omnes præter antiquas in Breviario Missali, et Rituali contentas, et Lauretanas, plurimis Pontificum et S. Congregationum decretis, rejectas esse et proscriptas.[10] « Curent Ordinarii colligere et vetare formulas quascumque Litaniarum, de quarum adprobatione non constat. »[11]

12. Omnia quibus indigemus bona, ea præsertim quæ ad salutem conse-

(1) S. Thom. 2. 2. lxxxiii. art. ii. *Ad tertium.*
(2) Luc. xviii. 1. (3) Ibidem, xxi. 36.
(4) Luc. xiv. 38.
(5) Rom. xii. 12. (6) 1 Pet. iv. 7.
(7) Matth. vii. 7.
(8) Ep. cxxx. alias cxxii. ad Probam. n. 20.
(9) 2. 2. qu. lxxxiii. art. iv. *Resp.*
(10) Vide decretum Clem. VIII. die 7 Septemb. MDCI. et Indicis Regulas.
(11) Decr. S. Cong. Rit. die 3 Aprilis 1821.

quendam pertinent, licet orando a Deo, omnium bonorum largitore, petere. Contrariam sentiendi rationem ab ethnicis derivatam feliciter evertit S. Thomas: « Sicut M. Valerius refert, Socrates nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent: quia hi demum scirent quid unicuique esset utile: nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. Quæ quidem sententia aliqualiter vera est, quantum ad illa quæ possunt malum eventum habere: quibus etiam homo potest male et bene uti: sicuti divitiæ, quæ, ut ibidem dicitur, multis exitio fuere: honores, qui complures pessumdederunt: regna, quorum exitus sæpe miserabiles cernuntur: splendida conjugia, quæ nonnumquam funditus domos evertunt. Sunt tamen quædam bona, quibus homo male uti non potest, quæ scilicet malum eventum habere non possunt. Hæc autem sunt quibus beatificamur, et quibus beatitudinem meremur: quæ quidem Sancti orando absolute petunt: secundum illud Psal. lxxix. « Ostende faciem tuam et salvi erimus. » Et iterum cxviii.: « Deduc me in semitam mandatorum tuorum. » [1] De temporalibus autem bonis speciatim hæc tradit: « Sicut Augustinus dicit ad Probam de orando Deum: « Hoc licet orare quod licet desiderare. Temporalia autem licet desiderare: non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus, sed sicut quædam adminicula, quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur, et in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum; ut etiam Philosophus dicit, *in* 1 *Ethicorum*. Et ideo pro temporalibus licet orare. » [2]

13. Simplicissima et præstantissima orationis formula ea est quam Christus Dominus tradidit, qua Dei gloriam imprimis quærimus, deinceps nobis subsidia vitæ et salutis, denique liberationem a peccati periculo, et ab interitu. « *Oratio Dominica* perfectissima est, quia, sicut Augustinus dicit ad Probam: « Si recte et congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione Dominica positum est. Quia enim oratio est quodammodo desiderii nostri interpres apud Deum, illa recte solum orando petimus, quæ recte desiderare valemus. In oratione autem Dominica non solum petuntur omnia quæ recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt. » [3] Id autem hic animadvertendum duximus, hanc orationem proferri a singulis veluti omnium nomine, ideoque mendacii non argui, vel peccati specialis, qui orat veniam delictorum, eam quam aliis ex Christi lege exhibemus allegans, quamvis forsan ipse inimicis adhuc non ignoverit. [4]

14. Orationem vocalem Deo probari ex ipsa Dominica oratione liquet; vocibus scilicet in ea exprimuntur cordis desideria et petitiones. Equidem præstantissima orandi ratio ea est quæ in mente consistit; sed et ea quæ verbis enuntiatur, magnas habet utilitates: inservit enim « primo quidem ad excitandum interiorem devotionem qua mens orantis elevetur in Deum: quia per exteriora signa, sive vocum, sive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis, et secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectionem. Unde Augustinus dicit ad Probam: quod verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum, nos ipsos acrius excitamus » ...

(1) 2. 2. qu. lxxxiii. art. v.
(2) Ibidem, art. vi.
(3) Ibidem, art. ix. *Resp.*
(4) Ibidem, art. xvi. *ad tertiam.*

« secundo, adjungitur vocalis oratio, quasi ad redditionem debiti : ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore : quod præcipue competit orationi, secundum quod est satisfactoria. »[1]

15. *Attentio*, quæ *actu* durat, non requiritur ad orationis vim ; sed debet quisque oraturus mentem in Deum dirigere, et dum orat, ejus evagationes, quantum valet, cohibere. « Est autem triplex effectus orationis. Primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod est mereri. Et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur quod attentio adsit orationi per totum : sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secundus autem effectus orationis est proprius, quod est impetrare. Et ad hunc effectum sufficit prima intentio, quem Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est, nec impetrativa : illam enim orationem Deus non audit, cui ille qui orat non intendit; ut Gregorius dicit. Tertius autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam spiritualis refectio mentis. Et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio : ut dicitur 1 Corinth. xiv. « Si orem lingua, mens mea sine fructu est. » Sciendum tamen, quod triplex est attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi : una quidem qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret : secunda, qua attenditur ad sensum verborum : tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, et ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maxime necessaria. Et hanc etiam possunt habere idiotæ. Et quandoque in tantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum; ut etiam omnium aliorum obliviscatur ; sicut dicit Hugo de S. Victore. »[2]

16. Orationem diuturnam, ex vehementi desiderio et charitatis effectu provenientem, commendat, post Augustinum, S. Thomas, difficultatem ex Christi verbis, ne multum loquamur orando, sic solvens : « Sicut Augustinus dicit ad Probam : « Non est hoc orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam et de ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando, et quod prolixius oraverit, ut nobis præberet exemplum. » Et postea subdit : « Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis : plerumque autem hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur. »[3]

17. « Ponuntur, » inquit Angelicus doctor, « *quatuor conditiones*, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit : ut scilicet pro se petat necessaria ad salutem, pie et perseveranter. »[4] Ipsi peccatores, ex gratiæ motu orantes, quamvis nihil mereantur, impetrant tamen a divina bonitate quæ humiliter petunt gratiæ subsidia ad plenam animi conversionem, quippe « oratio humiliantis se nubes penetrabit. »[5] Publicanus idcirco misericordiam consecutus est. Quod autem cœcus a Christo Domino visu donatus, dixerit Deum peccatores non exaudire, de peccatoribus falso se ejus

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxxiii. art. xii. *Resp.*
(2) Ibidem, art. xiii. *Resp.*
(3) Ibidem, art. xiv. *Ad primum.*
(4) Ibidem, art. xv. *Ad secundum.*
(5) Eccl. xxxv. 21.

nomine exhibentibus intelligendum est : eos scilicet miracula patrare volentes, quibus auctoritatem, quam usurpant, divinis veluti sigillis obsignent, et muniant, Deus non adjuvat.

18. *Raro peccatur lethaliter* ex defectu attentionis, nisi iis in precibus quæ districta lege injunguntur recitandæ. Cæterum frustra orat, et culpa veniali saltem se adstringit, qui negligit animum applicare, et studio quodam et nisu in Deum tendere. Sibi illudit, Deoque videtur injurius, qui verba temere fundit, animum alio divertens. Externa animi divagantis indicia adeo derogant reverentiæ in Deo colendo exhibendæ, et alios a pietate alienant, ut lethalem culpam quandoque inducant. De hærente et incerti animi homine dicit Apostolus Jacobus : « Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. » [1] Petentes quæ in sui vel aliorum perniciem, et Dei offensionem cessura sunt, peccant, et fructu omni carent : « Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis. » [2] Peccatur etiam aliquando graviter ratione scandali in cœtibus publicis, dum externe se produnt evagationes mentis, cum quadam mysteriorum divinorum injuria, quamvis haud facile damnandi sint gravioris peccati, qui animi levitate se divagari patiuntur. Sed et oportet perseverando vim dare orationi; Christus enim viduæ judicem iniquum precibus fatigantis, [3] et viri amicum ut surgeret pulsando cogentis [4] exemplis, nos docuit orationi insistendum esse. « Nostrum ergo sit, » inquit Chrysostomus, « continuis insistere precibus, et non ægre ferre si differatur quod petimus ; sed longanimes esse. Neque enim renuens nostras preces differt, sed hac arte sedulos nos efficiens, ad semetipsum attrahere vult. » [5] Solitudo favet orationi, quapropter hortatur Christus, ut oraturus cubiculum ingrediatur, et clauso ostio Deum deprecetur secreto : cui monito obtemperantes plurimi secesserunt contemplationibus vacaturi : quod studium « sincerum et verum in plurimis eremitarum antiquorum et in sanctis Patribus Ecclesiæ » laudat Baconus. [6]

19. *Pro aliis* etiam *orandum* est, hortante Jacobo : « Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. » [7] Sic et Joannes : « Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. » [8] Pro gravissimi sceleris reo, fidei scilicet proditæ et derelictæ, non eam spem objicit, quum non adeo facile venia impetretur : « Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. » [9] « Sed numquid dicis, Apostole, ut quis desperet? Imo gemat, qui illum amat; non præsumat orare, nec desistat plorare. » Ita Bernardus. [10]

CAPUT III.

DE VOTO.

20. Inter supremi cultus actus votum enumeratur, juxta illud Isaiæ de Ægyptiis vaticinium : « Colent eum in hostiis, et muneribus : et vota vovebunt Domino, et solvent. » [11] Equidem nonnumquam Beatæ Virgini, vel

(1) Jac. i. 7. (2) Ibidem, iv. 3.
(3) Luc. xviii. 2. (4) Ibidem, xi. 5.
(5) Hom. xxx. in Gen.
(6) Oper. v. iii. *de Amicitia* 3. xxvii. p. 650
(7) Jac. v. 16. (8) 1 Joan. v. 16.
(9) Ibidem. (10) Cap. ult. *de gradibus humilitatis.*
(11) Isaiæ xix. 21.

Sanctis, vel etiam Præsulibus vota dicuntur fieri, populari quadam loquendi ratione : quæ tamen ita accipienda est, ut res promissa sit implenda, in Dei honorem, ipso vindice futuro fidei fractæ, si promissionem contigerit violari. « Votum, » inquit S. Thomas, « soli Deo fit : sed promissio etiam potest fieri homini. Et ipsa promissio boni quæ fit homini, potest cadere sub voto in quantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum quo quis vovet aliquid Sanctis, vel prælatis : ut ipsa promissio facta Sanctis vel prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum quod Sanctis vel prælatis promittit. » [1] In Dei autem honorem cedunt vota non tantum ob rem peragendam, sed ob voluntatem penitus adstrictam, qua homo sibi aufert libertatem mutandi propositum. [2] « Subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere : sicut plus daret homo, qui daret arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, ut dicit Anselmus in libro de Similitudinibus. » [3]

21. Voti nomine venit non quælibet mentis cogitatio de bono exequendo in Dei obsequium; nec solum animi propositum, firmum licet et certum : sed promissio, mente saltem, plerumque voce, facta, qua se quis vult obligare ad aliquid faciendum : « promissio autem procedit ex proposito faciendi : propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ. Sic ergo ad votum tria ex necessitate requiruntur : primo quidem deliberatio : secundo, propositum voluntatis; tertio, promissio, in qua perficitur ratio voti. » [4]

22. *Votum* igitur definiri potest promissio deliberata et spontanea Deo facta de bono meliori et possibili. Promissio autem a proposito distinguenda est; proponimus quippe plura facere, quin ad ea facienda nos promissione obligemus. Peccator, quem delictorum pœnitet, proponit, promittendi voce nonnumquam usurpata, a peccando cavere : nec tamen violati voti reus habendus est, si postea labatur, nisi revera vinculo illo se voluerit adstringere, ad minuendam peccandi facilitatem : quod rarius consulendum est. Animi deliberatio plena ad gravem hanc obligationem contrahendam requiritur : nec enim subitaneus animi motus, vel temere usurpata vovendi vox, voti vim sibi vindicat. Cæterum temporis spatium magnum necessarium non est ad vovendum : vovere enim, sicut et peccare, quis potest momento veluti temporis, dummodo satis advertat se votum emittere. Hinc valent vota furente tempestate, vel alio periculo mortis urgente, emissa. Sponte edenda sunt vota : secus non valent; si enim quis metum gravem alio injuste incutiente, voveat aliquid, voti obligatione non tenebitur. Sic etiam haud valent vota ex errore emissa qui substantiam rei spectat, vel adjuncta substantiam afficientia, vel causam *finalem* : valent autem si error adjuncta haud magni momenti, vel causam quam vocant *impulsivam* tantum, spectet. Bonum necessario respiciendum est in votis : Deo enim irrogaret injuriam qui aliquid mali se facturum ei polliceretur, vel rem nullius momenti. Quod autem Jephthe voverit se Deo immolaturum quidquid ei domum revertenti occur-

(1) 2. 2. qu. lxxxviii. art. v. *ad tertiam.*
(2) Ibidem, art. iv. *Resp.*
(3) Ibidem, art. vi. *Resp.*
(4) Ibidem, art. i. *Resp.*

rerit, si de mactatione et morte accipiatur, Hieronymus ait : « A plerisque Hebræorum reprehenditur voti temerarii. »[1] Cæterum sunt qui illud impletum censent, filia virgine dicanda. Melius seu perfectius bonum etiam voventi proponendum est; si enim minus perfectum aliquid quis Deo promittat, perfectiori postposito, divino videtur detrahere honori. Hinc votum nubendi non valet, nisi voventi sit remedium fere necessarium. « Vota vero quæ sunt de rebus vanis et inutilibus, sunt magis deridenda, quam servanda. »[2] Possibile denique bonum esse debet quod vovens promittit; frustra enim quis Deo polliceretur quod humanas excedit vires. Non valet igitur votum nullam prorsus culpam venialem admittendi, vel contemplationi jugiter vacandi. Si pars materiæ voti fiat impossibilis, manet obligatio alteram exequendi partem, nisi tota materia instar unius sit. Qui mille nummos se ad ædificandam ecclesiam collaturum Deo pollicitus est, debet quot possit suppeditare, si tanta nummorum copia ei præsto non sit : sed si voverit se ecclesiam suis sumptibus ædificaturum, non tenebitur fundamenta ejus ponere, deficiente pecunia ad eam integre ædificandam.

23. Votum dicitur *reale* quando rem aliquam : v. g. calicem, fundum, Deo quis pollicetur : *personale*, quando se aliquid facturum : v. g. susceptu-rum Hierosolymas iter, promittit. *Mixtum* dicitur votum quod rem a vovente offerendam respicit : v. g. calicem in templo quodam præsentandum. *Absolutum* nuncupatur votum quod nullam habet appositam conditionem : secus conditionatum. *Solemne* habetur votum quod ab Ecclesia in perpetuum acceptatur. *Simplex* quod Ecclesia in perpetuum non acceptavit Solemnitas igitur votorum non desumitur ex ratione qua emittuntur, v. g. coram plurimis in cœtu publico; sed ex Ecclesiæ acceptatione : quapropter vota in probatis ordinibus emissa solemnia sunt, etsi forte aliquis ea emittat in sacello privato, Superiore tantum præsente. E contra vota puellarum Charitatis simplicia sunt, etsi contigerit ea in cœtu plurimorum emitti. Simplicia etiam sunt vota Scholarium Societatis Jesu, post biennium probationis emissa; quamvis enim voventes in perpetuum adstringant, ab Ecclesia in perpetuum non sunt acceptata.

24. Ad voti contrahendam obligationem animus vovendi requiritur : qui si dolo desit, dum quis sacros Ordines suscipit, vel professionem emittit in Religione probata, grave admittitur peccatum. Quamvis autem qui Ordines suscepit absque animo castitatem vovendi, voto non ligetur, lege tamen ecclesiastica ad eam servandam tenebitur. In foro exteriori præsumitur etiam vovendi animus adfuisse, dum quis voti formam exterius protulerit; Ecclesia enim de occultis non judicat.

25. Qui dubitat an voverit, ad voti impletionem non censetur a plurimis teneri, si omnibus mature perpensis dubius maneat : possidet scilicet suam libertatem, quamdiu non noverit eam voto ligatam. Cæterum si quis meminerit se rem sibi certo proposuisse faciendam, et censuisse se graviter peccaturum, nisi eam fecisset, jure præsumit se votum emisisse.

26. *Votorum obligatio* arctissima est, et ipso jure naturali et divino nititur; si enim nefas sit violare promissiones hominibus factas, quantum erit scelus quæ Deo polliciti sumus

(1) L. 1. adv. Jovinian. c. xiii.

(2) S. Thom. 2. 2. qu. lxxxviii. *ad tertium.*

negligere? [1] « Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. » [2] Levis autem vel gravis obligatio pendet ex voventis voluntate; poterit scilicet Deo rem magni momenti sub levis culpæ pœna polliceri, quamvis plerumque pro rei gravitate gravis censenda sit obligatio. Res per se leves sub levi tantum culpa promittuntur, nisi se habeant instar unius, et coalescant. [3] Si quis voverit se quotidie Angelicam Salutationem recitaturum, levis tantum culpæ arguendus videtur etsi eam penitus negligat; quod tamen nonnulli censent gravem esse culpam. [4] Si vovisset se obolum quotidie in eleemosynam per annum integrum daturum, idque omnino facere omitteret, gravi culpa inquinaretur : nam tot oboli gravem materiem constituunt. In confessione declarandum est votum prius emissum, si quis illud violaverit : est enim speciale peccatum : quapropter qui post votum simplex castitatis fornicatur, non satisfacit confitendi oneri, nisi votum quo ligatus est exponat. Cæterum pœnitentibus inhibendum quominus vota temere emittant; facile enim nonnullis contingit, dum spiritualibus Christi deliciis fruuntur, vota emittere, quæ postea, fervore minuto, negligunt implere. Viduas juniores quæ voto se ligaverant ad castitatem servandam, gravis peccati, quod interitum secum fert æternum, Apostolus arguit ob fidem, quam Deo vovendo obligaverant, violatam : « Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt : habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; » [5] « quia scilicet post continentiæ professionem, nubendi receptam non abjiciunt voluntatem. » Ita S. Fulgentius. [6] Consuetudine prava irretitis votum non peccandi remedium est periculi plenum : facile enim iterum labuntur.

27. Magna mora in implendo voto gravem inducit culpam. Ex judicio autem prudentum quæ dilatio magna sit, dignoscendum est. Differre ultra duos vel tres annos jejunia quæ vovit quis se servatuturum, videtur grave peccatum, præsertim si tempus vovendo designaverit.

28. Vota *pœnalia*, quibus quis se obligat ad pœnam, si rem quamdam fecerit, v. g. si luserit aleis, vel potui indulserit, sancte servanda sunt. Utrum autem pœna subeunda sit prima

(1) Vows are promises to God. . . . The violation of them implies a want of reverence to the Supreme Being; which is enough to make it sinful. . . . The few instances of vows which we read of in the New Testament were religiously observed. » Paley, *Moral Phil.* l. ii. c. v. Recitato Psalmi 50, 8, de votis reddendis testimonio, animadvertit Towerson : « If (as Mr Mede shews) that Psalm be also a prophecy of the times of the Gospel, and the service which should be offered up in them, the making of vows is properly and strictly evangelical. » *Explication of the Decalogue*, p. 161. (2) Deut. xxiii. 21.

(3) Vide Mayol, *Expos.* 2. *præc.* qu. art. ii.

(4) Cajetanus, in Summa, v. *Votum*, qu. lxxxix. art. vii.

(5) 1 Tim. v. ii. Hanc interpretationem de voto violato probat Bloomfieldius, altera rejecta de defectione a fide christiana. « I am not aware of any example of ἀθετεὶν τὴν πίστιν, or ἀθ. being ever used of *casting off* a religion; which too would not necessarily follow their marrying even with heathens, as appears from I Cor. vii. 14. . . . According to the sense it carries in the second interpretation, it is very apt. And the phrase αθετειν τὴν πίστιν is frequent in the latter classical writers, and the Septuagint. Indeed the words preceding evidently allude to an *engagement to celibacy*, and therefore to *that* the πίστιν may most naturally be referred. . . . The κρίμα will thus mean *condemnation*, severe censure, and πίστις a solemn engagement, perhaps by vow. » *In locum.*

(6) Ad Gallam Ep. 1. c vii.

tantum vice, vel quoties quis a proposito defecerit, ex animo voventis pendet.

29. A votis solvendis liberamur, si voti materia, mutatis adjunctis, fiat illicita: quapropter qui post castitatis votum uxorem duxit, petenti debitum reddere tenetur, ne jus alienum violet: abstinere tamen a petendo ipse debet. Item si superveniat circumstantia, quæ prævisa votum certe non fuisset emissum, plures censent voti obligationem desinere. Cavendum tamen ne hæc intelligantur de votis in facie Ecclesiæ emissis; vel de circumstantiis quæ levem animum ad propositum deserendum impellunt. [1]

30. Qui habent potestatem in voluntatem alterius, vota illius possunt irritare: quapropter pater, vel qui patris vices gerit, eo deficiente, v. g. avus paternus, vel tutor, valet irritare impuberis filii vota. Lege veteri puella, patre contradicente, non tenebatur voto. [2] Superior in religioso ordine irritare etiam potest religiosorum vota post professionem emissa: nam « in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet, si suis superioribus placuerit, vel non renitantur. » [3] Uxoris vota, saltem si præjudicium suis juribus afferant, maritus valide irritat. [4] Imo uxoris dissensus obstat ne mariti votum de continentia servanda effectum sortiatur, uti tradit S. Fulgentius. « Non itaque sinitur absque conjugis voluntate continentiam assumere, cujus corpus non est in propria potestate: hoc enim quisque recta et firma devotione solus promittit quod sui juris esse cognoverit. » [5] Conjuges qui mutuo consensu voverunt continentiam nequeunt se solvere voti obligatione, quæ divini juris est: « Cum pari obtulerit uterque consensu, quod est inseparabiliter utriusque commune, non erit impunitus, si quis munus Deo voluntaria devotione oblatum, illicito crediderit opere temerandum. » Ita S. Fulgentius. [6] Puberum filiorum vota irritare etiam indirecte potest pater, quatenus scilicet domesticæ gubernationi obstant: reviviscunt autem filio emancipato. Indirecta hæc irritatio, vel saltem suspensio, locum habet quotiescumque res quæ materia est voti, dominio alterius subjecta est. Vota autem personalia religiosorum ante professionem emissa per eam extinguuntur. [7]

31. *Commutatio* votorum fit quando pro re quæ promissa est, res alia substituitur. In melius commutare vota semper licet; gratum enim et Deo acceptum sit, necesse est. In rem æqualem commutatio exigit, juxta plures, aliis contra sentientibus, ecclesiastici Præsulis auctoritatem: « quia commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet prælati. » [8] In minus bonum commutare votum certe requirit Ecclesiæ auctoritatem. Cui facultas commutandi vota commissa est, debet opus substituere quod prudentum judicio æquale videatur; nequit enim rem notabiliter minorem alteri substituere.

32. *Dispensatio* votorum dicitur relaxatio obligationis ex iis ortæ, Dei auctoritate facta. Hanc potestatem inesse Ecclesiæ ex promissione Christi, de solvendis in cœlis quæ soluta fuerint a Præsulibus in terris, colligimus, sicuti et ex traditione et consuetudine.

(1) Vide Cajetanum in Summa. *v. votum*, et apud Mayol. *Exp. Sec. præc.* qu. ii. art. ii. § 3. *quæres secundo.* (2) Num. xxx. 6.

(3) S. Thomas, 2. 2. qu. lxxxviii. art. viii. *Ad quartum.* (4) Num. xxx. 9.

(5) Ad Gallam, Ep. 1. c. vii. (6) Ibidem.

(7) C. Scripturas, *de voto.*

(8) S. Thom. in 4 dist. qu. 1. art. 4. qu. 4.

Consonum etiam videtur divinæ pietati consuluisse humanæ infirmitati, ne plurimorum salus periclitaretur: nec tamen juri naturali, vel divino derogatur, quum Dei auctoritas Ecclesiæ concessa vinculum ex humanæ voluntatis arbitrio ortum solvat. Cæterum Præsules nequeunt vota pro arbitrio relaxare, sed justas ob causas: v. g. bonum publicum, vel ipsius voventis salutem; frustra enim Dei jura homo temere remittere aggrederetur. Neque possunt vota ex quibus jus ortum est tertio qui ea acceptavit, absque illius consensu, condonare; quapropter vota perseverantiæ in Congregatione Missionis, aliisque cœtibus a Papa probatis emissa, nequeunt remitti, nisi a Superiore Congregationis, vel Summo Pontifice.

33. Pontifex in votis omnibus dispensare potest, juxta plurimos theologos, qui tenent eum posse remittere votum castitatis, quod sacris Ordinibus est annexum: quòd et S. Thomæ visum est; [1] qui tamen censuit eum non posse vota solemnia in Religione probata emissa relaxare. [2] Cæterum sæpius relaxata est a Pontificibus, præsertim post rerum in Galliis perturbationem, votorum solemnium obligatio. [3] De Casimiro, monacho Cluniacensi et diacono, ante sæculum medium undecimum referunt scriptores Poloni eum a Benedicto IX. votis solutum ut coronam susciperet, et conjugium iniret: quod tamen in vita S. Odilonis, qui eo vixit tempore, et in Ordinis annalibus, siletur. Sæculo duodecimo Ramirus, monachus et sacerdos, solutus votis dicitur ut rex fieret Aragoniæ, et uxorem duceret, ad turbas vitandas. Casimirus e Societate Jesu, decimo septimo sæculo medio, solutus est votis, ut regnum Poloniæ sui fratris obitu vacans susciperet, cujus viduam etiam ex dispensatione duxit. Episcopi dispensationem suis subditis concedere valent, gravi exigente causa, quoad omnia vota, præter quinque Papæ reservata, nempe castitatis perpetuæ, religionis, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam, et ad Terram sanctam. Cæterum Episcopis in Fœderatis his Statibus solet indulto pontificio concedi, ut in voto continentiæ perpetuæ et religionis dispensent. Nequeunt autem Vicarii Generales in votis dispensare, nisi facultas eis speciali mandato sit concessa: quæ quidem apud nos consuevit impertiri plerisque Missionariis. Cum peregrinis Episcopos non posse dispensare in votis, probabilius censet S. Alphonsus, nisi animum habeant morandi in diœcesi saltem per majorem anni partem. [4]

34. Quandocumque quis vovit se ingressurum religionem, obligationis vis ex animo voventis petenda est. « Si ergo vovens intendit se obligare non solum ad ingressum religionis, sed etiam ad perpetuo remanendum, tenetur perpetuo remanere. Si autem intendit se obligare ad ingressum religionis causa experiendi, cum libertate remanendi, vel non remanendi, manifestum est, quod remanere non tenetur. Si vero in vovendo, simpliciter de ingressu religionis cogitavit, absque hoc quod cogitaret de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi: videtur obligari ad ingressum religionis, secundum formam juris communis: quæ est ut ingredientibus detur annus probationis: unde non tenetur perpetuo in religione permanere. » [5]

(1) Vide S. Thom. 2. 2. qu. lxxxviii. art. 11.

(2) Ibidem.

(3) Vide Mayol. *Exp. Sec. præ.* art. iv. §. i. not. in *Cursu completo Theol.* vol. xiv.

(4) L. iii. Theol. Mor. n. 262.

(5) S. Thom. 2. 2. qu. clxxxix. art. iv. *Resp.*

CAPUT IV.

DE SUPERSTITIONE.

35. *Superstitio* est cultus vitiosus, sive veri, sive falsi numinis. Falsus si sit cultus, erit maxime superstitiosus, utpote qui mendacio nititur: quapropter Judæi superstitionis merito arguuntur, quum ritus mosaica lege præscriptos servent, ex errore, quo credunt Christum nondum venisse. Hujus criminis reus quoque est qui falsa prædicat miracula, vel falsas reliquias sciens veneratur, vel falsas venditat revelationes. Cæterum non statim damnandi sunt qui reliquias venerantur, quas vetus loci alicujus traditio sancit, etsi forsan certum, vel verosimile non sit, eas esse genuinas: nam vetus qua nituntur traditio et consuetudo non est temere spernenda. Cultus *superfluus* dicitur, quoties vero cultui accedunt ea quæ nihil ad honorem Dei conferunt, et ab Ecclesiæ moribus sunt aliena. Talis est ceremonia audiendi Missam ante ortum solis cum certo numero, situ, ordine cereorum, etc. Jejunare etiam in die Dominico ex affectata quadam pœnitentia ad superfluum cultum refertur, quem in Manichæis, Christi negantibus resurrectionem, Ecclesia olim damnavit. [1] Consultius igitur videtur, et Ecclesiæ menti consonum illud jejunium non injungere pœnitentibus; nec illud facile sua sponte amplecti. [2]

36. *Divinatio* est occultorum inquisitio ope dæmonis, vel expresse, vel tacite invocati. Expressa fit invocatio, quando quis verbis dæmonis opem implorat, vel aliquid facit animo eam impetrandi: tacita vero, quoties aliquid usurpatur ad occulta detegenda, cum quibus nulla prorsus ratione connectitur. Qui invertit cribrum ad detegendum furem, tacite dæmonem invocare censetur.

37. Tres numerantur divinationis species, scilicet *necromantia*, *astrologia judiciaria* et *sortilegium*. Necromantia fit per apparentem mortuorum resuscitationem. Generali hoc nomine intelligitur quidquid ad dæmonem invocandum dirigitur, quod tamen speciale pro rei natura sortitur vocabulum. Oraculum vocatur responsio per idola, vaticinium per vatem; pythonismus, si ex umbilico vox reddatur; oneiromantia, si quæratur per somnia cognitio; chiromantia, si per manuum inspectionem; præstigium, si per fictas figuras; auspicium, si per signa in extis animalium; augurium, si per garritus, vel volatum avium; geomantia, si per effectus in terra; hydromantia, si per effectus in aqua; pyromantia, si per effectus in igne; aeromantia si per effectus in aere; omen si per casum, v. g. per occursum funeris, vel per voces fortuito dictas.

38. Divinatio quæcumque *cum dæmonis invocatione* conjuncta, etsi nullus inde sequatur effectus, gravissimum peccatum est, ob animum a Deo prorsus aversum. *Implicita* autem invocatio censetur fieri, quando quis rem aliquam facit, ad notitiam, cum qua haud connectitur aliquatenus, assequendam; quæ agendi ratio a gravi culpa nonnunquam, ob simplicitatem, vel ignorantiam, nonnullis videtur excusari. Si effectus verosimiliter videatur cum causa connexus, quamvis tenuis omnino sit verosimilitudo, non auderem damnare eum qui actum eliceret, præmissa protestatione se nolle notitiam habere, si in re lateat aliquid divinæ legi repu-

(1) C. Sacerdos. causa 26. qu. vii. n. vi.

(2) S. Alphonsus. l. iii. n. 4.

gnans. De *virga bifurcata* non una est omnium sententia : quamvis enim nonnemo ejus usum vindicaverit, ob affinitatem quæ intercedit inter virgam in manu quorumdam, et aquam sub terra decurrentem, [1] plures tamen cum S. Alphonso eum reprobant : [2] aiunt quippe effectum pendere omnino ex animo tenentis virgam, et proinde nulla prorsus ratione naturali niti. Mihi videtur haud levi divinationis suspicione laborare, ideoque fidelibus omnino consulendum ut ab ejus usu abstineant. Cæterum quum certum non sit eum illicitum esse, non auderem damnare eum qui, protestatione præmissa, ea uteretur. « Si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum, vel illicitum. » [3]

39. Divinatio *ex somniis* plerumque illicita est : quoties scilicet certa eventus fiducia habetur ex somnio, quod nullum divinæ originis prodit indicium ; præsertim vero si ad dæmonem quis nexum inter illud et eventum referat. Hinc inter ethnicorum superstitiones merito recensetur a Moyse, qui Dei nomine jussit populo, nes omnia observaret : « Nec inveniatur in te . . . qui . . . observet somnia. » [4] Verbis D. Thomæ juvat explicare discrimen inter somnia divinitus immissa, qualia nonnulla in Scriptura referuntur, et ea quæ plerumque contingunt. « Divinatio quæ innititur *falsæ opinioni*, est superstitiosa et illicita. Ideo considerare oportet quid sit verum circa præcognitionem futurorum de somniis. Sunt autem somnia futurorum eventuum quandoque quidem causa : puta cum mens alicujus solicita ex his quæ videt in somniis, inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandum : quandoque vero somnia sunt signa aliquorum futurorum eventuum, in quantum reducuntur ad aliquam causam communem somniis et futuris eventibus. Et secundum hoc plurimum præcognitiones futurorum ex somniis fiunt. Est ergo considerandum quæ sit causa somniorum, et an possit esse causa futurorum eventuum, vel ea possit cognoscere. Sciendum est ergo, quod somniorum causa quandoque quidem est interius, quandoque autem exterius. Interior autem somniorum causa est duplex : una quidem animalis, in quantum scilicet ea occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, circa quæ ejus cogitatio et affectio fuit immorata in vigilando. Et talis causa somniorum non est causa futurorum eventuum : unde hujusmodi somnia per accidens se habent ad futuros eventus ; et si quandoque simul concurrant, erit casuale. Quandoque vero causa intrinseca somniorum est corporalis : nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia, conveniens tali dispositioni : sicut homini in quo abundant frigidi humores, occurrunt in somniis, quod sit vel in aqua, vel in nive. Et propter hoc medici dicunt intendendum somniis, ad cognoscendum interiores dispositiones. Causa autem somniorum exterior, similiter etiam est duplex, scilicet corporalis, et spiritualis. Corporalis quidem, in quantum imaginatio dormientis immutatur, vel ab aere continenti, vel ex impressione cœlestis corporis, ut sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cœlestium dispositioni. Spiritualis autem causa est quandoque quidem a Deo,

(1) Vide Mayol. *Exp. i. præc.* art. ii. § 9.
(2) L. iii. n. 8.
(3) S.Thom. 2. 2. qu. xcvi. art. ii. *Ad primum.*
(4) Deut. xviii. 10.

qui ministerio angelorum aliqua hominibus revelat in somniis, secundum illud Numerorum XII : « Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. » Quandoque vero operatione dæmonum aliquæ phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura revelant his qui cum eis habent pacta illicita. Sic ergo dicendum, quod si quis utatur somniis ad præcognoscenda futura, secundum quod somnia procedunt ex revelatione divina, vel ex causa naturali intrinseca, sive extrinseca, quantum potest se virtus talis causæ extendere, non erit illicita divinatio. Si autem hujusmodi divinatio causetur ex revelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc invocantur; vel tacita, quia hujusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere, erit divinatio illicita et superstitiosa. »[1]

40. Jam vero, quum raro vel nunquam *pacta* hujusmodi *cum dæmone* consulto ineantur, putamus plerosque venialiter tantum peccare, conjecturas ex somniis capiendo; quamvis enim eventus soleant divinare, qui nullum cum somniis habent nexum, ad dæmones tamen id nullatenus referunt, sed vana ducuntur opinione, quin causam sibi vel aliis fingant. Stulta igitur est illa persuasio, quæ ex anilibus præjudiciis fabulisque ducitur; sed vix videtur eam habere malitiam quæ ad culpam lethalem requiritur. Monendi tamen sunt, et acriter aliquando corripiendi, ut superstitionem illam inanem abjiciant.[2]

41. Nullatenus autem peccant qui ex somniis occasionem sumunt aliquid faciendi quod sibi vel aliis prosit : optimum enim est ut utilitatibus nostris, vel alienis, quum possimus, consulamus. Si igitur quis somniaverit se coram tribunali judicis supremi adstare, laudandus erit si inde excitetur ad suos emendandos mores. Si de propinquo vel parente defuncto somnium habuerit, poterit inde occasionem sumere orandi pro ejus anima, quin certo sibi statuat somnium idcirco immissum quod hæc suffragiis indigeret. Qui autem id sibi habuerit persuasum, vano laborat errore, quin culpæ gravioris sit facile arguendus. E contra peccant graviter qui ex somniis occasionem sumunt ludendi tesserarum sortitione cum gravi sui detrimento.

42. Possunt peccare lethaliter exponendo se discrimini cogitationum impudicarum, et pollutionis, qui somnia de sponso futuro quærunt, dulciaria sub pulvillo reponentes : præsertim si hanc sibi facile inde obvenire, jam periculo facto, norint. Alioquin hac ratione ludentes non facile damnarem peccati gravis, quum periculum non sit manifestum.

43. Ægyptios, seu ariolos, *de fortuna consulentes* graviter peccant, licet dæmonis opera uti nolint; nam deceptores illos fovent cum magno morum detrimento, et pecuniæ plurimorum dispendio. Notitiam autem, quam quærunt, de rebus amissis, de sponsis futuris, et de aliis rebus occultis, non possunt sibi polliceri, nisi illicita aliqua ariolorum arte. Quamvis autem demus hos plerumque verborum ambiguitate ludere, vel quæ interrogationibus veluti expiscati sunt, respondere, vel vanas falsasque venditare conjecturas, non ideo culpa sunt immunes qui eos sibi illudere patiuntur. Acriter igitur corripiendi sunt qui huic superstitioni indulgent : « Nec inveniatur in te . . . qui

(1) 2. 2. qu. xcv. art. vi. *Resp.*

(2) Consule Mayol, *Exp.* 1. *præc.* art. ii. §. 6.

ariolos sciscitetur. »[1] Silentio prætermittimus fœda quædam, quibus nonnunquam utuntur, vel quæ docent facienda, ad absentium amorem erga se consulentes attrahendum.

44. *Magnetismus animalis* dicitur quædam mira ratio alteri soporem inducendi, quo totum corpus penitus quiescit, mente alio veluti translata, et arcana detegente. Sunt qui dicunt id contingere vi quadam naturali, fluido scilicet magnetico, vel mentis viribus, vel occulta inter utrumque, eum scilicet qui inducit soporem et alterum sopore constrictum, communicatione; sed difficile prorsus est mira quæ narrantur causæ tribuere naturali, quum longinqua, et cordis arcana sæpius dicantur enuntiari, jubente illo qui vim illam magneticam exercet. Præterea consensus alterius requiritur, prima vice, ut inducatur sopor, qui proinde ex causa externa et mere naturali totus non pendet: sed neque ex causa mere interna, viribus scilicet mentis, quum sopor nonnisi ab alio inducatur. Inter utrumque nulla videtur fieri communicatio virium: nam aliquando separantur parietibus, vel longiori intervallo. Gravis est igitur ratio suspicandi occultorum notitiam quam produnt *magnetisati*, dæmoniaca opera contingere, quam magno consensu tradidere veteres in rebus humanis aliquando intervenire. Id etiam haud prætermittendum soporem tantum induci, ut quiescant prorsus corporis membra, nec valeat vim inferenti resistere quæ sopore est constricta, adeo ut facinoribus pateat occasio. Postquam autem desiit sopor, nihil prorsus eorum quæ dormienti contigerunt, memoriæ occurrit. Hinc puella nequit se tanto morum discrimini objicere. Re sæpius examini subjecta, S. Congregatio Inquisitionis, die 21 Aprilis 1841, declaravit « usum magnetismi, prout exponitur, non licere. » Idem respondit S. Pœnitentiaria, 1 Julii 1841, quærenti: « an confessarius parochusve tuto possit pœnitentibus aut parochianis suis permittere: 1. ut magnetismum animalem, illis characteribus aliisque similibus præditum, exerceant, tamquam artem medicinæ auxiliatricem atque suppletoriam; 2. Ut sese illum in statum somnambulismi magnetici demittendos consentiant; 3. Ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo magnetisatas. » Singulis quæsitis generali illa responsione satisfactum est. 28 Julii 1847 aliud decretum S. Inquis. emissum est: « Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum, et mediorum pure physicorum ad res, et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis. » Illud iterum promulgavit die 4 Augusti 1856. eas præsertim reprobantes, quæ « *somnambulismi* et *claræ intuitionis*, uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt. » Hæc videntur amplecti pulsationes spirituales quæ hodie obtinent, quibus spiritus mortuorum respondere dicuntur, mensa solum pulsante. Quidquid enim

(1) Deut. xviii. 10.

sit de fluidi electrici vi ad mensam movendam, manibus impositis, vel inter se conjunctis, nulla adsignari potest ratio qua mortuorum animæ afficiantur.

45. *Astrologia judiciaria*, qua quis liberas hominum actiones ex astris divinare certo se fingunt, omnino illicita est, quum inde non pendeant, sed ex uniuscujusque arbitrio.[1] Hanc tamen non verentur aliqui palam profiteri.

46. *Sortilegium* illicitum est, quoties jactis sortibus, a dæmone petitur quid futurum sit, vel etiam a Deo temere id postulatur.[2] Nulla autem admittitur superstitio, si sortes adhibeantur in distribuenda hæreditate, vel alia re determinanda quæ dubitationem animi parit, dummodo effectus præter naturam non expectetur. Non peccat etiam plerisque in rebus qui ad dubitationem animi depellendam divinam opem implorat, et eam demum amplectitur agendi rationem, ad quam sorte determinatur. Sortis tamen usum in electionibus ad officia ecclesiastica perpetua prohibitione damnavit Honorius III.[3] Exemplum electionis Matthiæ non est urgendum; quum ex speciali Spiritus sancti afflatu sortes speciali illo casu adhibitæ censendæ sint.

47. *Vana observantia* est superstitio, qua ad finem aliquem adhibentur subsidia quæ nullam habent cum ea proportionem. Variæ sunt ejus species, nempe ars notoria, observantia eventuum, observantia sacrorum, et observantia sanitatum. *Ars notoria* dicitur ea qua ad scientiam statim adipiscendam, quis potione quadam, vel prece certa, vel figuris quibusdam utitur. *Observantia eventuum* superstitionem redolet, quando ex fortuito casu aliquid minime cum eo connexum futurum nobis persuademus: v. g. si ex pede titubante dum egrederemur domo, adversi aliquid suspicemur; vel ex canis ejulatu mortem alicujus intra domum expectemus. Huc refertur popularis superstitio, nolle mensæ tredecim hospitum assidere; vel solvi portu die veneris. Hæc inania sunt, et culpanda, quamvis non statim gravi crimini habenda, quum sæpe aliorum præjudiciis mos geratur, vel phantasia vim exerceat, cui haud facile resistitur. De observationibus hujusmodi «auctores docent simplices et mulieres in his ordinarie solum venialiter peccare, ratione ignorantiæ, et bonæ fidei.»[4] *Observantia sacrorum* superstitiosa fit, si ex rebus sacris effectum mirum certo proventurum esse confidamus, nulla Dei nixi promissione, nulla Ecclesiæ suffulti auctoritate. Superstitionem sapit fulmen se certo evasurum confidere, si palma benedicta in domo sit, vel lumen benedictum accensum fuerit; sicut etiam superstitio esset salutem certo sperare eo solo quod quis habitum quem dicunt scapularem gestet. Cæterum damnandi non sunt fideles, qui ex pio animi motu rebus hujusmodi utuntur, fiduciam omnem in Dei misericordia ponentes. *Observatio sanitatum* fit, quando ad morbos depellendos nomina ignota, vel figuræ, vel certus precum numerus, vel remedia naturalia cum quibusdam adjunctis superstitiosis adhibentur. Quos vulgo vocant fidei medicos, ægrotis præscribunt, ut nodos quosdam innectant, certaque proferant verba, aliaque faciant, quæ nihil ad remedium conferunt. Nonnemo, etiam ut sanguinis fluxum ex equi naribus sistat, numerum quemdam recenset, dum manum naribus apponit. Qui putant se-

(1) Jer. x. Isai. xlvii. 13. Vide et cap. *Sed et illud*, 26, qu. 2. et Cod. *de episcopali audientia*.

(2) Cap. *Sortes*. 26 qu. i.

(3) Cap. Ecclesia, *de Sortileg.*

(4) Mayol. *Exp.* 1. *præcept.* art. ii. §. 7.

ptimum filium posse sanare struma, nonnullis videntur superstitione laborare, quamvis Viva dicat posse in eo dari virtutem aliquam naturalem. Observantia quæcumque superstitiosa ex genere suo gravis culpa est; sæpe tamen fit levis ob simplicitatem, et bonam fidem.

48. *Magia* dicitur superstitio, qua quis ope dæmonis mira operatur. Hæc non exercetur a plerisque circulatoribus, qui, dexteritate quadam usi, ignaris videntur nonnisi dæmonis opera ea efficere quæ oculis exhibentur. Idcirco gravis peccati rei non sunt, qui circulatorum ludis, servata verecundia, intersunt.

49. *Maleficium* vocatur ratio aliis nocendi opera dæmonis. Duplex distinguitur, *amatorium* seu *philtrum*, et *veneficum*. *Philtrum* fit ad amorem carnalem erga se excitandum: *veneficum* nocet alteri, vel rebus quas possidet. Gravis procul dubio culpa est aliquid facere eo animo, ut pravus excitetur in se amor, uti faciunt aliquando puellæ, aliquid poculo quod porrigunt amatis immiscentes: in eo ariolis obtemperantes.

50. Plerique scriptores Angli quæ de magia dicuntur ad delirantis animi somnia referunt: quibus ne assentiamur obstant plura juris canonici decreta, quæ certum habent, dæmonem nonnumquam suam[1] interponere operam in rebus humanis; quæque rebus gestis et testimoniis Scripturæ consonant: quod et confirmant theologi omnes. Id quidem facile damus, temere judicandum non esse, aliquid supra naturam ope dæmonis contingere: sed id, Deo ita permittente, nonnumquam contigisse, extra omnem dubitationis aleam positum censemus. Si, re rite explorata, maleficium patratum videatur, orationibus ad Deum, Sacramentorum devota receptione, aliisque pietatis exercitiis, tollendum erit; quin ad inanes superstitiososque ritus recurratur. Hos apud mancipia, aliosque rudes, facile reperire est. Quidquid sit de rei veritate, utrum scilicet habeatur aliquod commercium cum dæmone ab his qui divinationem magiamve profitentur; constat eos fovere superstitionem, ea vulgo injecta opinione, et mores vitiare: quapropter justissime legibus olim coercebantur, quamvis a pœna mortis ob hujusmodi artes omnino abhorreamus. Ex impunitate qua gaudent in regionibus Protestanticis fit ut pecunia ancillas emungant, et fœda nonnunquam faciant, vel doceant facienda.[2]

51. *Tentatio Dei* fit, quando quis subsidiis quæ præsto sunt neglectis, divinam opem sibi pollicetur. Hanc vetuit Deus: « Non tentabis Dominum Deum tuum. »[3] Tentare autem Deum dicitur, qui miraculum petit, dubius de aliqua Dei perfectione; vel qui temere illud sibi promittit. Sic Judæi tentabant Christum, quum signum e cœlo postularent, jam alioquin satis ejus potestatem edocti: sed et Deum tentare censeretur, qui dæmonis instinctu se e templi vertice præcipitem projiceret.[4] Quæ mediis in sæculis viguerunt *purgationes vulgares*, a nationibus septentrionalibus invectæ, tentationem quamdam Dei præseferebant; nec enim ex duelli eventu, nec ex

(1) Vide Append. *de possibilitate et existentia magiæ*, ab editoribus *Cursus completi Theol.* vol. xiv. p. 155.

(2) « Une preuve que ce ne sont ni ces prières, ni les exorcismes, ni les lois, qui contribuent à entretenir les erreurs du peuple, c'est que chez les protestants, qui ont rejeté toutes les pratiques de l'Eglise, en Suisse, en Angleterre, dans les pays du Nord, la divination, la magie, les sortilèges sont beaucoup plus communs que chez les catholiques, parce que ces crimes demeurent impunis parmi les protestants. » Bergier, *Dict. Théol.* art. *Magie*.

(3) Deut. vi. 16. (4) Matth. iv. 7.

ferro candente manu prehenso, nec ex deambulatione super ferrum candens, nec ex manu in aquam ferventem demissa, licebat innocentiam, vel culpam dignoscere, prout confidebant. Quod igitur purgationes hujusmodi aliquando toleratæ sint, sacerdotibus etiam Missam dum fierent celebrantibus, contigit ex Ecclesiæ prudentia, quæ eas, ex quorumdam bona fide factas, passa est, quod gentes barbaræ ad fidem recentius adductæ non possent simul omni veteri superstitione exui. Illas tandem maturo consilio penitus damnavit.[1] Constat quidem nonnumquam mirum purgationum eventum rei veritatem demonstrasse, quod speciali Dei beneficio tribuendum est, qui, vel bonam fidem eorum, qui se purgabant, respexit, vel animum invitum, quo judicia hujusmodi innocentes subibant.

52. Tentatio Dei est gravissima culpa, quoties Dei perfectiones, revelatæque ab ipso veritates in dubium adducuntur: ipsa etiam Dei tentandi species gravi haud caret labe, quamvis bona fides aliquando excuset nonneminem a tanto crimine. Reus igitur est, qui, absque scientia et animi præparatione, velit, nulla id exigente necessitate, concionari, sibi persuadens Deum Spiritus sancti lumine eum illustraturum: hoc enim temere sibi pollicetur, qui subsidiis a Deo datis uti neglexerit. Promisit quidem Christus discipulis suis, coram tribunalibus ethnicorum Spiritum sanctum adfuturum, ut quæ oporteret, dicerent, adeo ut opus non esset magna animi solicitudine de defensione cogitare; Apostolis etiam magnam vim dicendi tribuit, ut veritates Evangelicas annuntiarent: sed discendi laborem ex assidua lectione noluit suis ministris sublatum.[2] Tentationis Dei etiam arguendus est, qui gravi laborans morbo remedium omne recusat, divina, ut jactat, ope innixus; quam tamen temere sibi pollicetur: nam « Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. »[3] Tentat quoque Deum, qui absque ipsius Dei instinctu petit absolute, et fidenter sibi, aliisque promittit miraculum ad fidem confirmandam: secus si gravi urgente causa, illud petat, dummodo Dei placito congruat: quod tamen, etiam conditione hac interposita, vix convenit.

CAPUT V.

DE SACRILEGIO.

53. *Sacrilegium* est rei sacræ, vel personæ Deo dicatæ violatio. *Personale* dicitur si persona sacra violata sit, quæ scilicet ordine sacro, vel voto solemni fuerit adstricta. Peccato igitur sacrilegii inquinatur qui sanctimonialem violaverit: qui autem vitiaverit fœminam simplici tantum voto ligatam, etsi pium aliquod institutum professa fuerit, sacrilegium non committit, quum sacra non sit; quamvis, si eam ad votum violandum induxerit, reus in causa violati voti habendus sit. *Locale* sacrilegium dicitur loci sacri, v. g. Ecclesiæ, vel cœmeterii rite benedicti violatio. Hoc crimen admittit qui hominem in Ecclesia occidit, vel sanguinem vel semen humanum voluntarie fundit; vel excommunicatum, aut non baptizatum sepelit. « Similiter violatur locus sacer, si in eo fiant conclamationes, deambulationes, mercatus, strepitus judiciorum sæcularium, non vero ecclesiasticorum pietatem spectantium. »[4] De qua re jussit Concilium Tridentinum: « Ab ecclesiis

(1) *De purgat. vulgar.* tit. xxxi. Vide et S. Thomam, 2. 2. qu. xcv. art. viii. *Ad tertium.*

(2) I. Tim. iv. 13. II. Tim. iii. 15.

(3) Eccl. xxxviii. 4. (4) S. Alphons. l. iii. n. 37.

vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant; ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, ac dici possit. »[1] In rem Hieronymus: « Deo non voce, sed corde cantandum. Nec in tragœdiarum morem guttur et fauces medicamine liniendæ sunt, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica. »[2] Sacrilegium est hominem ex Ecclesia vi extrahere; quum id sanctitati loci repugnet, qua nititur *jus asyli*, quod reis jure canonico et civili olim tributum est. « Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro. »[3] Hinc calicem consecratum e templo, vel ex ædibus privatis furari, sacrilegium foret. Candelabra etiam, vel alia quæ ad ecclesiam pertinent, vel in ejus usum sint commodata, etsi non fuerint benedicta, si quis furto ex ipsa abstulerit, sacrilegii reus agnoscitur, non sacrum de sacro auferendo. Dubitatur autem utrum eo se scelere astringat, qui res mere profanas, v. g. divitis crumenam, ex Ecclesia furatur. Affirmans sententia probabilior S. Alphonso videtur.[4] Per actus autem mere internos non violatur sanctitas loci; ideoque pravæ cogitationes quibus quis in Ecclesia indulsit, sacrilegii malitiam non habent. Qui effringunt Ecclesias, et res sacras simul diripiunt, excommunicatione ipso facto ligantur.[5]

54. *Reale* sacrilegium est rerum sacrarum indigna tractatio. Hoc admittunt qui Sacramenta indigne ministrant, vel suscipiunt. Item qui sacra vasa in profano convivio adhiberet, sacrilegii reus foret. Cæterum si res sacræ ad communem materiam reducantur, v. g. calix ad communem massam argenti, videntur posse ad profanos usus converti: eas autem, in propria forma manentes, non licet ad usum, qui sacer non sit, convertere. « Altaris palla, candelabra, et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, male tractari, sed incendio universa traduntur. »[6] Sic et Ecclesia consecrata, quæ vetustate diruta sit, non est ad profanos usus transferenda, nec vendenda;[7] sed in loco erigenda est crux. Attamen Ecclesiæ non consecratæ et sacella sæpe ad usum scholarum, vel profanum, traducuntur in hac regione, altari amoto, et forma sacrarum ædium sublata. Indigna tractatio reliquiarum et sacrarum imaginum sacrilegium est.

55. « Gravius peccatum, » inquit S. Thomas, « est sacrilegium quo peccatur contra personam sacram, quam quo peccatur contra locum sacrum. Sunt tamen in utraque sacrilegii specie diversi gradus, secundum differentiam personarum et locorum sacrorum. Similiter etiam et tertia species sacrilegii, quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum. Inter quas summum locum obtinent ipsa Sacramenta, quibus homo sanctificatur: quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum: et ideo sacrilegium quod contra hoc Sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia. Post Sacramenta autem secundum locum tenent vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, et ipsæ ima-

(1) Sess. xxii. decr. *de observ. et evit. in cel. Miss.* (2) In Eph. v.
(3) C. *quisquis* 17. qu. 4. (4) L. iii. n. 59.
(5) C. Conquest. 22. *de Sent. excom.*
(6) C. xxxix. *de consecr.* dist. 1.
(7) C. xv. *de simonia.*

gines sacræ, et reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo ipsæ personæ Sanctorum venerantur, et dehonorantur : deinde ea quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ et ministrorum : deinde ea quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive sint mobilia, sive immobilia. Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit. »[1] De peccatis sacrarum personarum dicit : « Omne peccatum quod sacra persona committit, materialiter quidem et quasi per accidens est sacrilegium. Unde Hieronymus dicit, quod nugæ in ore sacerdotis sacrilegium sunt, vel blasphemia. Formaliter autem et proprie illud solum peccatum sacræ personæ sacrilegium est, quod agitur directe contra ejus sanctitatem ; puta, si virgo, Deo dicata, fornicetur. »[2]

56. Tempus, quo quis peccavit, sacrilegii labem inducere, Lugo cum aliis plerisque negat : excipit tamen S. Alphonsus : « nisi notabilis irreverentia irrogetur cultui divino, ut si quis in die veneris sancto exhiberet comœdias, ludos publicos. »[3]

CAPUT VI.

DE SIMONIA.

—

§. I. De simoniæ speciebus.

57. Simonia, a Simone Mago dicta, qui pecuniam obtulit Apostolis ut potestatem dandi Spiritum sanctum sibi compararet, vitium est religioni contrarium : est enim « studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituali annexum : » quod utique fieri non potest absque divini cultus detrimento, et injuria. « Emptionis autem et venditionis est materia indebita res spiritualis, triplici ratione : primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari : ut de Sapientia dicitur Proverbiorum III. : « Pretiosior est cunctis opibus : et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. » Ideo etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans, dixit : « Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. » Secundo, quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus : . . . Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator : secundum illud 1 ad Cor. iv. : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. » Tertio, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt. Unde et Dominus dicit Matt.x.: « Gratis accepistis, gratis date. » Et ideo aliquis emendo, vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo, et rebus divinis : propter quod peccat peccato irreligiositatis. »[4]

58. Emptio autem fit non tantum pecunia, sed re vel opera quacumque, quæ pretio æstimari possit : ideoque præter munus *a manu*, munus *a lingua*,[5] et munus *ab obsequio* a theologis dicuntur simoniam inducere. Si quis suffragium det Episcopo eligendo ea conditione ut parœciam assequatur, est simonia ; nam parœciæ redditus pro jure suffragii exercendo dantur, quod spirituale est, utpote ad dignitatem ecclesiasticam relatum. « Idem est quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret

(1) 2. 2. qu. xcix. art. iii. *Resp.*
(2) Ibidem, *ad tertium.* (3) L. iii. n. 46.
(4) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. i. *Resp.*
(5) S. Greg. M. in Job l. xii. n. 62.

pro pecunia data vel promissa, qua illud obsequium æstimari posset. Similiter etiam quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem : quæ potest pecuniæ pretio æstimari. Et ideo sicut contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus a manu; ita etiam contrahitur per munus a lingua, vel ab obsequio. » [1] Nequidem ob laborem qui actui sacro necessario impenditur, quid potest exigi, quamvis ob extrinsecus advenientem difficultatem, v. g. iter longinquum, vel ob onus statuta hora munus peragendi, aliquid absque labe simoniæ accipi possit : v. g. si quis Missam circa meridiem celebret.

59. Simonia *juris divini* ea est quæ in se mala est, utpote emptio vel venditio rei sacræ : simonia *juris ecclesiastici* admittitur, quoties aliquid fit contra Ecclesiæ vetitum, quod ob simoniæ periculum et speciem latum est. Porro necesse non est ut pretii rationem habeat pecunia pro re spirituali data; si enim tamquam *motivum* conferendi spirituale detur, vitium adest simoniæ, uti constat ex damnatione contrariæ propositionis : « Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, vel e contra. » « Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis. » [2]

60. *Mentalis* simonia ea est quæ mente celatur, adeo ut nullum intercedat inter dantem et recipientem pactum, quamvis eo animo detur res temporalis, ut spiritualis comparetur. Qui bona sua dat Ecclesiæ ad instituendum beneficium, occulto animi consilio ut illud sibi comparet, mentalem simoniam admittit : non autem si id humiliter roget. [3] *Conventionalis* dicitur simonia, quando pactum saltem tacitum intercessit, quod tamen non est utraque ex parte executioni demandatum. *Realis* est, si ex utraque parte impletum sit, saltem ex parte. Sic si quis cum altero pactus sit magnam pecuniæ copiam illi se daturum, dummodo episcopatum ei impetret, et munus quoddam et pignus jam det, altero ejus opera evecto ad episcopatum, realis est simonia. Simonia *confidentiæ* est quando quis alteri procurat beneficium, pacto expresso vel tacito, inito, ut sibi, vel alteri illud resignet, vel pensionem ex eo solvat. Damnata est a Pio IV. et a Pio V. [4]

§. II. De simonia in sacris muneribus.

61. Sacramenta imprimis ministranda sunt gratis : nam « accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratia est crimen simoniæ, quod nulla consuetudine potest excusari, quia consuetudo non præjudicat juri naturali vel divino. » . . . « Accipere autem aliqua ad sustentationem eorum, qui Sacramenta Christi ministrant, secundum ordinationem Ecclesiæ et consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum : non enim sumitur tamquam pretium mercedis, sed tamquam stipendium necessitatis. Unde super illud 1 ad Timotheum v. : « Qui bene præsunt presby-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. v.

(2) xlv. et xlvi. inter damnatas ab Innoc. XI. anno 1679.

(3) C. xxxiv. *de simonia*.

(4) Bulla lxxxv. et Bulla quæ incipit : *Intolerabilis*.

teri, etc. dicit Gloss. August. : « Accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino. » [1] Hac ratione excusantur sacerdotes accipientes eleemosynas a populo in hac regione offerri consuetas occasione baptismi et matrimonii celebrandi : peccarent autem qui eas exigerent, denegando Sacramenta ; quamvis post ea collata liceat (vix tamen expedit) postulare quæ ex consuetudine dantur. « Accipere aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiæ, et consuetudinem approbatam, licitum est : ita tamen quod desit intentio emptionis, vel venditionis ; et quod ab invitis non exigatur per spiritualium subtractionem quæ sunt exhibenda : hoc enim haberet quamdam venditionis speciem. Gratis tamen spiritualibus prius exhibitis, licite possunt statutæ et consuetæ oblationes, et quicumque alii proventus exigi a nolentibus, et valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente. » [2] Rituale Romanum hæc habet : « Illud porro diligenter caveat (parochus), ne in Sacramentorum administratione aliquod quavis de causa vel occasione directe vel indirecte exigat aut petat, sed ea gratis ministret, et ab omni simoniæ atque avaritiæ suspicione, nedum crimine, longissime absit. Si quid vero nomine eleemosynæ, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur. » [3] Sic olim Lateranenses patres : « Pravas exactiones super his fieri prohibemus, et pias consuetudines præcipimus observari. » [4]

62. Simoniæ rei sunt, qui pauperibus haud valentibus solvere oblationes consuetas Sacramenta nolunt impertiri. Qui autem Sacramentorum illorum administrationi inhiant, ut eleemosynas accipiant, vel operam adhibent ut ampliores sibi tribuantur, cupiditatis potius quam simoniæ vitio inquinantur. Si aliqua ex consuetudine exigantur quasi pretium rei spiritualis cum intentione emendi, vel vendendi, est manifeste simonia, et præcipue si ab invito exigantur. Si vero exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est simonia : si tamen desit intentio emendi vel vendendi, sed intentio referatur ad solam consuetudinis observantiam, et præcipue quando aliquis voluntarie solvit. In his tamen omnibus solicite cavendum est quod habet speciem simoniæ, vel cupiditatis : secundum illud Apostoli 1 ad Thessalonicenses ult. « Ab omni specie mala abstinete vos. » [5]

63. Occasione ministrandi Confirmationem nihil solet dari : sed Episcopo visitationem facienti suæ diœceseos victualia præstanda sunt. « Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an vero prædicta victualia subministrare. » [6] In provinciis Mexicanis solent fideles singuli confirmati dimidium nummum argenteum conferre ad Episcopi impensas : qui mos speciem malam præsefert. Apud nos parochus suppeditat victum.

64. Eucharistia etiam administranda est, nullo ea occasione accepto munere : sed Missæ celebratio et applicatio juxta specialem cujuspiam mentem, jus dat ad eleemosynam modicam, quæ plerisque in diœcesibus dimidio num-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. ii. *Resp.*
(2) Ibidem, art. iii. *Resp.*
(3) De iis quæ in Sac. administr.
(4) Lat. iv. can. lxvi.
(5) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. ii. *Ad quartum.*
(6) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. iii. *de Ref.*

mi argentei constat. Qui missionarii alicubi pecuniam accipiunt ampliorem, quoties congregationem aliquam invisunt, eam instar stipendii ob itineris labores, et plura munia sacri ministerii habent.

65. Pœnitentiæ ministrandæ occasione nihil est accipiendum : id enim in Rituali Romano districte est vetitum. « Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a pœnitentibus quidquam tamquam ministerii sui præmium petant, vel accipiant. » [1]

66. Extremæ Unctionis occasione nihil accipitur, sed ægrotis omnia salutis subsidia gratis suppeditantur. Quod si sacerdos iter longinquum fecerit ad eos invisendos, nil vetat ut ei dentur necessariæ itineris impensæ : absit autem ut a pauperibus exigantur.

67. Ordines gratis omnino conferendi sunt : « Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque ordinum,...., etiam sponte oblatum, Episcopi et alii ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant. » [2]

68. De moribus aliis alicubi vigentibus quorum tamen vix apud nos ullum est vestigium, dicit S. Thomas : « Prædicantibus etiam temporalia debentur ad sustentationem prædicantium ; non autem ad emendum prædicationis verbum : unde super illud 1 ad Timotheum v. « Qui bene præsunt presbyteri, etc » dicit Glossa : « Necessitatis est accipere unde vivitur, charitatis est præbere : non tamen venale est Evangelium, ut pro his prædicetur. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione ecclesiastici officii, sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. » [3] Merito autem damnata est a Concilio Constantiensi propositio Wickleffi : « Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus. » [4]

69. Vetuit Innocentius III. clericis ne quidquam omnino exigerent causa sepeliendi mortuos, et pravam consuetudinem abolendam statuit, qua alicubi « decedentibus non prius permittatur effodi sepulturam quam pro terra, in quia sepeliendi sunt, certum pretium ecclesiæ persolvatur. » [5] Simonia declaratur admissa si quid detur pro mortuis sepeliendis. [6] Attamen ea est temporum nostrorum conditio, quod locus sepulturæ in cœmeteriis consueverit emi, et occasione singulorum sepeliendorum pecunia plerumque ecclesiæ æditiuis, vel parocho persolvatur. Mores hos cum veteri disciplina et decretis componere facile non est : sed plerique eos vindicant consuetudine et rerum necessitate, quum pecunia accipiatur ob terræ valorem, et ad oneribus satisfaciendum, quæ ex ea olim comparata Ecclesiæ imposita sunt. Quanti valeant hæ rationes aliorum relinquimus judicio ; votum nostrum ingenue profitentes esse, ut tandem aliquando vetus hac in re disciplina restituatur. Pauperibus utique numquam licet denegare sepulturam, ob pecuniam non solutam : nam « Parochi pauperum cadavera gratis sepelire tenentur. » [7]

70. « Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi

(1) De Sac. Pœnit.
(2) Conc. Trid. Sess. xxi. cap. i.
(3) 2. 2. qu. c. art. iii. *Ad secundum.*
(4) Sess. viii.
(5) C. xiii. *de sepulturis*, et c. xli. *de simonia.*
(6) Cap. ix. *de simonia*, ex Conc. Later. Vide Spelman, *de Sepulturis.*
(7) S. Cong. 5 Maji 1617.

pretium. Licet tamen si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes. » Ita S. Thomas.[1] Hunc morem certam dotem accipiendi probavit pluries S. Congregatio Concilii.[2]

§. III. De simonia in beneficiis.

71. Beneficium temporale quidem est, quatenus prædii cujusdam fructus respicit; sed spirituale habetur, ob munus sacrum propter quod jus ad eos percipiendos datur. « Habere beneficia ecclesiastica dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium clericale : unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus : et propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici. »[3] Juspatronatus, scilicet jus præsentandi clericum, qui si idoneus repertus fuerit, instituatur,[4] est etiam spirituale, nec vendi potest, nec exerceri, ob pretium.[5] Vendi tamen potest prædium, cui jus hoc adnexum est, dummodo non ideo augeatur ejus pretium. Nihil accipi potest ob immissionem in possessionem beneficii,[6] vel ob illud procuratum :[7] et restituendum necessario est quidquid collator inde derivaverit lucri : nam damnavit Alexander VII. propositionem : « Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. »[8]

72. *Simonia juris humani* est omnis de beneficiis transactio absque Papæ auctoritate :[9] quorum commutatio tamen fit ex Episcopi venia :[10] venditio etiam officiorum sacristæ, œconomi, defensoris, advocati, procuratoris ecclesiæ :[11] acceptio munerum occasione examinis ad parochiam,[12] vel occasione Ordinum conferendorum, vel tonsuræ, vel litterarum dimissorialium[13] simonia est.

73. Simonia omnis *juris divini* grave est peccatum, imo plerumque immane : simonia juris humani, ob legis rationes, gravis plerumque est culpa; sed aliquando levior esse potest, quum quis non satis animum adverterit ad rei malitiam.

74. Vendi non possunt temporalia spiritualibus annexa pluris ob spiritualem quam veluti induta sunt speciem : sic calix consecratus non pluris valet quam alius ejusdem materiæ et formæ, qui non sit consecratus : theca argentea qua includuntur reliquiæ, non pluris æstimanda est, quam si reliquiæ ea non includerentur : altare consecratum non augetur pretio.

75. Qui pecuniam accipit ea conditione, ut abstineat a spirituali quodam actu exercendo, simoniæ reus est, quoties omissio moraliter tribuitur

(1) 2. 2. qu. c. art. iii. *Ad quartum.*

(2) Vide notas a P. Philippo a Carboneano, adjectas Theol. Antoine, Tract. *de virt. Rel.* c. v. art. iii. qu. iv.

(3) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. iv. *Resp.*

(4) Cap. xviii. *de jure patronatus.*

(5) C. xxxix. *de simonia.*

(6) Cap. ix. et xxxvi. *de simon.*

(7) Cap. i. *præsent.* qu. v.

(8) Prop. xxii. inter damnatas, anno 1665, et 1666.

(9) C. iv. *de simon.* et c. v. *de rerum permut.* et c. ult. *de pactis*, et c. viii. *de transact.*

(10) Clement. *de rer. permut.*

(11) Cap. *Salvator* i. qu. iii.

(12) Sess. xxiv. c. xviii. de reform.

(13) Sess. xxi. cap. i.

potestati spirituali.[1] Si Episcopus minas suspensionis clerico intentans, munus ab eo acceptet, pacto inito de ea omittenda, simoniæ reus est: quod si nullum sit hujusmodi pactum, ne quidem tacitum, peccabit si munere se ab officio abduci sinat, quamvis simoniæ labes ei non sit inurenda, nisi forte mente peccet.

76. Qui humano erga propinquos affectui in beneficiis, vel officiis ecclesiasticis conferendis, vel comparandis, nimis indulget, peccat, quamvis simoniæ non sit ideo culpandus, nisi lucrum sibi, vel utilitatem aliquam inde polliceatur: « Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio, non tamen simoniaca: quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis det beneficium ecclesiasticum alicui, hoc pacto vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia. »[2] Si Episcopus det consanguineo pinguem, ut aiunt, parochiam, ea conditione ut quotannis ei detur pars quædam proventuum, est simonia: quod si conditio non fuerit apposita, sed spes mente concepta, est simonia mentalis.

77. Si quis ad preces alterius munus spirituale conferat, nullo pretio accepto, nullaque commodi quod pretio æstimari queat spe, non est simonia, licet roganti velit gratificari, et sibi eum devincire: quod si ideo velit gratiam cum rogante inire ut utilitas sibi proveniat, simoniam sapit. Plerumque ex dignitate illius pro quo preces porriguntur judicandum erit, utrum simoniæ labes adsit; nam indigno conferens ut morem gerat alteri, videtur gratiam ambire hominis ob aliquod sui commodum. « Munus a lingua, » inquit S. Thomas, « dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum: quia subest debita causa, ex qua illi pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur: tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. »[3]

78. Qui sacros ambit ordines ut beneficium recipiat, simoniacus est quoties præcipua ejus intentio in utilitatem temporalem dirigitur: secus si primo loco Dei gloriam et animæ salutem habeat. Qui eos suscipit, ut commodis vitæ fruatur, ex fidelium donis sibi pecuniæ copiam non defuturam pollicens, simoniæ reus est, si id præcipuum habeat: quod si velit divino cultui se mancipare in animarum salutem, sed et utilitatem suam quærat, non erit tanti criminis damnandus, quamvis non omni vacet culpa. Jure optimo Concilium Excestriense anno 1287, monuit eos qui sacros ordines ambiunt, ut animi consilia diligenter scrutarentur: « Ad propriam recurrant conscientiam, quo fine ad ordines aspirent, an ut Deo et Ecclesiæ virtuosius et gratiosius famulentur, non pro temporali quæstu, nec beneficiis a suis ordinatori-

(1) Cap. xiv. *de simonia.*

(2) S. Thom. 2. 2. qu. c. art. v. *Ad secundam.*

(3) Ibidem. *Ad tertiam.*

bus extorquendis, quoniam tales simoniacos reputamus. »[1]

79. Licet munus vel utilitatem aliquam alteri polliceri, vel dare, ut alliciatur ad aliquid faciendum spirituale, in animæ suæ bonum : nam non datur instar pretii, sed ut sic moveatur ad sibi consulendum. Sic parentes pueris pollicentur munera, si sua confiteantur sacerdoti peccata; si Ecclesiam frequentent; si preces pie persolvant. Sic et manumissioni mancipii conditio quandoque adjecta est ut fieret monachus;[2] qua ratione optio data est monachi vel servi conditionem eligendi; sed onus nequit imponi, licet in ejus utilitatem proventurum sit, cui officium datur.[3]

80. « Qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest; » inquit S. Thomas.[4] Hinc sæpissime declararunt summi Pontifices beneficia simoniace impetrata esse dimittenda.[5] Si alter, te sciente et non contradicente serio et constanter, munere tibi impetraverit beneficium, est dimittendum.[6] Fructus etiam beneficiorum, quæ simoniace quis suscepit, sunt restituenda.

81. Quæcumque simoniace sunt accepta restituenda sunt; deest enim titulus. Liquet emptionis vi ea retineri non posse, quum res spiritualis merx non sit. Porro nec donationis nomine possunt retineri; nam non sunt gratuito data, sed ea conditione ut spiritualia conferrentur : et donationibus hujusmodi, utpote bonis moribus contrariis, adversantur Ecclesiæ leges. Restituenda autem sunt datori, nisi in reali simonia de beneficiis, de qua specialiter statuitur ut dentur Ecclesiæ, ad quam pertinet beneficium.[7] Ingredienti religionem simoniace pecunia restituenda est.[8] Qui pecuniam exegit ob munus sacrum quod gratis præstandum est, eam debet restituere : qui consueto plus exegit occasione matrimonii, vel baptismi, debet excessum reddere danti.

82. Qui dant vel accipiunt, vel promittunt aliquid pro gratia vel justitia apud Sedem Apostolicam assequenda, incurrunt ipso facto in excommunicationem Papæ reservatam, et gratia nulla est.[9]

83. Qui mentalis simoniæ reus est, ad dimittendum beneficium non tenetur; Gregorius IX. quippe ait : « Ad resignationem spiritualium et temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente, utrimque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori,) eos pro simonia hujusmodi non teneri. »[10] Consonat S. Thomas.[11]

84. Pœnæ ecclesiasticæ latæ sunt contra simoniam admittentes in ingressu vel professione religionis, in ordinatione, aut in beneficio, quo nomine munera superiorum in ordinibus religiosis includuntur. Ad eas contrahendas res spiritualis actu tradatur necesse est;[12] et juxta multos res temporalis, saltem quoad partem.

85. In beneficiis excommunicatio Papæ reservata ipso facto incurritur, ab ea suscipientibus simoniace, et ab omnibus suam operam simoniæ præ-

(1) Can. viii. (2) Cap. ii. *de conditione.*
(3) *Quam pio*, i. qu. ii.
(4) 2. 2. qu. c. art. vi. *Resp.*
(5) Cap. *Si quis dator*, et cap. *Ea quæ*, i. qu. iii. cap. ult. *de pact.* Conc. Constantiens. Sess. xliii. Paul. II. in extravag. *Cum detestabile*, *de simon.* confirm. a Pio V.
(6) Cap. xxxiii. *de simon.*
(7) Cap. xi. *de simon.*
(8) Cap. xix. *de eadem.*
(9) Extr. *de sent. excom.* in 6. et Bulla XXIV. Gregorii XIII.
(10) Cap. xlvi. *de simon.*
(11) 2. 2. qu. c. art. vi. *ad sextum.*
(12) Extrav. i. et ii. *de simon.* et Can. i. qu. i.

stantibus. [1] Collatio vel provisio nulla prorsus est ante omnem sententiam, et beneficium necessario est dimittendum; [2] licet simonia sit solum conventionalis mixta. [3] Simoniace electus vel provisus fit inhabilis ad idem beneficium; nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere, [4] nisi simonia, eo ignorante, nec ratam habente, sit admissa. [5] Imo fit inhabilis ad quascumque alias dignitates et beneficia. [6] Simonia realis in prælaturis Religiosorum inducit excommunicationem Papæ reservatam, et obligationem dimittendi munus. [7] Pœnæ speciales simoniæ confidentiæ adnexæ sunt : excommunicatio Papæ reservata, si delinquentes sint inferiores Episcopis : Episcopi enim tantum interdicuntur ingressu ecclesiæ : privatio beneficii per confidentiam obtenti, et inhabilitas ad illud, et ad alia acquirenda : imo privatio beneficiorum antea legitime possessorum. [8] Hæc pleraque ad nos nihil attinent, quum non sint apud nos beneficia stricte dicta; sed ea penitus ignorare fas non est theologo.

86. Pœna simoniæ in ordinatione admissæ est excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt tam ordinans, quam ordinatus; [9] insuper ordinatus suspenditur ab omnium ordinum exercitio, et ordinans per triennium ab ordinibus conferendis, [10] imo, juxta bullam Sixti V. *Sanctum*, ab executione omnium munerum pontificalium, et ab ingressu ecclesiæ.

87. Pœnæ simoniæ circa ingressum religionis, et professionem, sunt excommunicatio ipso facto Papæ reservata, qua ligantur singuli dantes et accipientes, et suspensio ab officiis capitularibus in conventum si consenserit. [11] Scienter professus simoniace in arctius detrudendus est monasterium ad agendam pœnitentiam. [12]

De Beneficiis aliqua enucleatius dicenda videntur, ut quæ contigerit de iis obiter dicere, in doctrina morum explicanda, accurate intelligantur.

CAPUT VII.

DE BENEFICIIS.

88. Beneficium ecclesiasticum vocatur jus perpetuum, auctoritate Ecclesiæ constitutum, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter munus spirituale. Parocho datur jus perpetuum ad redditus Ecclesiæ cui præficitur, quod non desinit donec, ratione quam præscribunt canones servata, amotus sit, ob crimen, scilicet, seu irregularitatem : vicarii autem eo jure carent. Jus hoc nequit privati cujuscumque arbitrio constitui; quamvis enim possit quis annuos donare redditus sacerdoti solvendos, beneficii non habetur ratio, nisi Pontificis, vel Episcopi, sanctione accedente. [13] In re immobili constituitur beneficium; si enim quis *actiones* donet, ex quarum fructu sustentetur sacerdos, non censebitur beneficium instituisse : attamen S. Congregatio decrevit pensiones annuas a Gubernio Gallico loco beneficiorum quæ sibi usurpavit solutas, beneficii instar esse quoad nonnullos effectus. Datur bene-

(1) Extrav. i. *Cum detestabile.*
(2) Conc. Constant. Sess. xliii.
(3) Vide Antoine, Tract. *de Virtute Relig.* c. i. art. iii. qu. xxi.
(4) Cap. xxvii. *de simonia.*
(5) Cap. penult. *de elect.*
(6) Bulla v. S. Pii V.
(7) Extr. *Cum detestabile.*
(8) Bulla lxxxv. Pii IV., et Bulla lxxxv. Pii V.
(9) Extrav. *Cum detestabile.*
(10) Cap. xlv. *de simon.*
(11) Extr. Sane, *de simon.*
(12) Cap. xxv. *de simon.*
(13) Barbosa, *de off. et post. ep.* p. iii. alleg. lxx. 20.

ficium propter officium spirituale,[1] v. g. propter curam quæ ei adnectitur animarum, vel propter horarum canonicarum recitationem.

89. *Sæculare* dicitur beneficium, quod clericis sæcularibus datur : *regulare* quod religiosis tantum conferendum est. *Simplex* beneficium est quod onus recitandi Officium divinum, vel Missam celebrandi solummodo secum fert : ut capellania, simplex canonicatus, præstimonium, seu portio ex proventibus ecclesiasticis detracta, collata adolescentibus studiorum causa, in titulum perpetuum. *Duplex* beneficium vel curam animarum, vel jurisdictionem in foro externo importat : v. g. beneficium parochiale, vel episcopatus, abbatia etc. *Manuale* beneficium vocatur quod ad nutum collatoris auferri possit : v. g. capellania, quam quis apud se constituit, sacerdote accersito, cui ex pacto certos tribuit redditus, ad beneplacitum suum : sed minus recte designatur, quum beneficium plane non sit. Collatione libera prælati aliqua dantur beneficia : aliorum jus patronatus apud quemdam est, qui præsentat, vel nominat aliquem a prælato instituendum, nisi indignus sit : ex electione aliqua pendent, quæ vim obtinent, accedente prælati confirmatione.

90. *In commendam* dari dicuntur beneficia, quorum administratio, seu custodia alicui datur, quin titulus apud eum sit : quod si detur in perpetuum, eadem fere jura ei competunt ac si titulo frueretur. Titulare dicitur beneficium, cujus titulus et jus ad vitam alicui confertur.

91. *Incompatibilia* sunt beneficia, quæ ab eodem simul haberi nequeunt, quum non possit oneribus utriusque simul satisfacere. Nequit quis duas habere parœcias, quæ a se sejungantur, vel duos episcopatus. *Compatibilia* habentur, quæ quis simul possidere potest, quum onera diverso tempore persolvenda sint.

92. « Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri. »[2] Defectus tamen tituli, qui latuit eum qui obtinuit beneficium, sanatur possessione trium annorum, dummodo simoniam haud admiserit. « Voluit et ordinavit idem Dominus noster, (*Papa*) ut si quis quæcumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex apostolica, aut ordinaria collatione, aut electione per triennium pacifice possederit, si se non intruserit, super hujusmodi beneficiis molestari nequeat. »[3]

93 *Libera collatio* omnium beneficiorum suæ diœcesis jure communi competit Episcopo ; quædam tamen ex fundatione, vel Pontificis reservatione, vel alio ex capite alias conferuntur. Si neglexerit illud conferre intra sex menses a notitia vacationis habita, vel si indigno contulerit, jus pro ea tantum vice ad Superiorem proximum gradu devolvit, et sic gradatim ad Papam.

94. *Præsentatio* est exhibitio personæ cujusdam ad beneficium, legitime facta superiori a patrono, ut instituatur. Institutio est concessio juris in beneficio facta ad præsentationem patroni. Laicis aliquando competit præsentatio, et jus patronatus, quod est potestas præsentandi.[4]

(1) C. ult. *de rescript.* in 6. et Conc. Trid. Sess. xxi. c. iii. *de ref.* (2) Reg. Juris in 6.

(3) Reg. Cancellariæ.

(4) In Anglia jus patronatus ad quædam beneficia quæ jam Protestantes habent, penes Catholicos quosdam optimates est. Per fiduciarios Protestantes ad plerumque fit, jure ad beneficium venditioni exposito, et pretio ad patronos misso; nam reddituum ratio tantum habetur : sed mali specie non caret.

95. Vacet oportet beneficium ut quis præsentet aliquem qui illud adipiscatur : vetita quippe est omnis præsentatio, vel promissio beneficii haud vacantis; [1] repugnat enim bonis moribus, et viam innumeris malis pandit. Provisio, scilicet jus inde secutum, nullius est roboris. [2]

96. *Jus patronatus* acquiritur soli in quo fundetur ecclesia donatione, quæ dicitur *fundatione*, ecclesiæ *ædificatione*, et *dotatione*, redditibus adsignatis. Si ab eodem omnia fiant, jus patronatus est penes eum : si a pluribus, est penes omnes, ex plurium arbitrio exercendum. Nullum acquiritur hujusmodi jus sola fundi donatione. [3] Si ecclesia plurimorum ære collatitio erigatur, nullum alicui, vel omnibus, jus patronatus exurgit. Hinc in Statibus Fœderatis nullibi agnoscitur. Jus patronatus ex serie longissima præsentationum probari potest, etsi titulus non alias liqueat. Concessione Papæ haberi etiam potest.

97. Jus patronatus *ecclesiasticum* dicitur, quod alicui competit ratione beneficii quod ipse possidet, v. g. episcopatus : vel ex eo quod de bonis ecclesiasticis beneficium fundarit, vel dotarit. *Laicum* dicitur quod ex fundata, ædificata, vel dotata ecclesia, a se, vel a suis majoribus, oritur. Laicum censebitur, licet penes sacerdotem sit, qui jure majorum suorum fruitur.

98. Patrono laico conceduntur quatuor menses a die quo beneficium vacare noverit, ut præsentet idoneum clericum : sex menses conceduntur ecclesiastico. Libere confert Episcopus beneficium cui voluerit, tempore illo absque præsentatione elapso. Si plures patroni præsentent diversos, ille cui major eorum pars favet præfertur : sed si paria sint suffragia, Episcopus ex præsentatis, pro conscientiæ suæ judicio, digniorem eligit : vel si scandalum inde oriturum sit, alium quemque ipse substituit. [4] Si patronus laicus duos præsentet, Episcopus alterutrum instituit : si ecclesiasticus eos præsentet, qui prior est præsentatus, instituendus est, si fuerit dignus : [5] si dignus non fuerit, Episcopus alii cuicumque, pro conscientiæ suæ arbitrio, confert beneficium : ecclesiasticus enim indignum præsentans, suo cadit jure pro ea vice. Patronus haud se ipsum, [6] sed filium suum præsentare potest : etiam ipse beneficium possidere, Episcopo sponte illud ei conferente, motu scilicet proprio vel ejus precibus humilibus assentiendo. Si laicus præsentet indignum, monendus est ut alium præsentet : sed si dignum præsentet, digniori prætermisso, instituendus est. Si altera vice indignum præsentet, jure suo cadit, quod ad Episcopum devolvit. [7]

99. *Electio* est designatio per suffragia facta alicujus qui ad beneficium, vel munus, idoneus sit. Jus ad beneficium electione comparatur; sed confirmatione superioris opus est ut jus in eo sit : quapropter immiscens se antea ei administrando jure ex electione orto cadit. [8]

100. Electio fit *per scrutinium*, suffragiis secreto latis; vel per *compromissum*, omnibus ad unum vel plures jus eligendi transferentibus, eorum judicio subscripturis ; vel per *inspirationem*, omnibus uno veluti animi impetu in unum consentientibus. [9] Viva voce fit electio, quoties suffragia palam

(1) Cap. ii. *de concess. præb.*
(2) Reg. xxii. Cancell.
(3) Barbosa, *de off. et pot. ep.* iii. alleg.
(4) Cap. iii. *de jure patron.*
(5) Cap. xxiv. *eod. tit.*
(6) Cap. xxv. *eod. tit.*
(7) Barbosa, alleg. lxxii. 105.
(8) Cap. v. *de elect.* in 6. (9) Lat. iv. c. xxiv.

feruntur. Ut electio valeat, requiritur 1. ut in viris eligendis electores sint saltem subdiaconi; [1] 2. ut omnes qui suffragii ferendi jus habent, vocentur: nihil autem obstat, si aliquis noluerit venire, vel non potuerit; [2] 3. ut major vel sanior pars eligentium in unum consentiat : [3] sanior autem censetur pars quæ electionem juxta canonum præscriptum tenet.

101. *Postulatio* dicitur obsecratio superiori porrecta ut aliquem dignetur ad beneficium vacans admittere, qui eligi non poterat ob impedimentum canonicum, quod non est vitium corporis, vel animæ.

102. *Confirmatio* est actus superioris robur tribuens electioni, vel postulationi. Nisi petatur intra tres menses a notitia electionis, hæc irrita est. [4]

103. *Resignatio* est spontanea sui beneficii dimissio coram superiore legitimo, eam acceptante, facta. *Simplex* resignatio ea est quæ nulla oneratur conditione. Si fiat ea conditione ut beneficium cuiquam conferatur, dicitur *resignatio in favorem :* si conditio sit, ut aliud resignanti conferatur beneficium, est *permutatio.*

104. Simplex resignatio licet, sed æqua ex causa facienda est : non enim temere quis debet suo se munere abdicare. Pleræque resignationum causæ versu hoc continentur :

> Debilis, ignorans, male conscius, irregularis,
> Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Vide et Constitutionem lviii. S. Pii V.

105. Valet resignatio facta a reo, qui ob crimen beneficio privandum se timet : sed irrita haberi poterit, si justitiæ exercendæ id utile sit. Non valet si extorqueatur metu injusto, vel dolo, vel vi. [5]

106. Resignatio in favorem, vel alia conditione onerata, nequit fieri, nisi ex Papæ auctoritate : nam jure communi prohibetur omnis pactio in beneficiis : [6] quapropter resignans non perdit jus suum, nisi postquam Papa acceptaverit resignationem. [7] Consensus patroni laici requiritur, quum alioquin suo jure præsentandi fraudari videretur, alio in beneficium absque ejus consensu immisso. Acceptari debet etiam, antequam resignans suo cadat jure. Si resignans sit infirmus, et intra viginti dies a resignatione decedat, resignatio caret robore, et beneficium per obitum censetur vacare. [8] Debet fieri ob utilitatem Ecclesiæ, haud privato studio et affectu : quod si fiat ob lucrum, vel commodum temporale, simoniæ labem secum trahit. Ægrotanti non licet resignatio cum conditione etiam tacita regressus si convaluerit. [9]

107. Reservari nequit pensio absque Papæ auctoritate, ob æquam causam, [10] qualis foret senium, vel infirmitas resignantis.

108. *Permutatio* beneficiorum fit, dum duo in favorem resignant, alter alterius, et vicissim. Exigitur Episcopi auctoritas; et, si in diversis diœcesibus sita sint, utriusque Episcopi consensus. « In permutatione, » inquit D. Thomas, « est simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel

(1) Clement. ii. *de œtate.* Conc. Trid. Sess. xxiv. c. iv. de ref. (2) Cap. xxviii. *de elect.*

(3) Conc. Lat. iv. cap. xxiv.

(4) Cap. vi. *de elect.* in 6.

(5) C. iv. *Quæ vi metusve caussa fiunt*, et c. v. *de renuntiat.* et Clement I. *de pœnis.*

(6) Can. *Plerique*, 8. qu. i.

(7) Cap. ult. *de renunt.*

(8) Reg. Cancellariæ *de infirmis.*

(9) Conc. Trid. Sess. xxv. c. vii. et Bull. cxxxiv. Pii V.

(10) Vide Constit. Benedicti XIV. *In sublimi beati Petri cathedra,* editam 4 kal. Sept. 1741. t. i. p. 71.

alterius, talis commutatio fiat. Si autem pro aliquo spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simonia. »[1]

109. Ut quis capax sit beneficii possidendi requiritur 1. Ut ex thoro legitimo natus sit : Episcopus tamen dispensare potest ut spurius recipiat beneficium simplex, sicut et minores ordines cum tonsura :[2] Papæ desideratur auctoritas ut ultra progrediatur. 2. Ut sit clericus, tonsura scilicet saltem initiatus :[3] quod si beneficium exigat ordinem sacrum, debet saltem intra annum eum suscipere.[4] 3. Ætas idonea requiritur;[5] ad episcopatum scilicet trigesimus annus completus;[6] ad abbatias, dignitates et parœcias vigesimus quintus inchoatus;[7] ad dignitates absque cura animarum, annus vigesimus secundus completus;[8] ad beneficia simplicia annus decimus quartus;[9] ad canonicatum Ecclesiæ cathedralis annus vigesimus secundus completus. 4. Cœlibatus requiritur, ita ut qui conjugium init, ipso jure amittat beneficium.[10] Conjugatus ad beneficia non admittitur, « nisi forte castitatem voveret perpetuam, et qui unicam et virginem habuisset uxorem. »[11] 5. Immunitas a censura et irregularitate etiam occulta, necessaria est; alioquin nulla est beneficii collatio, et quæ ei præcessit electio, præsentatio, vel resignatio in favorem.[12] 6. Morum probitas desideratur; attamen collatio per se non est nulla, nisi crimen censuram, vel irregularitatem annexam habeat.[13] 7. Scientia necessaria ad munera beneficio annexa obeunda requiritur.[14] 8. Corporis quoque aptitudo : cæcus scilicet non posset ad beneficium eligi, quamvis illud non amittat, cæcitate superveniente. 9. Vocatio divina.[15] 10. Intentio perseverandi, et suscipiendi ordinem muneri suo necessarium, exigitur : qua deficiente, reus censetur peccati mortalis : quamvis eum ad restituendum fructus, si solverit officium, plerique theologi non ligent; implevit scilicet onus per id temporis præscriptum. Quod si parœciam susceperit absque animo suscipiendi sacerdotium intra annum, et animum haud mutaverit, tenetur ante omnem sententiam fructus perceptos restituere, et dimittere beneficium : eo enim privatur ipso facto.[16]

110. Plura beneficia, etiam simplicia, simul retinere non licet, si unum congruam suppeditet sustentationem : secus beneficium simplex alteri adjungere licebit.[17]

111. Indigno conferre beneficium, etiam simplex, peccatum est mortale : nam Ecclesiæ præcepto plane repugnat,[18] et in ejus perniciem cedit. Minus digno conferre episcopatum, prætermisso digniori, est peccatum mortale, prout declaravit Concilium Tridentinum, dicens : « Omnes et singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus habent, aut alioquin operam suam præstant. . . mortaliter peccare, nisi quos dignio-

(1) In iv. dist. xxv. qu. iii. art. iii. ad 8.

(2) C. i. *de filiis presbyter.* in 6. et c. xx. *de electione.*

(3) C. vi. *de transact.* et c. ii. *de instit.*

(4) C. xxii. *de elect.* et ex Clement. ii. *de ætate* et Conc. Trid. Sess. xxii. c. iv. *de ref.*

(5) C. vii. *de elect.*

(6) Ibidem.

(7) Ibidem.

(8) Conc. Trid. Sess. xxiv. c. xiii.

(9) Ibid. Sess. xxiii. c. vi.

(10) Cap. ii. iii. v. et viii. *de cleric. conjug.*

(11) Cap. ii. eod. tit.

(12) C. vii. *de cleric. excom.* c. viii. *de ætat.* et c. ult. *de cleric. pugnant.* et c. xviii. *de sent. exc.* in 6.

(13) C. xi. *de excess. præl.*

(14) C. vii. *de elect.*

(15) Heb. v. 4.

(16) Cap. xxxv. *de elect.* in 6.

(17) Conc. Trid. Sess. xxiv. c. xvii. *de Ref.*

(18) Lat. iv. cap. *Grave*, de præbend.

res et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint. »[1] Id de parœciis decrevit etiam Pius V., Concilii menti[2] inhærens : « Ut non solum dignis, sed etiam magis idoneis repertis, juxta Concilii Tridentini decretum, parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, et eadem auctoritate decernimus. »[3] Innocentius XI. insuper damnavit propositionem sequentem : « Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes peccare mortaliter, qui nisi quos digniores, vel Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel 1. videtur per hoc digniores, non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel 2. locutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur 3. quando fit concursus. » Equidem quum animarum profectus et salus ex Præsulum et parochorum virtute et studio adeo pendeat, grave procul dubio peccatum est digniorem prætermittere. Cæterum dignior censetur, qui, omnibus rerum adjunctis perpensis, magis utilis videtur : aliquando enim qui sanctioris est vitæ minus idoneus muneri est : ideo dicit S. Thomas : « Necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune. »[4] Beneficia simplicia dignioribus etiam conferenda suadet ratio et auctoritas : et graviter peccare censent plurimi eum qui digniorem prætermittit.

112. Beneficia amittuntur morte; libera resignatione a superiore acceptata; judicis sententia ob crimen rite probatum in judicio, et hac pœna juxta canones puniendum, v. g. homicidium, sacrilegium, adulterium, vel fornicationem, perjurium, etc. Jus etiam statuit beneficium prius amitti, si quis aliud consequatur *incompatibile :* si conjugium contrahat; si professionem in religione probata emittat; si crimen patret cui privatio ipso facto adnexa sit, v. g. si in hæresim incidat, vel schisma; si simoniæ labem admiserit in beneficio ineundo; si litteras apostolicas falso cudat, vel vitiet; si sodomia se inquinet; si per sicarium pretio conductum alterum occidat.

113. *Pensio* est jus percipiendi fructus ex alterius beneficio. Ad eam constituendam plerumque exigitur Papæ dispensatio : nam jus exigit, « ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. » Episcopi in quibusdam rerum adjunctis eam constituunt, juxta Concilium Tridentinum.[5] Qui ea fruitur tenetur sub mortali recitare quotidie Officium B. Mariæ V.[6]

114. Nemo beneficio vel munere sacro privatur a patrono, vel laica quacumque potestate : omne enim privilegium præsentatione exhauritur : idcirco nequit patronus ullatenus se in beneficii administratione immiscere. Qui beneficio gaudet ne quidem ab Episcopo amovetur, nisi servato judicii ordine. Munus parœciale quale in his regionibus obtinet, non est stricti juris : quapropter parochus ad nutum amovibilis habetur, Episcopi arbitrio, quod æquum sit oportet : nam « satis perversum et contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra pro quorumdam voluntatibus quis privetur quem sua culpa vel facinus ab officii, quo fungitur, gradu non dejicit. »[7]

(1) Sess. xxiv. c. i. *de Ref.* (2) Ibidem, c. xviii.
(3) Const. xxxiii.
(4) 2. 2. qu. lxiii. art. ii.
(5) Sess. xxi. cap. vi. et Sess. xxiii. cap. xviii.
(6) Pius V. in Bulla, *Ex proximo.*
(7) S. Greg. M. ad Columb. Numidiæ ep. l. xii. ep. viii. dist. lvi. c. vii. Vide *Correspond. de Rome,* vol. i. p. 344. *Une question d'inamovibilité.*

TRACTATUS XIII.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

PARS I.

DE FIDE.

CAPUT I.

DE FIDEI NATURA.

1. Fides est « virtus theologica a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum, ob divinam veracitatem, omnibus quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proposuit. » Ita S. Alphonsus. [1] Eam a Deo infundi constat ex Apostolo, « Dei enim donum est. » [2] « Quum homo assentiendo his quæ sunt fidei, » ait S. Thomas, « elevetur supra naturam suam, oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus. » [3] Firmum omnino et indubium esse fidei assensum liquet, quum res sperandas intellectui offerat, et quæ non videntur, menti omnino exhibeat, juxta illud Apostoli : « Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. » [4] Et quidem Dei veritate innititur, ideoque omnem erroris formidinem excludit. Ideo damnatæ sunt propositiones sequentes : 19. « Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium. 20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. 21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis : imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus. 22. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit. » [5]

2. Fidei certitudo maxima est ; adeo ut præstet scientiæ humanæ : « Apostolus dicit 1. ad Thess. II. cap. « Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, » scilicet per fidem, « accepistis id non ut verbum hominum, sed, sicut vere

(1) Theol. Moral. l. ii. c. i. n. 2.
(2) 2. 2. qu. vi. art. i. *Resp.*
(3) Eph. ii. 8. (4) Heb. xi. 1.
(5) Inter prop. damnatas ab Innoc. XI.

est, verbum Dei. Sed nihil certius verbo Dei. Ergo scientia non est certior fide, nec aliquid aliud. »[1] « Sicut aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur. Et multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione, quæ falli potest. »[2]

3. Eadem omnibus fidelibus est : nam « una fides »[3] sicut unus est Dominus : cæterum perfectior et magis vivida est uni præ altero ; « dicit enim Dominus Petro, Matt. xiv. : « Modicæ fidei, quare dubitasti? » Et mulieri dixit, Matt. xv. : « Mulier, magna est fides tua. » . . . Potest ergo fides in aliquo dici major : uno modo, ex parte intellectus, propter majorem certitudinem, et firmitatem ; alio modo, ex parte voluntatis, propter majorem promptitudinem, seu devotionem, vel confidentiam. »[4]

4. « Ipsum credere, » inquit Augustinus, « nihil aliud est quam cum assensione cogitare. »[5] Sed assensio hæc ab opinione distinguitur firmitate et certitudine ; a scientia vero differt, quum res non pateat rationi : « actus iste, qui est credere, habet firmam adhæsionem ad unam partem, in quo convenit credens cum sciente et intelligente : et tamen ejus cognitio non est perfecta per maximam visionem. »[6] Nec temere assentitur intellectus, quamvis desit rei demonstratio evidens ; nam argumenta momentaque rationum probant rem revelatam, ideoque veram esse, utpote Dei suffultam auctoritate : « Fides non habet inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id, quod creditur : habet tamen inquisitionem quamdam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum ; puta quia sunt dicta a Deo, et miraculis confirmata. »[7] Hac ratione explicat S. Thomas Apostoli definitionem : « Sumitur argumentum pro argumenti effectu. Per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero : unde ipsa firma adhæsio intellectus ad veritatem fidei non apparentem, vocatur hic *argumentum.* Unde alia littera habet, *convictio :* quia scilicet per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non videt. »[8]

5. Objectum fidei est prima veritas : quidquid enim creditur, ideo creditur quod a Deo revelatum sit; « In fide si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud, quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinæ fides innititur, tamquam medio. Si vero consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia, quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum : prout scilicet per aliquos divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte objectum fidei est quodammodo veritas prima, in quantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum. »[9]

6. Falsum fidei subesse nequit, quum Dei veritate nitatur : cæterum quis poterit persuasum habere se fide tenere quæ humano errore sequitur ; uti contingit hæreticis certam notitiam peccatorum sibi remissorum, et justi-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. iv. art. viii. *Sed contra est.*
(2) Ibidem, ad ii. (3) Eph. iv. 5.
(4) S.Th. 2. 2. qu. v. art. iv. *Sed contra,* et *Resp.*
(5) L. *de prædestinatione Sanctorum,* c. ii.
(6) S. Thom. 2. 2. qu. ii. art. i. *Resp.*
(7) Ibidem. *Ad primum.*
(8) Ibidem, qu. iv. art. i. *Resp.*
(9) Ibidem, qu. 1. art. 1. *Resp.*

tiæ Christi sibi imputatæ, jactantibus. Poterit etiam fidelis falli de re singulari, quæ veritate et principio fidei contineri videatur, v. g. de Christi Domini præsentia in hostia, quam a sacerdote consecratam fuisse existimat : sed « fides credentis non refertur ad has species panis, vel illas, sed ad hoc quod verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quando recte fuerit consecratum. » [1]

7. *Fides* dicitur « argumentum non apparentium : » neque enim quæ videntur fide tenenda sunt. Cæterum ex visione aliquando oritur fides rei visui haud subjectæ, sicut « Thomas aliud vidit, et aliud credidit; hominem vidit, et Deum credens, confessus est, cum dixit : Dominus meus et Deus meus. » [2] Sic Ecclesia sensibus subjacet : est enim hominum cœtus; sed fide agnoscimus ejus dotes et privilegia divinitus tributa.

8. Quæ sciuntur non possunt fide teneri, ea saltem ratione qua scientiæ patent : fides enim est assensus rei non manifestæ nixus auctoritate Dei. Hinc videtur S. Thomas sentire, eum cui, certis argumentis ex rerum natura, vel alio fonte naturali, derivatis, persuasum est Deum existere, non posse fidem hac de re habere, [3] quamvis fateatur plura alia fide excipi posse, quæ ratio non adeo aperte demonstrat : « Multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione investigare philosophi non potuerunt, puta circa providentiam ejus et omnipotentiam, et quod ipse solus sit colendus : quæ omnia continentur sub articulo unitatis Dei. » [4] Deum esse et alia hujusmodi quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1., non sunt articuli fidei, sed præambula ad fidem. Sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam. » [5] Cæterum existimamus omnes, etiam qui perspectum habent ratione naturali Deum existere, debere fide tenere « *Quia est :* » [6] nec obstant demonstrationes philosophicæ, quum non ita se prodat Numen ratiocinanti, ut tollatur omnis caligo. Ipse tradit, « quod necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt. . . . Ut ergo esset indubitata, et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest. » [7]

9. « *Per se* ad fidem pertinent illa, quæ directe nos ordinant ad vitam æternam, sicut sunt tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis Christi, et alia hujusmodi. Et secundum ista distinguuntur articuli fidei. Quædam vero proponuntur in sacra Scriptura ut credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad prædictorum manifestationem : sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuus : et alia hujusmodi. » [8] Sic auctoritas Præsulum Ecclesiæ in novo Testamento est eo directa, ut certo innotescant credenda divina mysteria; ideoque *per se* ad fidem non pertinet, quamvis omnino sit fide excipienda.

10. Progrediente tempore Deus se suaque consilia amplius revelavit; fidei tamen substantia eadem mansit : nam ipso credendi principio omnia includebantur. « Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deus esse,

(1) S. Thom. 2. 2. qu. i. art. i. ad 4.
(2) Ibidem, art. iv. ad i.
(3) Ibidem, *Resp.*
(4) Ibid. art. viii. ad i.
(5) Ibidem, 1. p. qu. ii. art. ii. ad i.
(6) Heb. xi. 6.
(7) S. Thom. 2. 2. qu. ii. art. iv. *Resp.*
(8) Ibidem, qu. i. art. vi. Ad i.

et providentiam habere circa hominum salutem : secundum illud ad Heb. xi. : « Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit. » In esse enim divino includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit. In fide autem providentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quæ sunt via in beatitudinem. Et per hunc etiam modum aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis continentur : sicut in fide redemptionis humanæ implicite continentur et Incarnatio Christi, et ejus Passio, et omnia hujusmodi. »[1] Tota fidei doctrina a Christo et Apostolis tradita est, quæ tamen explicata est et definita progrediente tempore, pro necessitate eam tuendi contra hæreticorum artes, vel pro fidelium devotione. « Multa quidem, » inquit Augustinus, « ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, ut considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur, et ab adversario mota quæstio discendi existit occasio. »[2] Id iterum explicat S. Thomas : « Quantum ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem ; quia quæcumque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium patrum, licet implicite ; sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum ; quia quædam explicite credita sunt a posterioribus, quæ a prioribus non agnoscebantur explicite. »[3]

11. Quæcumque Deus revelavit, fide excipienda sunt; habent enim universa ipsum veritatis vadem. Ideo Christus jussit Apostolis, ut traderent « omnia quæcumque » ipsis mandaverat.[4] Equidem qui unam rejicit veritatem, quam a Deo revelatam esse testatur Ecclesia, omnium fundamentum evertit; adeo ut arbitrio potius, et lubito, quam Dei auctoritate certo cognita, cæteras tenere censendus sit : « Quicumque non inhæret, sicut infallibili et divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei : sed ea quæ sunt fidei, alio modo tenet, quam per fidem : sicut si aliquis teneat mente aliquam conclusionem, non cognoscens medium illius demonstrationis, manifestum est quod non habet ejus scientiam, sed opinionem solum. Manifestum est autem, quod ille qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tamquam infallibili regulæ, omnibus assentit quæ Ecclesia docet; alioquin si de his quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, et quæ non vult, non tenet, non jam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, sicut infallibili regulæ, sed propriæ voluntati. Et sic manifestum est, quod hæreticus, qui pertinaciter discredit unum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ. Si enim non pertinaciter, jam non est hæreticus ; sed solum errans. Unde manifestum est, quod talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem. »[5]

CAPUT II.

DE FIDEI SYMBOLIS.

12. Præcipua quæ credenda sunt, *Symbolo* recensentur ; scilicet quæ re-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. i. art. vii. *Resp.*
(2) L. xvi. de civ. Dei, c. ii.
(3) 2. 2. qu. 1. ad 7. (4) Matth. xxviii. 20.
(5) S. Thom. 2. 2. qu. v. art. iii. *Resp.*

spiciunt Deum unum, et trinum, redemptionis mysterium, et subsidia salutis nobis in Ecclesia præstita, ut vitam æternam consequamur. « Illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruemur, et per quæ ducemur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, scilicet occultum divinitatis cujus visio nos beatos facit : et mysterium humanitatis Christi, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus : ut dicitur ad Rom. v. Unde dicitur Joan. xvii. : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. . . . » Proponuntur nobis opera divinitatis propria ; quorum primum pertinet ad esse naturæ : et sic proponitur nobis articulus creationis : secundum vero pertinet ad esse gratiæ : et sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam : tertium vero pertinet ad esse gloriæ : et sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis, et de vita æterna. » [1]

13. Quanta cum utilitate omnium præcipuæ fidei veritates Symbolo enuntientur, præclare explicat S. Thomas : « Veritas fidei in sacra Scriptura diffuse continetur, et variis modis, et in quibusdam obscure : ita quod ad eliciendum fidei veritatem ex sacra Scriptura, requiritur longum studium et exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem : quorum plerique, aliis negotiis occupati, studio vacare non possunt. Et ideo fuit necessarium, ut ex sententiis sacræ Scripturæ aliquid manifestum summarie colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum : quod quidem non est additum sacræ Scripturæ, sed potius ex sacra Scriptura sumptum. » [2]

14. Symbolum, quod *Apostolorum* dicitur, eo quod Apostoli existimentur illud condidisse, tesseræ instar, antequam in orbem universum discesserint, Evangelium prædicaturi, quod tamen in quæstione ponitur, eorum ætate certe non est longe posterius, quum ab antiquissimo tempore ubique usurpatum inveniatur, nonnulla tamen in vocibus varietate. Illud ad Apostolos auctores referendum esse suadent vetus ille mos et traditio. Equidem Ruffinus testatus est majores ita tradidisse. S. Hieronymus ait : « In Symbolo fidei et spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis et unitatem Ecclesiæ, omne christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur. » [3] Ambrosius ad illud apud Ecclesiam Romanam integrum servatum provocavit : « Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, et servat. » [4] Quæ autem dicit Tertullianus de regula fidei ab Apostolorum traditione descendente, « credendi scilicet in unum Deum omnipotentem, mundi Conditorem, et in Filium ejus Jesum Christum ; » [5] et quæ pari ratione laudat Irenæus, « fidem in unum Deum Patrem omnipotentem » [6] videntur non tantum doctrinam, sed et verborum formam respicere. Quod autem nonnulla sit apud Ecclesias quasdam vocum varietas, mirum non est, quum scripto ab Apostolis non fuerit demandatum, sed memoriæ fidelium commissum ; et hæresibus exortis, quædam voces,

(1) S. Thom. 2. 2. qu. i. art. viii. *Resp.*
(2) Ibidem, art. ix. ad 1.
(3) Ep. lxi. *ad Pammach.*
(4) L. i. Ep. 7. *ad Siricium.*
(5) L. *de velandis virginibus*, cap. i. Vide et l. *de præscript.* c. xiii. (6) L. i. *adv. hær.* c. ii.

eas rejiciendi causa, alicubi sint adjectæ. Sed concordia omnium Symboli exemplarium in articulis præcipuis, et eorum serie, sicut etiam in vocibus plerumque, ostendit originem communem, quam apostolicam esse non dubitamus. Illud ad Apostolorum ætatem referre non renuit Calvinus, licet Apostolis abjudicet. « Neque vero mihi dubium est, quin a prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipso Apostolorum sæculo, instar publicæ et omnium calculis receptæ confessionis, obtinuerit. » [1]

15. Symbolum vetus *Romæ usurpatum* his verbis constitisse ex Ruffino colligimus : « Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum, Filium ejus Unigenitum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, crucifixus sub Pontio Pilato, mortuus et sepultus : tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem. »

16. *Aquilejense exemplar* voces « invisibilem et impassibilem, » primo articulo adjungebat; « descendit ad inferna, » post ea quæ mortem et sepulturam respiciunt; et « Catholicam » designat Ecclesiam, prout in Symbolis orientalibus constanter designatur, quæ et habent articulum de vita æterna. [2]

17. Explicatior fuit apud Orientales fidei formula, ob hæreses apud eos statim post Apostolorum ætatem ortas, quas rejicere oportebat, adjectis Symbolo vocibus. Profecto quam exposuit Cyrillus fidelibus ex veteri Ecclesiæ Hierosolymitanæ usu, et quam Eusebius Cæsareensis in *Concilio Nicæno* recitavit, olim dum ipse baptizaretur usurpatam, fusior est Romana. Nicæni patres ad Arii impietatem evellendam plures voces adjecerunt : sic enim Symbolum ab iis est recitatum : « Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium Creatorem : et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris : Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum : consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo sunt, et in terra. Qui propter nos homines, et propter salutem nostram descendit, incarnatusque et homo factus est, et passus. Qui resurrexit tertia post die : adscendit ad cœlos : venturus est, ut vivos judicet, et mortuos. Credimus et in Spiritum sanctum; eos autem, qui dicunt, fuit aliquando tempus, quum non esset, et antequam gigneretur, non erat, vel quod de non exstantibus factus est; aut qui ex altera substantia, vel essentia dicunt esse Filium Dei, aut creatum, aut conversioni mutationique obnoxium, anathemate ferit sancta Catholica et Apostolica Ecclesia. »

18. Post ortam hæresim Macedonii, qui Spiritum sanctum Deum esse negavit, *Constantinopolitani Concilii* Patres, aliqua adjecerunt Symbolo quibus eum Deum agnoscebant, vocesque aliquas de Patre et Filio immutarunt, claritatis causa. Prædicant igitur Patrem « factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium : » Filium autem « natum ante omnia sæcula; . . de Spiritu sancto ex Maria Virgine . . . crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato . . . et sepultus . . . sedet ad dextram Dei, cujus regni non erit finis. » . . Spiritum sanctum

(1) *Instit.* l. ii. c. xvi.

(2) Vide S. Cyrilli Hieros. Catecheses.

agnoscunt « Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit : qui cum Patre et Filio simul adoratur et glorificatur. »

19. Sæculo sequiori in quibusdam ecclesiis Occidentis voces : « et Filio, » adjectæ sunt, ut Spiritus sanctus ex utroque procedere intelligeretur, prout semper intellexerat Ecclesia ; quamvis, grassante hæresi Macedonii, voces illæ possent detorqueri ad significandum eum a Filio, instar rerum omnium creatarum, conditum. Additionem ob dissidiorum periculum improbaverunt Joannes VIII. et Leo III ; sed tandem mori inducto suæ auctoritatis robur adjecit Nicolaus I.

20. Symbolo ita aucto utitur inter Missarum solemnia Ecclesia per orbem, Apostolico Symbolo inter ritus Baptismi, et dum sacerdotium confertur, adhibito. Post ortas hæreses sexto decimo sæculo, edita est auctoritate Pii IV. juxta definitiones *Tridentini Concilii*, fidei professio, quæ Symbolo Nicæno-Constantinopolitano plura adjungit, quibus hæresum illarum suspicio procul amovetur. « Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia, et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium, pro vivis, et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem ; quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari : similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem, et magistram agnosco ; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus et OEcumenicis Conciliis, ac præcipue a

sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. »

21. Hæc fidei professio facienda est a Præsulibus Ecclesiasticis, et ab omnibus qui obtinent dignitates, vel beneficia cum cura animarum. [1] Facienda est etiam a Missionariis omnibus, saltem quando in synodo conveniunt.

22. Quod plura ea contineantur quæ *per se* ad fidem non pertinent, sensu quo D. Thomas loquitur, non obstat; quum ob nexum cum iis quæ ita spectant fidem, plurimum habeant momenti, et divina innitantur veritate. Quod autem tot articuli simul adjicerentur Symbolo, contigit ex hæreticorum nimia audacia, terminos evellentium quos posuerant Patres, et certissima et antiquissima Ecclesiæ principia conculcantium. Nihil autem novi accessit fidei; sed quæ dogmata ex constanti prædicatione et usu Ecclesiæ semper fuerant celebrata, explicatius proposita sunt, pro veteri Ecclesiæ more; quippe « nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. » [2] Equidem « in doctrina Christi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata. Sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam et cæteras doctrinas et Scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditionem, sicut dicitur II. Petri ult., ideo necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores. » [3] Quod objicere consueverunt novatores Ephesini Concilii decretum, ne nova conderetur fidei formula, jam olim ab Angelico Doctore solutum est: « Prohibitio et sententia Synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per hujusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere; non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis expositam. Sic enim quælibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens Synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus authoritate Synodus congregatur, et ejus sententia confirmatur. » [4]

23. Celebre est quoque Symbolum *Athanasianum*, quod in Officio Dominicali recitatur. Nomen ab Athanasio, mysterii quod explicat vindice, mutuatum est; quamvis recentiorum judicio plerorumque non habeatur ejus auctor. Id exploratum videtur, plura quæ e diametro adversantur hæresibus ejus ætate posterioribus vix posse ei adscribi; nec enim unquam objecta sunt hæresum auctoribus: quod contigisset utique, si Athanasii nomine,

(1) Conc. Trid. Sess. xxiv. *de Ref.* c. xii.

(2) 2. 2æ. qu. i. art. x. *Resp.*

(3) Ibidem, ad I. Jeremias Taylor de additionibus Symbolo factis in Concilio Nicæno dicit: « If this precedent had been followed by all councils, (and certainly they had equal power, if they had thought it equally reasonable) . . . to what a volume had the creed by this time swelled? » *Liberty of Prophesying*, sect. ii. (4) 2. 2. qu. i. art. x. ad II.

et Ecclesiæ publico usu, celebrata jam fuissent.

CAPUT III.

DE FIDEI NECESSITATE.

24. Fidem ad salutem omnino requiri constat ex Apostolo : « Sine fide autem impossibile est placere Deo. »[1] Eam adultis necessariam esse *necessitate salutis* dicunt, post D. Thomam, Scholæ doctores. Tridentinum Concilium etiam : « sine qua nulli unquam contigit justificatio. »[2] Constat Deum remuneratorem necessario agnoscendum : « Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. »[3] Ex quo Christus Dominus Apostolos in universum orbem misit, fidei doctrinam tradituros, Trinitatis et Incarnationis mysteria pari necessitate credenda censent plerique theologi, ex Christi ipsius verbis colligentes : « Hæc est autem vita æterna : Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. »[4] Quum autem eorum conditio qui omni externo subsidio ad notitiam mysteriorum horum careant, objiciatur, ad occulta justissimaque Dei decreta confugiunt, obicemque divino lumini culpa poni conjiciunt, cum D. Thoma : « hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis in sylvis, vel inter bruta animalia enutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, certissime tenendum est quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Act. x. »[5] Cæterum Cardinalis Gotti, quem plures sequuntur, ait : « Sententia negans fidem explicitam Christi, et Trinitatis esse ita necessariam, ut sine ea nemo justificari, aut salvari queat, valde probabilis est. »[6] Ea credenda esse ex præcepto omnes fatentur : omnibus enim quibus promulgatur Evangelium necessario proponenda sunt, et fide tenenda : « post tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis : et omnes qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis : »[7] quapropter venia sacramentali dignus non est qui ea sua culpa ignorat, prout constat ex damnatione propositionis : « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. »[8]

25. « Notant autem Tannerus, Sylvius, Azor . . . quod si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria percipere nequeat, tunc excusatur ratione impotentiæ, et comparatur infantibus ac fatuis. Attamen Sanchez dicit quod aliud est credere, aliud scire mysteria, nempe rationem de iis reddere, unde censet omnes adultos teneri necessitate medii aliquando hujusmodi mysteria credere, necessitate vero præcepti ea scire ; a quo præcepto scientiæ excusari mente obtusos. »[9] Si quis mysteria illa ignorans absolutione donatus fuerit, debet deinceps confessionem iterare, quum probabile sit

(1) Heb. xi. 6.
(2) Sess. vi. Decr. *de Justif.* c. vii.
(3) Heb. xi. 6. (4) Joan. xvii. 3.
(5) Qu. xiv. *de veritate*, art. xi. *ad primum.*
(6) Theol. t. 2. tr. 9. qu. 2. D. 4. §. i. n. 2.
(7) S. Thom. 2. 2. qu. ii. art. viii. *Resp.*
(8) Prop. 64. damn. ab Innoc. XI.
(9) S. Alph. l. ii. Tract. i. c. i. n. 2.

priorem haud valuisse. Profecto jubet Benedictus XIV. ut confessarius « fixum illud immotumque semper animo habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius, excussa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem fidei educantur. »[1] Peccat autem confessarius absolvendo extra casum necessitatis eum qui ignorat mysteria Trinitatis et Incarnationis, quum exponat Sacramentum periculo nullitatis.[2]

26. Præter fidem explicitam præcipuorum mysteriorum, *implicite credenda* sunt omnia quæ Deus per Ecclesiam credenda proponit. Quæ Symbolo apostolico continentur, præsertim fide amplecti oportet; fert enim mos universalis ut illud memoriæ ab omnibus mandetur. Quod si rudis adeo quis fuerit ut illud retinere nequeat, sat erit, ut, alio recitante vel explicante, fidei assensum singulis præstet, prout colligitur ex Concilio Limano : « doceantur demum pro suo modo præcipua fidei capita. »[3]

27. Decalogum, Orationem dominicam, una cum Symbolo, et quæ ad Sacramenta suscipienda necessaria sunt scitu, et modum formandæ crucis, ex præcepto addiscenda esse docent theologi, nixi perpetua Ecclesiæ consuetudine. Graviter igitur peccare censendi sunt parentes, qui ea filios edocere negligunt; vel parochi qui ut tradantur haud curant.

28. Præceptum fidei actus eliciendi interius, obligat omnes quibus veritates a Deo revelatæ satis propositæ sunt. Idcirco fidelium filii a parochis, vel parentibus edocti, debent interno animi assensu divinam colere veritatem : quod quamprimum post usum rationis adeptum facere oportet.[4] Ita etiam quicumque legitimum audierint Dei verbi præconem, juxta illud Christi: « Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. »[5] Hinc Apostolus de iis qui rejecerunt evangelicam prædicationem, scribit : « Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum: in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi »[6] Igitur occasione data veros Christi præcones audiendi, vix excusantur qui doctrinam fidei non amplectuntur; quum Deus præsto sit legitimis verbi præconibus, ideoque audientium mentes gratia illustret, nisi obicem suo vitio objiciant. Orta autem dubitatione de secta in qua quis versetur, tenetur procul dubio quærere veritatem, et toto mentis studio divinum implorare lumen, salutem omnibus hujus mundi utilitatibus antelaturus. Plurimi hac ex parte peccant, quod nolint inquirere, vel attenta mente considerare veritatis argumenta. Merito damnata est propositio : « Ab infidelitate excusabitur non credens ductus opinione minus probabili. »[7]

29. Quoties eliciendus sit fidei actus, inquirunt theologi. Equidem quum Deus colatur obsequio veritati ejus præstito, sæpius hac ratione honorandus est. Merito igitur damnatæ sunt propositiones sequentes : « Fides non censetur cadere sub præceptum speciale secundum se. » « Satis est actum fidei semel in vita elicere. »[8]

(1) Const. *Etsi minime*, t. i. Bull. pag. 110.
(2) Voigt, *Tract. de fide*, *casus* ii. n. 356.
(3) Apud Ben. XIV. *de Syn.* l. viii. c. xiv.
(4) Mayol, *Disput. Præambula* ad Decalogum, qu. i. art. i. §. i.
(5) Marc. xvi. 15.
(6) II. Cor. iv. 3.
(7) IV. inter damnatas ab Innoc. XI.
(8) xvi. xvii. ibidem.

Plerique censent semel saltem in anno eliciendum esse; sed consentiunt eam virtutum pietatisque exercitiis contineri, ideoque de speciali fidei exercitio non oportere solicitiorem esse, qui vacat Dei cultui et piis operibus.[1] Contingere autem potest, ut tentatione urgente specialis fidei actus eliciendus sit, vel quando exterius fidei professio est facienda. Morte appropinquante, fide mens ad Deum elevanda est, et quæ paravit diligentibus se spectanda.

30. Externa fidei confessio facienda est quoties eam exigit Dei honor, vel proximi utilitas: « corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. »[2] Ex lege Tridentina, fidei professio facienda est a Præsulibus in prima Synodo provinciali cui interfuerint,[3] et a provisis de beneficio curato intra duos menses a die possessionis coram Episcopo, aut Vicario ejus generali.[4] Interrogatus a potestate publica juxta leges debet etiam fidei professione Deum honorare; tacendo enim et dissimulando divino honori detrahit: quapropter damnata est propositio: « Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno. »[5] Cæterum si contra juris ordinem quis interrogetur a judice, vel magistratu, non videtur peccare respondere recusando. In his provinciis, in quibus leges religionis seu fidei civium nullam volunt haberi rationem, poterit quis plerumque jure suo niti, et interrogationem veluti extra ordinem rejicere. Multo magis poterit quis curiositati privatorum nolle satisfacere. Numquam autem licet fidem negare, sive voce, sive signo, ne quidem ad mortem vitandam; Christus enim ait: « Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.»[6] Voce negaret fidem, qui interrogatus, utrum esset *Romanista*, *Papista*, responderet se non esse, si ex circumstantiis non posset colligi eum negare, ob voces illas invidiæ et contumeliæ plenas. Signo vel re negasse fidem censendus foret, qui Quakerorum vestes indutus in eorum cœtu silens, veluti meditabundus, aliorum instar consideret. Sic etiam qui ad loca, in quibus excipiuntur qui conversionem profitentur in cœtibus Presbyterianorum, vel aliorum, accederet, et inter cæteros sederet, vel genua flecteret, veluti oraturus, fidem negasse videretur. Non ita fidei negatæ reus censeretur, qui iter faciendo inter hæreticos, vel inter eos commorando, carnes comederet ad eorum molestias vitandas, quia id fidei negationem non importat: nam sæpe fit ex necessitate, vel gula. Peccaret autem contra legem Ecclesiæ, nisi gravis admodum ratio ostendat difficultatem nimiam eum a lege servanda habere excusatum. Excusari poterit quandoque puella quæ carnes manducat, verens ne pater vehementer excandescat, eam ad Catholicam Ecclesiam transiisse percipiens: non tamen ob irrisionem, vel levem aliquam molestiam, erit excusanda. Uti vestibus Quakerorum ad se occultandum fugiendo, non esset fidei negatio, quum illa vestium forma non sit omnino illius sectæ propria; alii enim forma haud absimili utuntur. Sic excusantur qui Turcarum vestibus communibus induuntur, ut secure transeant; sunt scilicet gentis, potius quam cultus, indicia.[7]

(1) Mayol. *Disp. Præambul. ad Dec.* qu. i. art. i. §. 2.

(2) Rom. x. 10. (3) Sess. xxv. c. ii.

(4) Sess. xxiv. c. xii. *de Ref.*

(5) XVIII. inter damnatas ab Innoc. XI. anno 1679.

(6) Matth. x. 33.

(7) Vide Mayol, *Disp. Præamb.* qu. i. art. ii. §. 4.

31. Fugere, ut quis declinet persecutionem, plerumque licet, juxta Christi monitum: « Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. »[1] Cæterum si præsentia Præsulis valde necessaria sit ad fideles roborandos, mercenarium se proderet fugiendo; « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis..... Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. »[2] Si ejus vita e contra profutura sit ad fidei defensionem, eoque sublato dispergendæ sint oves, optime faciet se occultando, vel fugam arripiendo, donec hostium vis fuerit mitigata. « Manifestum est quod si quæratur sola persona prælati, possunt alii loco ipsius ad gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur, et gubernent gregem: unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves, et hoc modo, et casu fugere licet. »[3]

32. Si fidei professio et vindiciæ necessariæ sint ad hostium superbiam reprimendam, et ad infirmiores confortandos in fide, oportebit eam profiteri et tueri. « Confiteri fidem, » inquit Angelicus Doctor, « non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco et tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis impendenda; puta si aliquis interrogatus de fide taceret, et ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem removerentur a fide: in hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis. »[4] « In casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem. »[5] Non licet autem publicam concertationem de rebus fidei cum hæreticis inire absque Summi Pontificis venia.[6]

33. Audire hæreticorum conciones, non habetur signum professionis fidei, quamvis ab iis abstinendum sit. Equidem haud vacat periculo, plerisque ignaris aut infirmis præconum facundiam præ doctrinæ integritate æstimantibus. Præterea favor præstatur hæresi, cum pusillorum offensione et discrimine. Vetuit autem Paulus V. Anglis ne legi id præcipienti obtemperarent. « Accepimus namque compelli vos gravissimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse. . . Non licet vobis hæc facere sine detrimento divini cultus et vestræ salutis. »[7] Funus deducere per vicos ad cœmeterium, quum nullo ritu religioso apud eos fiat, censetur civile obsequium: nec tamen decet præconi in laudem defuncti concionanti præstare aures, quamvis ita ferat mos in hac regione. Adstare nuptiarum celebrationi æstimatur plerumque obsequii erga sponsos indicium, quin ritus hæretici probentur.[8] Cæterum ubi catholicus ita nuptias init coram sectæ ministro, spretis Ecclesiæ legibus, non decet catholicos, præsertim parentes, et sanguine magis conjunctos, sua præsentia id probare. Hæreticorum infantes non debent Catholici in Baptismo a præcone collato suscipere: operam enim præstant munus usurpanti, et censentur polliceri se eos in hæresi educaturo: sed nec decet

(1) Matth. x. 23. (2) Joann. x. 11, 13.
(3) S. Thom. l. iii. in c. x. Joan.
(4) Ibid. 2. 2. qu. iii. art. ii.
(5) Ibidem, ad 2.
(6) S. C. C. 8. Mar. 1625. cit. a Scavinio Theol. Mor. Vol. 3. Tract. 8. p. 273. (7) Breve Sept. 22. 1606.
(8) Mald. Con. Huet. Lugo Steph. La Croix, apud Amort, Vol. i. p. 296.

adstare dum baptizantur, nisi id exigat famulatus obsequium. Cum hæreticis orantibus, sive publice, sive privatim, genua flectere non videtur esse fidei negatio; intelligitur enim fieri humanitatis causa, et ut mos eis geratur; cæterum omnino improbandus est mos: favet enim hæresi, et perversionis periculum et pravum exemplum habet: idcirco famulis, quos domini solent ad id urgere, haud est ullatenus permittendum. Possunt autem dominos ad templa hæretica curru vehere, vel filiæ, vel uxori dominorum ad ea, protectionis causa, comitari, quin ritibus eorum interveniant. Infantes etiam baptizandos deferre licet, et brachio sustinere, dum ab hæretico præcone baptizantur: hæc enim omnia ad famulatum pertinent, nec cultus consortium probant. Elisæum permisisse Naamano ut regi in templo idola colenti comitaretur, ejusque vestem, dum adoraret idolum sustineret, [1] plerique censent, quamvis non omnes. [2]

34. In navibus Gubernii, sicut in arcibus, et aliis publicis plerumque locis, in ergastulis et in carceribus nonnullis, (vapulantibus qui recusant), coguntur omnes precibus adstare et concioni. Utrum autem id liceat dubitari potest. Equidem hæc plane adversantur cultus libertati, quam Constitutiones Generalis et speciales sanciunt: sed quum ordinis potius causa, quam sectæ favore id exigatur, et nemo cogatur cultum reapse præstare, videtur excusari qui se sistit præsentem ad declinandam pœnam, vel alia ex causa satis gravi, dummodo aperte profiteatur fidem catholicam, et omne cultus consortium evitet. Laudatur Origenes puer quod hæretico numquam inter orandum adstare sustineret. [3]

35. Ad omnem speciem consortii in rebus Religionis declinandam, et ne fideles qualibet de causa adeant ecclesias sectarum, non oportet plerumque sacerdotes catholicos, etiam rogatos, in iis concionari: cæterum ubi deest ecclesia catholica, vel locus alius opportunus, v. g. curia, non videntur culpandi qui in iis veritatem catholicam enuntiant. Non licet catholicis eas adire etiam ad concentus musicos audiendos, qui nihil habeant fidei adversum; nam plerumque præco aliquis orationem effundit, vel concionem habet, quo pacto ritus sacri habet speciem: vel loci occasione concentus cultus induit rationem: vel proventus in hæresis utilitates cedit, vel alias hæresi favetur. [4] Nec licet eas adire causa audiendi concionantes de temperantia, de libertate, aliisve de rebus, quibus plerumque plurima fidei contraria immiscent, falsis nixi principiis: sed nec expedit catholicos, etiam laicos, eisdem de rebus in sectarum Ecclesiis concionari; præsertim si acatholici simul concionem habeant, qui sæpe extra limites justos excurrunt. Si præco adsit qui preces effundat post concionem, sive in ecclesia habita sit, sive alibi, vix licet catholico concionari, quum sic videretur quodammodo religionis inire societatem. Cæterum si cœtus habeatur sub dio, vel in loco profano, occasione festi nationalis, vel alius solemnitatis civilis, non cul-

(1) IV. Reg. v. 19.

(2) Vide Mayol. *Disp. Præamb.* qu. ii. art. ii. §. 3.

(3) Euseb. hist. l. vi. c. 3.

(4) « It is certain, that heresies and schism are all others the greatest scandals; yea more than corruption of manners. For, as in the natural body, a wound, or solution of Continuity, is worse than a corrupt humour, so in the spiritual. So that nothing doth so much keep men out of the church, and drive men out of the church, as breach of unity. » Bacon Op. V. i. p. 381. *Essays Civil and Moral.* iii. *Of Unity in Religion.*

pandus est Orator ex eo quod præc preces fundat aliorum rogatu : nec enim consortium religionis censetur inire qui suas partes concionando agit.

36. « Fidem facto suo negare dicitur, qui ea faciat, quæ ad falsi numinis hæreticique hominis obsequium et cultum referantur : is enim facto suo falsam religionem profitetur. Atque hanc ob rem supremæ Inquisitionis decretis, anno 1626, et anno 1669, definitum est, nullo modo licere Christianis, nec ulla causa, aut motivo posse permitti, aut tolerari, ut operam suam navent ædificandis, instaurandis, verrendisque templis falsis numinibus, vel auctoribus falsarum sectarum dicatis ; aut eorumdem purgandis parietibus et pavimentis, mundandis altaribus, aperiendis, claudendisque foribus. » Ita refert P. Philippus de Carboneano, qui adjungit : [1] « Ratum vero habent ritum falsumque cultum, qui in schismaticorum, hæreticorum, infideliumque templis organa, vel alia instrumenta pulsent, metros canant, aut concinendos componant, vel artem musicam alio modo exerceant. » « Fidem negant etiam ii, qui in infidelium et hæreticorum scholis falsos eorumdem ritus, et profana a catholica fide aliena dogmata doceant, ex decreto supremæ Inquisitionis, 2 Maji 1711. Nam dum docent, facto suo approbant, falsamque profitentur religionem. » [2] Id intelligendum etiam de ludimagistris pueros catechismum Protestanticum docentibus.

37. Hæc ut ad res nostras transferamus, hæreticorum in hac regione templa Deo quidem dicantur, sed cultui haud probando inserviunt. Qui in eis canunt hymnos, organa pulsant, præconi respondent, plane cultus participes fiunt, ideoque fidem quodammodo produnt. Qui ea ædificant, instaurant, verrunt, non videntur consortium religionis inire ; sed operam quamdam præstant, a qua foret abstinendum, saltem nisi gravissima urgeat causa. « Excusantur, » judice Busembaum, a quo non dissentit S. Alphonsus, « qui Judæorum synagogas, hæreticorum templa, . . . ædificant, vel restaurant : præsertim si fieret æque sine ipsis. » [3] Equidem operarii plerique catholici in regionibus in quibus grassantur hæreses, gravissimum paterentur incommodum, sua opera deneganda : et alioquin nemini videntur probare cultum. Qui conferunt pecuniam ut ædificentur templa Protestantica, vel dono dant fundum in quo erigantur, favent falso cultui : item qui locant eis ædes cultus causa. Non autem peccant qui fundum vendunt, de usu ejus nihil paciscentes, licet norint in eo sectarum ædes erigendas ; vix enim possent absque invidia gravi conditionem adjicere, quod non erigantur, et alioquin non possent impedire earum erectionem in vicinia.

38. Qui in scholis publicis litterarum rudimenta tradunt, iis uti coguntur libris, quos rectores scholarum, a populo delecti, designant. Quum autem plerique libri plurima contineant religioni catholicæ adversa, oportet emendare explicatione opportuna vel omittere quæ minus accurata sint. Non debent versione protestantica Scripturarum uti, quum ea ratione auctoritas ejus agnosci videatur, et pueris in normam proponatur : sed si jubeant rectores eas legere, prout mos est, oportet catholicam adhibere versionem. Nec licet eis pueros docere hymnos protestanticos, vel quidquid hæresim sapit. Qui tradunt litteras

(1) Appendix ad Tract. Antoine, *De Virtutibus Theologicis.* par. i. c. ii.

(2) Ibidem.

(3) Apud S. Alphonsum, l. ii. n. 72.

vel in scholis privatis, vel in familiis, vel in monasteriis, vel collegiis Catholicis, nequeunt protestanticam versionem adhibere, licet parentes id expetant : nam faverent hæresi, et Ecclesiæ disciplinam violarent : sed nec debent musicæ magistri puellas puerosve hymnos erroribus infectos edocere canendos, vel instrumentis personandos : non autem peccant qui privatim personare carmina, quæ nihil erroris continent, docent, extra omnem cultus occasionem. Qui invitant præcones hæreticos ad ritus funebres peragendos, videntur eos agnoscere, quamvis id sibi haud proponant. Catholici autem quorum parentes protestantici decesserunt, videntur excusandi, si propinquis curam funeris committant, licet prævideant eos ministrum arcessituros : vix enim id evitare possunt, absque gravissima offensione.

39. Qui extra templa et omnem speciem cultus, publice canunt, prout fieri solet in concentu plurimorum, non videntur contra fidem peccare, licet carmina quædam de rebus sacris protestanticos habeant auctores, dummodo tamen nil fidei adversum canant : nam iis in rerum adjunctis nonnisi ad oblectamentum aurium referuntur. Peccarent autem si suam operam præstarent, ut pecunia inde colligenda in protestanticos cederet usus, v. g. ad templorum ædificationem, vel missionariorum impensas. Non peccant qui pecuniam operamve conferunt in levamen pauperum, ægrotorum, pupillorum, in ædibus quæ a Protestantibus reguntur : sed curandum ne in fidei vergat detrimentum, sectarum iniquo studio ad catholicos pervertendos.

CAPUT IV.

DE INFIDELITATE.

40. Infidelitas *negativa* eorum dicitur qui nihil umquam de fide audierunt : *positiva* est eorum qui fidem sibi propositam rejiciunt ; *privativa* eorum est qui eam satis propositam non amplectuntur. Negativa infidelitas caret peccato, quum non sit voluntaria ; ideoque contraria Baji propositio merito damnata est : « Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. » [1] Equidem Christus ipse ait : « Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. » [2] Privativa infidelitas est peccatum mortale : nam « qui non crediderit, condemnabitur ; » [3] « qui autem non credit, jam judicatus est. » [4] Equidem fide annuntiata, ejusque argumentis et documentis exhibitis, tenetur homo divinæ veritati præstare obsequium ; nec potest absque majestatis divinæ læsione assensum suspendere. Multo magis censendus est peccare, qui rejicit veritatem, et contrarium amplectitur errorem. Quod autem error sit intellectus, non tollit culpam : nam voluntatis vitio fit ut intellectus non perpendat momenta quibus revelatio probatur, eamque non amplectatur. « Infidelitas, secundum quod est peccatum, oritur ex superbia, ex qua contingit quod homo intellectum suum non vult subjicere regulis fidei, et sano intellectui Patrum. » [5]

41. *Paganismus*, *Judaismus*, *Mahumetismus*, et hæresis, sunt infidelitatis species. Paganismus dictus est

(1) Baji prop. 68. (2) Joan. xv. 22.
(3) Marci xvi. 16.
(4) Joan. iii. 18.
(5) S. Thom. 2. 2. qu. x. art. i. ad iii.

deorum plurimorum et idolorum cultus, qui hoc nomen sortitus est, ex quo, fide Christi per plerasque urbes imperii Romani propagata, idola vix nisi in pagis colebantur. Instar illius habendus est atheismus, quo Numen prorsus negatur : et pantheismus quo omnia dicuntur Deus. Judaismus est unius Deus cultus juxta ritus ab ipso olim præscriptos; qui tamen, adveniente Christo, abrogati sunt. Mahumetismus est cultus Dei, ex Mahumetis institutis, qui prophetam falso se jactans, plurima ex ethnicis et Judæis mutuata simul admiscuit. Hæresis est christianæ fidei aliqua ex parte vitiatio.

42. Qui Baptismo Ecclesiam non sunt ingressi nullatenus cogendi sunt ad fidem amplectendam, vel ad munia christiani hominis explenda : « quid enim mihi, » ait Apostolus, « de iis, qui foris sunt, judicare? » [1] Concilium etiam Toletanum IV. anno 633, ita decrevit : « De Judæis autem hoc præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre : « Cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat. » Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. . . Ergo non vi, sed libera arbitrii voluntate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi. » [2] Non igitur nisi suasione, hortatu, et oratione ad Ecclesiam ingrediendam sunt adducendi, qua ratione adimpletur illud Evangelii : « Compelle intrare. » [3] « Infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles et Judæi : et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant, quia credere voluntatis est. » Ita S. Thomas, [4] qui bella aliquando a principibus christianis contra infideles gesta dicit : « non quidem, ut eos ad credendum cogant, (quia si etiam eos vicissent, et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent an credere vellent,) sed propter hoc, ut eos compellant ne fidem Christi impediant. » [5] De apostatis autem et hæreticis, « qui quandoque fidem susceperunt » aliter censuit : « tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt. » Hi admodum differunt ab aliis qui errores a majoribus suis hauserunt; cum quibus mitius agendum censuit ipsum tribunal Inquisitionis. Jam vero vis nulla ullibi adhibetur, etiam ut apostatæ promissis stare cogantur.

43. Judæis quidem indulgendum jussit Gregorius Magnus, ut ritus suos festaque libere peragerent : « Omnes festivitates suas, sicut hactenus ipsi, et patres eorum, per longa colentes tempora, tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam. » [6] Jure canonico tamen vetitum est cum Judæis commorari, eorum interesse conviviis, balneo communi uti, medicos Judæos arcessere, medicinas ab iis recipere, Judæorum filios in domibus eorum enutrire, iis famulari, multo minus mancipia eorum fieri, eorum azymis vesci : quæ omnia periculum Christianis afferre censebantur. [7] Cæterum quum legibus Americanis Judæi æque ac cæteri pleno civium jure fruantur, non peccant famuli catholici iis inservientes, vel alii quicumque eorum utentes consortio in vitæ negotiis communibus, secluso perversionis periculo.

(1) I. Cor. v. 12.
(2) Can. vii. col. 590. coll. Hard. t. iii.
(3) Luc. xiv. 23.
(4) S. Thom. 2. 2. qu. x. art. viii. *Resp.*
(5) Ibidem.
(6) Registr. l. ii. c. xv.
(7) *Nullus.* c. *Omnes.* c. *Judæi.* Causa xxviii. qu. i.

44. *Hæresis* est error pertinax contra fidem, ejus qui Christianum se profitetur. Quicumque error fidei definitioni contrarius hæresis est; sed animi pertinacia requiritur ut quis hæreticus coram Deo sit, juxta omnium theologorum consensum.

45. Plerumque censentur hæretici ii tantum qui baptismum aliquando acceperunt; sed quum Quakeri, et plurimi alii in his provinciis, carentes baptismo, christiano nomine glorientur, errores tamen plures contra fidei doctrinam propugnent, solent una cum cæteris sectarum asseclis hæretici nuncupari: « qui sub vocabulo christiano, doctrinæ resistunt christianæ; » [1] cæterum Ecclesiæ censuræ vel leges eos non spectant.

46. Animi pertinacia in eo posita est, quod quis Ecclesiæ doctrinam noscens contrarium errorem consulto propugnet. In iis qui ignorantia invincibili laborant, pertinacia animi, ideoque hæresis crimen deest. « Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, et præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt; sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt; quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.»[2] Ita Augustinus, cujus verba recitans S. Thomas, animadvertit: « quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ. »[3] Cæterum non iis blandiri oportet qui sectis adhærent; semper enim Patres Ecclesiæ consueverunt iis Dei iram minari. Contingere quidem potest ut aliqui careant animi pertinacia, ideoque hæreseos labe: quum autem id soli Deo innotescat, ejus relinquendi sunt judicio; interimque modis omnibus inducendi, ut animo humili inquirant veritatem, divinum implorantes precibus enixissimis lumen. Id pro comperto habendum est, fidem explicitam præcipuorum mysteriorum esse necessariam, cum animi sensu proclivi ad credendum omnibus quæ Deus revelaverit.

47. Hæreticus *materialis* dicitur qui errorem damnatum tamquam fidei contrarium, absque animi pertinacia, profitetur: hæreticus *formalis* qui pertinax est. Cæterum quum Ecclesia de occultis non judicet, et hominum corda soli pateant Deo, in foro externo omnes censentur hæretici qui errorem contra fidem in secta aliqua profitentur. Ideo severe correptus est a Suprema Inquisitione sacerdos quidam, qui hominem e secta Calviniana a censuris absolvit absque facultate necessaria, prætexens quod « cum ignarus hæresum et errorum Calvini esset, non posset dici hæreticus formalis. » « Ipsius opinio, potius metaphysica quam vera, in S. Officio non est recepta. »[4]

48. Excommunicatione majori omnes hæretici feriuntur;[5] irregulares etiam sunt, ita ut nequeant ad sacros Ordines provehi: beneficiis ecclesiasticis et dignitatibus privantur:[6] jurisdictione spoliantur: et sepultura ecclesiastica eis denegatur, licet non fuerint denuntiati.[7] Qui eos scienter sepeliunt ritu Ecclesiæ, excommunicatione irretiuntur.[8] Fuerunt etiam pœnæ aliæ, etiam capitis, in hære-

(1) S. Aug. l. xviii. de civ. Dei, c. li.

(2) Ep. clxii. n. i. nunc xliii. ad Glorium et alios.

(3) 2. 2. qu. xi. art. ii. ad iii.

(4) Vide apud Antoine, *tract. de Virt. Theol.* c. iii. qu. vii. *Nota P. Phillippi a Carboneano.*

(5) Can. *Achatius*, 24. quæst. i. et cap. 9. et cap. 13. *de hæret.*

(6) Cap. xii. *de hæret.* in 6.

(7) Vide decr. S. Inquis. die 23 Julii 1609.

(8) Cap. ii. *de hæret.* in 6.

ticos latæ legum civilium severitate; censebantur enim publicæ quietis et reipublicæ hostes: sed ille legum rigor, quem et sectarii contra Catholicos et contra se invicem etiam adhibuerunt, jam ubique sublatus est.[1]

CAPUT V.

DE LIBRORUM PROHIBITIONE.

49. Constat ab ipsis primordiis Ecclesiæ libros qui fidei vel moribus adversantur, ex Christianorum manibus fuisse ereptos, et incendio consumptos, ne quod foret lapsus periculum. Ex occasione dæmoniaci impetus in homines Jesu nomine, quem tamen non agnoscebant, adjurantes dæmonem, « multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus: et computatis pretiis eorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. »[2] Huic inhærentes exemplo, consueverunt Præsules scripta hæreticorum anathemate ferire, et procul eliminare, ne pusillis et infirmis forent exitio, quæ et flammis tradebantur, ut, exemplaribus consumptis, errorum vestigia tollerentur. Sæculo quinto exeunte, prodiit Gelasii decretum, quo apocryphi a libris probandis secernebantur; et hæreticorum scripta « non solum repudiata, verum ab omni Romana Catholica et Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus auctorumque sequacibus indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata. » Ita clauditur decretum.[3] Jussit S. Leo apocryphas scripturas non solum interdici, sed etiam concremari, addens: « Si quis Episcoporum apocrypha haberi per domos non prohibuerit, — hæreticum se noverit judicandum. »[4]

50. Qua perpetuo usa est Sedes Apostolica vigilantia, ut libros pravos eliminaret, magis enituit, necessitate aucta, ex quo typis inventis libri ubique spargi cœperint. Indicem librorum vetitorum conflari jussit Paulus IV., anno 1557, Inquisitoribus id muneris demandans: Pius IV. vero Concilii Tridentini Patribus pleniorem catalogum conficiendum commisit, qui octodecim ex suo cœtu rei executionem imposuerunt; sed recesserunt, re infecta, eam Pontificis auctoritate perficiendam relinquentes. S. Pius V. Congregationem Indicis tandem instituit, cujus est opera prava, vel vitio infecta, in catalogum referre.

51. Præcipuæ *Indicis* regulæ sunt: « 1. Libri omnes ante annum 1515 damnati, etiamsi in Indice descripti non reperiantur, declarantur vetiti. 2. Libri omnes eorum, qui capita vel duces fuerunt hæreticorum, omnino vetantur; et etiam omnes alii hæreticorum libri de Religione tractantes; cæteri autem hæreticorum permitti possunt, modo fuerint examinati et probati. » 3. Scripturarum in lingua vernacula lectio nonnisi piis qui utilitatem inde percipere possunt, permittitur, Episcopi vel Inquisitoris venia, prævio parochi testimonio. 4. « Lexica, Concordantiæ, Indices, et alia hujusmodi, in quibus pene nihil auctoris hæretici habetur, probata permitti possunt. 5. Libri obscœna tractantes absolute prohibentur, quamvis non inveniantur in Indice descripti 6. Pariter vetantur omnes libri, et scripta Necromantiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Honeiromantiæ, Chiromantiæ, Astrologiæ judiciariæ, et om-

(1) Vide litteras Episcopi Joannis Milner ad præbendarium Anglicanum Sturgess nomine.
(2) Act. xix. 19.
(3) Apud Harduin. Conc. Col. t. ii. col. 942.
(4) S. Leo, ep. xv. alias xciii. c. xv. ad Turibium ep. Asturicensem.

nia alia in quibus continentur sortilegia, veneficia, ac auspicia. » 7. Omnes libri catalogo speciatim inscripti vetiti sunt; nonnulli quidem absolute; alii *donec expurgentur*, quod intelligitur de nova editione emendata, quæ fuerit S. Congregationi Indicis probata.

52. Sub *excommunicatione* in Bulla Cœnæ Summo Pontifici *reservata*, prohibetur omnibus retinere vel legere libros quoscumque, ab auctoribus sectarum conscriptos, vel ab hæreticis de religione ex professo tractantes. « Alii vero sub pœna *excommunicationis*, quæ in regulis Indicis exprimitur, prohibiti sunt, *quæ* tamen excommunicatio *nulli reservatur* : alii denique sub pœna tantum *peccati mortalis*, aliisque pœnis arbitrio Episcopi contumacibus infligendis. » [1]

53. Jam vero pro re explorata ex S. Scripturæ auctoritate et perpetuo Ecclesiæ usu, habendum est, libros hæreticos, vel hæresi infectos, vel bonis moribus adversantes, esse omnino e manibus fidelium tollendos. Equidem quum unicuique ex Ecclesiæ auctoritate fidei veritas innotescat, temere omnino et cum animæ discrimine, suo quisque fidens judicio, scripta hæreticorum et infidelium legit : nec enim divinum auxilium, quo mens inconcussa maneat, mysteriis credens quæ adeo superant hominum sensa, poterit sibi polliceri : nec cupiditates temere excitatas reprimere valebit, occasionem quum amet, in qua pereundi est adeo manifestum discrimen. Idcirco disciplinam qua vetantur libri omnes pravi, antiquissimam, æquissimam, sanctissimam prædicamus et agnoscimus. [2]

54. Utrum vero regulæ Indicis vim habeant ubique terrarum quæritur. Jusserunt quidem Pontifices, præsertim Clemens VIII., eas ubique promulgari; [3] et declaravit S. Congregatio decreta sua obligare universos Christianos : [4] cæterum in plerisque locis in quibus hæretici permixti Catholicis vivunt, ex benignitate et tolerantia summorum Pontificum, regularum rigor relaxatus censendus est, ne laqueis irretiantur animæ. Id videtur agnoscere P. Philippus a Carboneano : « Si alicubi ex Sedis Apostolicæ indulgentia vel tolerantia usu receptæ non sint regulæ Indicis, ac Bulla Cœnæ, id unice inferri poterit, legentes libros prohibitos non incurrere in censuras in illis expressas. » [5]

55. « At certum est, « pergit prælaudatus auctor, « graviter peccare contra Ecclesiæ præceptum, quæ semper vetuit horum librorum lectionem, quæque eamdem per Romanum Pontificem inculcat, et renovat. » Hanc tamen sententiæ severitatem mitigandam censeo; nam etsi mens Ecclesiæ pravorum librorum lectioni prorsus adversetur, si tamen quæ in Bulla Cœnæ et Regulis Indicis continentur prohibitiones, usu apud nos receptæ non sint, quod exploratum videtur, nescio qua lege universali prohibita librorum lectio innotescat. Igitur res eo reducenda erit, quo ipsa librorum et legentium indoles postulat, quamvis sacrorum ministrorum studium eo dirigi debeat, ut libri omnes vetiti procul habeantur.

56. Qui libri per se magnum afferunt perversionis periculum, uti sunt Voltairii, et Painii scripta, et pleraque contra summa fidei mysteria, vix sine

(1) Antoine, *De Virt. Theol.* Append. *de librorum prohib.* c. iii.

(2) Vide Diss. S. Alphonsi, *de librorum prohibitione*, l. i. append. iii.

(3) *In Regulis Indicis.*

(4) S. Cong. Indicis. 4. Dec. 1674. Episcopo Malacensi respondens.

(5) Appendix *de lib. prohib.* c. iii. qu. iv.

gravi peccato legi possunt, quia temere se objiciunt tanto errandi et fidem amittendi discrimini, nulla gravi urgente causa.

57. Libri obscœni et impudici ex professo, non possunt a quocumque legi absque gravi peccato, ob proximum libidinis excitandæ periculum.

58. Qui libri ex professo contra fidem catholicam agunt, plerumque non possunt absque gravi peccato legi, nisi ab his quorum est munus errores refellere : alii quippe temere se objiciunt discrimini Cæterum in hujusmodi culpa æstimanda indoles, dotesque legentis, sicut et scriptoris ars, attendendæ sunt : nam periculum inde pendet.

59. Qui alios libros de historia, geographia, cæterisque hujusmodi rebus tractantes, in quibus plurima hinc inde reperiuntur fidei adversa, legunt, excusari videntur, ob difficultatem maximam quæ in libris discernendis comparandisque habetur ; quum enim plerique libri Anglico sermone scripti acatholicos auctores habeant, vix fieri potest ut Catholici, absque gravissimo scientiæ detrimento, aliisque incommodis, ab iis se abstineant. Ideo videtur Ecclesiæ benignitas id indulgere, ne irretiantur animæ alioquin piæ. Cæterum providendum sedulo ne perversionis oriatur occasio ; ideoque omni studio laborandum, ut libri expurgati habeantur.

60. Quum Scripturarum *versio Anglica* a Protestantibus edita plures contineat mendas, sitque justissime a Summis Pontificibus vetita, sicut et cæteræ omnes versiones quæ e Biblicæ Societatis officina prodeunt;nequaquam permittendum est ut Catholici ea utantur, præsertim quum sic foveatur pravum principium, quod suo quisque judicio fidem sibi comparare debeat. Pueri in scholis publicis non debent ea versione uti; nec magistri operam suam in ea legenda præstare. Fideles non oportet eam domi retinere. Cæterum si qui sint nuper ad fidem conversi, qui Biblia a suis majoribus per manus tradita, in quibus et nomina parentum et filiorum inscribuntur,prout mos est, retineant, non videntur contra sensus affectusque suos cogendi ut ea abjiciant, Apostolo monente : « Infirmum autem in fide assumite. » [1] Imo neophyti plerique non videntur urgendi, ut libros quos habuerunt ante conversionem abjiciant, quum offensionem hac in re facile patiantur, et alioquin non versentur in magno periculo ; norunt enim jam errores, qui ibi continentur.

61. Quæ Gregorius XVI. sanctissime edixit, licentiam imprimendi nullo frœno injecto spectant, qua impia quæque et obscœna e prelo prodeunt cum tanto animarum damno. Quicumque noverit pessimos omnis generis libros qui e prelo, Gallico præsertim, per seculum elapsum emissi sunt, non poterit verba Pontificis rerum veritate niti non agnoscere : « Huc spectat deterrima illa ac numquam satis execranda et detestabilis libertas artis librariæ ad scripta quælibet edenda in vulgus. » [2] Profecto ipsæ nostræ leges, quamvis libertati preli consulant, eam tamen certis arctant limitibus, pœnasque ea abutentibus irrogant. [3] In Statibus meridionalibus, in quibus servitus viget, severissimis legibus vetatur ne quis in lucem edat, vel in

(1) Rom. xiv. i.

(2) Ep. Encyclica, anno 1832.

(3) De Vattelius postquam de libertate preli disseruisset, subjunxit : « I know that this liberty has its just bounds ; that a wise government ought to have an eye to the press, and not suffer such works to be published, as are scandalous, contrary to morality, the form of government and established Religion. » *Law of Nations*, l. i. c. xi. §. 114.

publicum spargat libros contra servitutem.[1] Quis igitur miretur Pontificem queri de abusu libertatis preli, quo impia et nefanda opuscula eduntur, cum pietatis et morum gravissimo dispendio?

(1) « If any white person or persons shall print, write, circulate or put forth, or cause to be printed, written, circulated, or put forth, any book, paper, magazine, pamphlet, handbill, or circular in this state, containing any sentiment, doctrine, advice or inuendos calculated to produce a disorderly, dangerous or rebellious disaffection among the colored population of this state, or in any wise to endanger the peace of society, by exciting riots and rebellion among said population, that any such person or persons, their aiders and abettors so offending, or in any manner or form engaged in printing, writing, circulating and publishing as aforesaid, shall be deemed guilty of a high misdemeanor, and be tried before any court of competent jurisdiction, and shall be imprisoned for a term not more than twelve, nor less than three months, and be fined in a sum not exceeding one thousand dollars, nor less than one hundred. »

« If any slave, negro, mestizo, or free person of color, shall knowingly bring, circulate, or cause to be brought or circulated in this state, or aid or assist in any manner, or be instrumental in aiding or assisting in the circulation or bringing into this state of any such publication as described in the proceding section, the said person or persons so offending, on conviction thereof, before any court having jurisdiction of the same, shall suffer death. » *Laws of Mississippi*, Act 16 Dec. 1830.

« If any person shall knowingly bring or circulate, or cause to be brougt or circulated, within this state, or shall aid in the bringing or circulating herein any composition, in manuscript or print, or any pictorial representation calculated to produce disaffection among the slave population hereof, or to endanger the peace of society, he shall, upon conviction, be punished by imprisonment in the penitentiary for any term not exceeding ten years. » Ibidem, *Appendix*, Act Feb. 15, 1839.



PARS II.

DE SPE.

CAPUT UNICUM.

62. « *Spes* est virtus per quam cum certa fiducia futuram beatitudinem, et ejus media assequendæ expectamus per Dei auxilium. » Ita S. Alphonsus.[1] Videtur homo teneri ad spei actum eliciendum, quum primum Deus illi innotuerit, tamquam ultimus finis. Debet etiam sæpe in vita spe in Deum tendere, præsertim in difficili rerum conditione; vel dum vehementi pulsatur tentatione, ad quam edomandam divinum auxilium quærere et sperare oportet.

63. *Primarium spei objectum* est cœlestis beatitudo, seu Deus possidendus : *secundaria* sunt omnia gratiæ subsidia quibus comparetur; sed et bona hujus vitæ, quatenus saluti inserviunt, sperare licet. *Motivum*, seu *formale objectum*, est divina potestas et misericordia, quæ et promissa est pœnitentibus. Christi meritis nitimur sperantes : « non est in alio aliquo salus. »[2] Quod autem Virginem Deiparam appellemus spem nostram, imo et totam rationem spei nostræ, et de Sanctis aliis piam foveamus fiduciam, contingit ex alto quem fovemus sensu eorum sanctitatis : quapropter tenero pietatis affectu ob communem nobis illisque naturam ad eorum patrocinium confugimus, eosque apud Deum, per Christi merita, plurimum orando nobis prodesse posse non dubitamus. Altiori prorsus sensu in Deum speramus, quem fontem gratiæ et salutis agnoscimus, Christumque Redemptorem colimus.

64. Optime S. Thomas maledictionem in eum qui confidit in homine latam interpretatur : « Vituperantur qui sperant in homine, sicut in principali authore salutis; non autem qui sperant in homine, sicut adjuvante ministerialiter sub Deo. »[3] « Non licet sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de prima causa movente in beatitudinem. Licet autem sperare de aliquo homine, vel de aliqua creatura, sicut de agente secundario et instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad Sanctos convertimur. »[4] Suis meritis nemo fidere debet, sed ea ex gratia derivari, et Dei dona esse agnoscere : quæ tamen fiduciam quamdam præbent. S. Hilarion animi trepidationem vitæ diuturnæ memoria sedabat moribundus. Vide et Ezechiæ exemplum.[5]

65. Quod quis spe ductus agat, omni caret vitio : quum enim Deus hominem creaverit ut felix sit in ævum, eumque ita constituerit natura, ut necessario id velit, nihil vitii in eo potest esse, quod beatitudinem suam spe contempletur, et quærat. Neque sui felicitas

(1 L. ii. Tract. ii. c. *Unic.* n. 21.
(2) Act. iv. 12. (3) 2. 2. qu. xxv. art. i. ad iii.
(4) Ibidem, qu. xvii. art. iv. *Resp.*
(5) IV. Reg. xx. 3.

fit hoc pacto summum hominis studium cum divinæ majestatis dispendio ; non enim Deus ad hominem refertur, veluti ratio qua beatitudo comparari possit : sed Deus ipse finis est in quem homo tendit, et quidem ordine servato quem Deus statuit, in ipso beatitudine quærenda. Psaltes mercedis hujus spe se excitatum fuisse ad virtutum exercitium testatus est : « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. » [1] Merito igitur damnavit Alexander VIII. propositiones sequentes : « Intentio qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. » . . . « Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. » [2] « Tunc tamen (dicit Laymann de charitate cap. 2) quis in hoc peccaret, quando actuali intentione nollet amare Deum, nisi propter spem, aut timorem. » [3]

66. Spes *certa est*, quatenus Deus, qui salutem nobis misericorditer pollicitus est, suis stabit promissis, si conditionem quam statuit impleverimus, viresque præstabit quibus eam valeamus implere. « Spes autem non confundit, » inquit Apostolus. [4] « Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. » [5] « In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum : ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. » [6] Cæterum quum facile deficiamus, et tentatione vincamur, ideo hortatur Apostolus : « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. » [7]

67. Vitia *spei opposita* sunt desperatio et præsumptio. Desperatio est omnimoda diffidentia salutem assequendi, vel subsidia ad eam necessaria. In eo posita est, ut quis, spe penitus amissa, curam salutis abjiciat. « Hinc judicium, quo quis putat se a beatitudine excludendum, non est proprie desperatio, etsi sit quid prævium et inducens ad desperationem. Imo, ut observat Herincx, cum tali judicio, saltem non plane firmo, sed formidoloso, potest consistere actus spei, quo quis nihilominus velit ad beatitudinem contendere, si forte sit misericordiæ locus. » [8] Fides aliquando cum spe amittitur, quando quis ideo desperat, quod Deum eum ad supplicia inferorum ab æterno destinasse credat. Plerumque tamen desperatio contingit, fide haud amissa; homo quippe qui certa fide tenet Deum sibi et omnibus salutis subsidia sufficientia præstare, potest adeo sensu scelerum suorum obrui, ut spem omnem veniæ abjiciat. Id autem sedulo animadvertendum, quosdam phantasia laborare, tetrisque imaginibus mentem habere adeo obnubilatam, quod sibi videantur desperare. His consolatio præbenda est, et Sacramenta etiam præstanda, dummodo, nulla peccati consuetudine irretiti, cupiant saluti consulere. Nec eis facile credendum asserentibus se desperare; quæ enim cogitationes eos adeo deprimunt, sunt plerumque ægri animi somnia, quæ spernere præstat.

68. *Desperatio* ad vitia gravissima aditum aperit; spe enim semel abjecta, quisque ruit pronus in scelera, quum

(1) Ps. cxviii. 112.
(2) Prop. x. et xiii.
(3) Apud S. Alphonsum, l. ii. Tract. iii. *de Præcepto charitatis* c. i. n. 24.
(4) Rom. v. 5.
(5) II. Tim. i. 12. (6) Heb. vi. 17.
(7) Phill. ii. 12. (8) Petrus Dens, *Tract. de Virtute Spei*, n. 107. ii.

se non posse repugnare vitio habeat persuasum, et nullam fore sibi in ævo futuro voluptatem existimet. Hinc Deo per Jeremiam pollicenti se Hierosolymitanis veniam elargiturum, si pœnitentiam agerent, responderunt: « Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. » [1]

69. Præcipuum desperationis remedium est, ut infinita Dei misericordia et copiosa Christi redemptio prædicentur, et exempla proponantur eorum qui, gravissimorum peccatorum licet rei, veniam pœnitendo consecuti sunt. Qui hac laborant tentatione benigne suscipiendi sunt a confessario, et omni studio inducendi, ut ponant in Deo spem suam.

70. Falso existimavit Fenelon, animam in extremis quibusdam probationibus, omni salutis spe amissa, Dei voluntati justissimæ hac de re acquiescere, perfectionis exercitio: [2] actus enim hujusmodi cum insito beatitudinis amore, et cum Dei voluntate de spe semper fovenda, componi nequit.

71. *Præsumptio* est temeraria expectatio salutis, vel subsidiorum quibus comparetur. *Pelagiana* vocatur, qua quis, suis viribus fretus, confidit se salutem consecuturum, absque Dei auxilio. Hanc fovent nonnulli, qui, licet Pelagianam hæresim non profiteantur, sibi tamen de viribus suis et meritis blandiuntur. *Calviniana* dicta est illa nimia salutis fiducia, qua quis certo sibi persuadet, se e numero electorum esse, nec posse a salute excidere. Præsumptio quæ in plerisque reperitur, fide salva, est magna salutis assequendæ fiducia, virtutum exercitio neglecto: plurimi quippe sibi pollicentur vitæ emendationem post plurimos annos, vel pœnitentiam in vitæ exitu; et interim pergunt se vitiis inquinare. Nonnumquam levi aliquo pietatis exercitio nituntur. « Peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ, ad præsumptionem pertinet, et hoc non diminuit, sed auget peccatum: peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato et pœnitendi de peccato, hoc non est præsumptionis; sed hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. » Ita S. Thomas. [3] Homini præsumptione elato proponenda sunt divina judicia, dicendumque: « Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. » [4]

72. Fenelon existimavit hominem ad perfectionem evectum, spem amplius non fovere; sed de beatitudine et damnatione minime solicitum, Deum solum respicere, et diligere toto voluntatis nisu. Cæterum merito rejecta est hæc perfectionis notio; [5] nam ita sumus natura comparati, ut non valeamus, nec debeamus, omnem curam beatitudinis abjicere; sed omnino oportet in Deum, tamquam finem et beatitudinem, tendere Fœdam prorsus doctrinam, [6] a mente Fenelon longe alienam, quamvis aliquatenus affinem, quum spei exercitium excluderet, [7] tradiderat paulo ante Michael de Molinos, presbyter Hispanus, damnatus idcirco anno 1687 Bulla: *Cœlestis Pastor.*

(1) Jer. xviii. 12. (2) Prop. ix. x. xi. xii.
(3) 2. 2. qu. xxi. a. ii. ad iii.
(4) Rom. xi. 20. (5) Vide 23 propositiones damnatas an. 1699. ab Innoc. XII. Bulla quæ incipit: *Cum ad Apostolatus nostri notitiam.*
(6) Prop. xli. et seq. (7) Prop. vii.

PARS III.

DE CHARITATE.

CAPUT I.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS.

73. *Charitas* Dei est amor quo Deum prosequimur, tamquam Ens perfectissimum, summo amore dignum. A theologis vocatur amor *amicitiæ*, quod Deus propter se diligatur, et in ejus perfectione et beatitudine conquiescat mens, cupiens gloriam omnem ei tribui. Distinguunt hunc ab amore *concupiscentiæ*, seu *spei*, quo Deum quærimus in nostram beatitudinem, eo frui desiderantes. Hunc tamen cum perfectissima Dei dilectione componi posse inde liquet, quod præceptum de Deo diligendo ex toto corde, respectum ad nos includat: « Ipsa verba hoc clarissime significant, atque exprimunt, dum dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum :* quasi dicat : Quia ipse est Dominus Deus tuus : quia Creator tuus; quia principium tuum, et ultimus finis tuus; quia benefactor tuus, Pater tuus, omne bonum tuum; quæ plane absque relatione ad nos intelligi nequeunt. » [1] Scribit S. Hieronymus in Jonæ c. II. 7. « Quod ait : Domine Deus meus, blandientis affectus est : quod communem Deum omnium, beneficii magnitudine, suum et quasi proprium senserit Deum. » Nec vitii aliquid est beatitudinem in Deo quærere : « non enim ordinatur ad aliud, sicut ad finem; sed ipse est finis ultimus omnium. » [2] Merito igitur explosus est status ille habitualis amoris puri a quo omnis suæ felicitatis cura abesset : « Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla mixtione motivi proprii interesse. » [3]

74. Charitatis virtus a Deo animæ infunditur : nec enim, nisi Spiritu sancto cor movente, possumus Deum super omnia diligere, prout oportet ad salutem : quapropter Apostolus ait : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » [4] Est virtutum omnium præstantissima, docente Apostolo : « Nunc autem manent, fides, spes, charitas : tria hæc; major autem horum est charitas. » [5] Est etiam maxime necessaria : absque ea quippe ad salutem non prosunt cæteræ quæcumque virtutes, vel opera quæque egregia : « Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in

(1) Vide Append. ii. *de quæstionibus ad Spem*, tom. xiii. *Cursus Theologiæ*, et *Theol. P. Patuzzi*, tom. iii. tract. iv. *de virtutibus theol.* Vide et Append. iii. c. iii. 10.

(2) S. Thomas, 2. 2. qu. xxvii. art. iii. *Resp.*

(3) Prop. 1. ex libro Fenelon, damn. ab Innoc. XII.

(4) Rom. v. 5. (5) I. Cor. xiii. 13.

cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. »[1] Attamen non ideo nullæ censendæ sunt virtutes quæ non fuerint charitate perfectæ: fides enim, qua Deo docenti assentimur, est virtus, quamvis ad salutem non sufficiat, nisi per dilectionem operetur: et sic de aliis virtutibus dicendum. Ideo dicit S. Thomas eas veras virtutes non esse, quia non valent ad salutem, deficiente charitate: « Erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale et perfectum bonum. Et secundum hoc simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest. »[2]

75. Datur divinum charitatis præceptum: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. »[3] Eo tenemur Deum omnibus rebus anteferre, ita ut ejus voluntatem nobis per mandata manifestatam rebus omnibus creatis anteponamus. Quum obligatio hæc ex summa Dei perfectione, et beneficiis in hominem collatis oriatur, liquet hominem, quum primum rationis usum adeptus fuerit, ei satisfacere debere. Pueri idcirco de ea edocendi sunt, ut qua valent ratione in Deum tendant, eumque tamquam finem ultimum, et summum bonum, amplectantur. Cæterum ratione habita teneræ ætatis, non facile damnandi sunt violati præcepti, nisi graviter contra notissimas morum leges ex plena scientia deliquerint. Constat sæpius in vita actum amoris divini eliciendum, uti ex ipsis præcepti verbis, et ex necessaria hominis ad Deum relatione colligitur: quapropter merito damnatæ sunt propositiones sequentes: « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. »[4] « Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. »[5] Equidem certo statui nequit quoties dilectionis actus eliciendus sit; sed liquet eum necessarium esse ad gratiam assequendam, quando Sacrum celebrandum est, vel Eucharistia suscipienda, absque copia confessarii. Sunt etiam vehementes tentationes quæ alias superari nequeunt; et in mortis discrimine videtur omnino necesse, ut homo, toto animi nisu, Deum amplectatur, et diligat.

76. Gravis peccati contra charitatem reus est, qui aliquid divinæ amicitiæ antefert. Non temere autem judicandum de eo qui vehementi et tenero affectu in aliquem, quem licet diligere, fertur: si enim nolit Dei violare legem quocumque in rerum eventu, etiam ad amico gratificandum, affectus inordinatus non est, quamvis forsan haud vacet periculo. Deum quippe vere amat, qui, mentis judicio, et animi proposito, ejus voluntatem cæteris omnibus anteponit; quamvis intensius feratur in res sensibus objectas: sicut mater infantem diligit. Cæterum conatus omnis adhibendus est, ut impetu etiam animi in Deum feramur.[6] Insuper studium omne ponendum est, ut diligendo eo quotidie proficiamus; nec enim cuique in hac vita videri debet se præcepto Deum diligendi ex toto corde, mente, anima, viribusque satisfecisse.

77. Gravissime contra charitatem peccat qui Deum odit, tamquam do-

(1) I. Cor. xiii. 1.
(2) 2. 2. qu. xxiii. art. vii. *Resp.* (3) Mat. xxii. 37.
(4) Prop. i. damnata ab Alex. VII. 24 Sept. 1665.
(5) Prop. vi. damnata ab Innoc. XI. 2 Martii 1679.
(6) Vide Mayol. *Disp. Præamb. ad Decal.* qu. iii. art. i.

minum duriorem, judicemque austerum, scelerum nimium ultorem. Non autem Deum odisse dicendus est, qui tædio quodam animi ægre fert quæ cupiditatibus injiciuntur vincula.

CAPUT II.

DE CHARITATE ERGA PROXIMUM.

78. Charitatis virtus *proximos* amplectitur; omnes quippe homines propter Deum amare debemus: nam primo mandato simile dicitur a Christo: « Diliges proximum tuum sicut teipsum. » [1] Equidem ille amor sui, qui ab ipsa natura derivatus est, in regulam et normam datur, ut aliis non faciamus quæ ipsi nobis fieri nolumus, et iis ea impendamus beneficia, quibus nobis indigentibus subveniri cuperemus. Non tamen omnes pariter, nullo facto discrimine, diligendi sunt: nam ordinem servandum dictat ratio, et naturæ intimus sensus; cui nihil derogat divinum dilectionis præceptum.

79. Quisque igitur ex naturæ instinctu *seipsum*, post Deum, imprimis diligere, et beatitudinem suam in Deo quærere debet. Hujusmodi amor bonus est, et omni vitio immunis. [2] Salus propria, et quæ ad eam ducunt bona spiritualia, aliorum utilitatibus omnino anteferenda sunt. Proximorum salutem, et spirituales utilitates deinceps oportet quærere. « Inest ingenio humano motus quidam arcanus, et tacita inclinatio, in amorem aliorum: qui si non insumatur in unum, vel paucos, naturaliter se diffundit in plures; atque homines reddat humanos et charitativos: quemadmodum videre licet nonnunquam in monachis. » [3] Sui utilitates temporales post spiritualem proximi profectum locum habent: deinceps temporalia proximi commoda. Denique in extremo discrimine se proximumque, ordine pari servato, quisque diligere debet.

80. Salus igitur sui cuique præ omnibus curanda est, quam alienæ salutis studio nemo negligere debet. Si sacerdos se imparem noverit tentationibus vincendis, quæ in sacro ministerio cum animarum cura conjuncto occurrunt, debet, saltem post periculum pluries factum, et cautelam frustra adhibitam, curam illam deponere, etiamsi nullus alius præsto sit sacerdos qui eam suscipiat. Poterit quis semel vel iterum [discrimini se committere, Dei implorato præsidio, et omni vigilantia adhibita: sed si fragilitatem suam adhuc experiatur, debet sibi consulere, se abdicando munere quod sine peccato non valeat exercere. Id eo magis dicendum, si suæ ruinæ habeat participem.

81. Studio perfectionis vacare quis poterit, aliorum utilitate spirituali vel temporali neglecta, dummodo munere ullo speciali non adstringatur: cæterum non peccat, si aliis consulat, cum perfectionis dispendio. Hinc culpanda non est puella, quæ religionem profitetur, matre paupere in sæculo relicta, quæ tamen egestate non laborat. Nec culpandus vir qui in Ordinem religiosum ingreditur, fratribus vel aliis propinquis neglectis, quos ad pietatem se in sæculo manentem adducere posse confidebat; habet enim jus sibi consulendi, et perfectioni studendi. Sed nec reprehendendus, si velit in sæculo manere, ut fratres aliosve institutis sacris imbuat; vel ut parentibus ætate provectis auxilio sit, et solatio. « Per se loquendo, » inquit S. Alphonsus,

(1) Matth. xxii. 39.
(2) Patuzzi, in App. iii. ad Mayol. c. vi. § 3.
Cursus complet.
(3) Bacon. t. iii. p. 634. §. x.

potest quis privare seipsum bonis spiritualibus non necessariis ad salutem ob bonum proximi spirituale, vel corporale, ut esset omittere ingredi in Religionem, ad alendos parentes suos, vel filios. »[1] Vidua quæ ad Religionem confugit, postquam filiis satis consuluit, culpanda non est: secus si eorum derelicta cura, sibi tantum studeat.

82. Peccatum nullum, quantumvis leve, admittendum est, etiam alienæ salutis studio; nam tenetur quisque sibi præcavere. Igitur si quis prævideat veritate exposita hæreticos triumphum acturos, vel infirmos a fide defecturos, non ideo licebit levissimo mendacio eam obtegere, etiamsi plurimi hac ratione ad fidem adducendi forent: cæterum veritas ipsa non est temere exponenda.

83. In *extrema necessitate spirituali* versanti subveniendum est, etiam cum vitæ discrimine, « dummodo tria constent, 1. ut sit æque spes juvandi, ut ait *Busembaum cum Laymann*. 2. Ut proximus nullum alium habeat a quo sublevetur. 3. ut proximus certo damnandus sit, nisi a te adjuvetur; ita ut (addit Malderus) tibi constet proximum aliter non esse convertendum contritione, vel alia operatione divinæ gratiæ. »[2] Ea quippe dicitur extrema necessitas, quæ proximum certumque damnationis discrimen fert. Igitur, si vita periclitans ejus opem quærat, debet iter suscipere, si alius sacerdos non adsit, licet verosimiliter timeat mortem ab itinere.

84. *Gravis necessitas spiritualis* ea dicitur, in qua salus æterna fit difficilis, qualis est omnium adultorum moribundorum, et eorum omnium qui carent ministerio sacro. « Si proximus sit in necessitate tantum gravi, non teneris ei succurrere cum periculo vitæ, famæ, vel bonorum, nisi sis pastor, . . . vel nisi tuum damnum temporale esset leve. . . . Hinc dicunt Salmanticenses. . . . quod non teneris retrahere peccatores cum tali periculo, nec ad Indos convertendos navigare, cum sint alii qui hoc facere possunt, et alias fructus sit incertus. . . . Secus vero te teneri dicunt I. Salmanticenses, . . . si communitas aliqua esset in gravi necessitate spirituali; quia tunc grave damnum commune præcavendum est, magis quam tuum particulare. Hinc inferunt teneri cum periculo vitæ ministrare Sacramenta populo, qui alias esset in periculo amittendi fidem; vel si tempore pestis populus sit omni sacerdote destitutus. »[3] Egregie hoc munus charitatis impleverunt, regnante Elisabetha, plurimi sacerdotes in Anglia et Hibernio, suppliciis pro fide gloriosi.[4] « Dicunt II. teneri in gravi necessitate, qui ex officio debet subvenire, modo speret fructum. Hinc tenentur ex justitia pastores, scilicet Episcopi et parochi cum periculo vitæ, ministrare ovibus Sacramenta necessaria: ut Baptismum et Pœnitentiam, non vero alia. Nec pastor potest tunc officio renunciare, licet possit alios substituere cum justa licentia Ordinarii, ut *Laymann ex communi*. . . . Addit Suaresius quod pastor tenetur etiam cum magno suo damno temporali procurare magnam utilitatem spiritualem subditi. »[5] De omnibus sacerdotibus affirmat S. Alphonsus, eos teneri, etiam cum vitæ periculo, ad absolvendum moribundum, « qui habituatus sit in peccatis, et sit adeo rudis, ut nesciat actum contritionis elicere . . . . Tempore autem pestis censeo cum

(1) L. ii. tract. iii. cap. ii. dub. i. n. 26.
(2) S. Alph. l. ii. Tr. iii. cap. ii. dub. i. n. 27.
(3) S. Alph. l. ii. n. 27. (4) Vide « Memoirs of Missionary Priests. » (5) S. Alph. *ubi supra*.

Laymann . . . contra *Palaum* . . . . teneri sacerdotes, deficientibus aliis, absolvere moribundos cum periculo vitæ, quia in tanta multitudine morientium numquam deficient hujusmodi, ignorantes. »[1] Vix tenetur parochus vitam objicere discrimini ut subveniat moribundis, obsistentibus propinquis : nullus enim fructus ex tentamine sperandus est.

85. In proximis diligendis is *ordo* servandus est, ut qui meliores sunt magis æstimentur, diligantur, et honorentur. Sic sancti homines diligendi sunt præ improbis, licet propinquis : patriæ vindices pluris fiunt quam alii reipublicæ haud soliciti : fortes, facundi, doctique præ ignavis, imperitis, ignaris diliguntur. Dilectio autem quæ *intensionis* gradus habet, naturæ ordinem hunc sequitur, ut uxor præ cæteris diligatur; deinceps filii, parentes, fratres et sorores, aliique pro propinquitatis ratione. Subveniendum est primo uxori, deinceps filiis, patri et matri, fratribus, sororibus, propinquis. Cæterum in extrema necessitate parentes præferuntur omnibus, quum vitam dederint : in æquali necessitate, haud extrema, liberi præferuntur parentibus, quum sit speciale parentum munus filiis consulere.

86. « In rebus pertinentibus ad civilem communicationem præferendi sunt concives, in bellicis commilitones, in spiritualibus spirituales filii, patres, fratres. Bannez tamen probabiliter docet, parentes carnales, etiam spiritualibus, aliis omnibus præferendos : quia conjunctio carnalis est fundamentum aliarum conjunctionum. »[2] Cæterum nemo prorsus est dilectione privandus, quum proximi nomine omnis homo veniat. Sic præclare Augustinus quæstioni : « Quis est mihi proximus ? » respondet, præ animo habens Samaritani parabolam : « Omnis homo proximus tuus est. Nonne duos parentes habuimus omnes ? »[3] Pulchre scribit Valerianus : « Quid autem tibi est opus quærere, utrum Christianus an Judæus, utrum hæreticus an gentilis, utrum Romanus an barbarus, utrum liber an servus sit ille qui postulat ? Ubi incumbit necessitas, non opus est ut personam discutias, ne cum indignos misericordia segregas, Dei Filium pariter amittas. »[4]

CAPUT III.

DE DILECTIONE INIMICORUM.

87. Quum proximi nomine omnis intelligatur homo, liquet *inimicos* etiam esse diligendos : quod et Christus districte præcepit : « Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos. »[5] Hinc tenetur unusquisque communia dilectionis indicia et testimonia cuilibet, etiam inimico, exhibere : specialia autem beneficia non debentur, nisi aliunde accedat ratio. Equidem communia officia, qualia unicuique solent præstari, non possent denegari, quin odium indicetur : specialia autem nemini debentur, ideoque absque injuria denegantur. Communia censentur « quæ christiano debentur a quolibet christiano in communi, concivi a concive, cognato a cognato. »[6] Specialia sunt magna familiaritas, munerum largitio, vel alia beneficia. Qui præstant auctoritate, aliquando

(1) S. Alph. l. ii. n. 27.
(2) Busembaum, apud S. Alphonsum ibidem.
(3) Serm. xc.
(4) Hom. vii. *de misericordia.* (5) Matth. v. 44.
(6) Busembaum, post Cajet. apud S. Alphons. l. ii. n. 28.

absque culpa omnia dilectionis signa omittunt, duriusque tractant subditos, ut eos ad bonam frugem redigant : id licet etiam amicis, propinquisque, quando expedire videatur ad rei emendationem, vel ad familiæ, cœtusve decus. Merito igitur ebriosi, vel qui alias pravis moribus infames sunt, communibus officiis privantur. Sic etiam qui occasionem delicti et fomitem ex amicitia desumpturi videntur, pari ratione tractantur. E contra specialia dilectionis indicia præbenda sunt aliquando, si iis denegatis scandalum oriturum sit, vel si inimicus veniam deprecetur; vel admodum indigeat speciali beneficio; vel sit hac ratione in viam salutis attrahendus. Clericos præsertim ad ea præstanda, pluribus in rerum adjunctis, obligari facile contingit. « Per se loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum positivo et peculiari actu, neque ad eum salutandum, alloquendum, ægrotum invisendum, mœstum consolandum, hospitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, etc. quia hæc sunt signa specialia amoris. »[1] Si prius consueveras inimico ea exhibere, adhuc præstanda sunt, « ad hoc tamen non teneris cum gravi tuo incommodo, modo scandalum amoveas, » inquit S. Alphonsus.[2]

88. Qui inter se sanguine conjuncti, vel alias speciali amicitiæ vinculo ligati, dissidio orto, specialia signa denegant, possunt a gravi peccato excusari, si nullum sit odium, sed animorum ad tempus divortium, absque aliorum scandalo. Multo magis excusantur, etiam a culpa levi, qui dissidii haud participes, coguntur, patre jubente, familiaritatis et amicitiæ indicia denegare : nec enim possunt cum pacis domesticæ dispendio amicitiam colere. Ita etiam excusatur uxor, quæ sororis consortio, jubente marito, se subducit. Cæterum « non licet inimicum excludere a communibus orationibus, v. g. oratione Dominica, quæ pro communitate instituitur, nec a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione; quia hæc sunt communia dilectionis signa; ideoque contra hæc facere, v. g. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia, vel collegio ex consuetudine salutare, solo inimico excluso, est ex genere suo, et regulariter mortale. »[3]

89. Plerumque non tenetur quis ad salutandum inimicum, quia « per se omissio salutationis non est signum odii, nisi antea solebas eum salutare : vel nisi ex circumstantiis colligatur te ex odio non salutare; vel ille sit tunc Superior : vel nisi occurrentibus pluribus, inter quos est ille, reliquos, eo excepto, salutes. » . . . « Vel etiam (addendum) si sine magno incommodo salutando inimicum posses eum ab odio et culpa gravi liberare : ad hoc enim bene videtur charitas te obstringere, ut recte ait Tournelius, *t.* 3. *p.* 267. *n.* 4. Omnino autem teneris eum resalutare, quia alias censeris inimicum contemnere, et in hostilitate velle perseverare, ut communiter cum auctoribus citatis docetur. Excipe, nisi esses prælatus, parens, vel judex, vel nisi hoc facias, non ex odio, sed justo dolore acceptæ injuriæ . . modo . . ex brevi tempore injuriam acceperis. Religiosus autem qui renueret per notabile tempus, puta post hebdomadam, colloqui cum inimico, merito dicit Sporer non esse absolvendum. »[4]

90. « Etsi quivis teneatur inimico veniam legitime petenti non tantum in-

(1) Busembaum, post Cajet. apud S. Alphons. l. ii. n. 28. (2) L. ii. n. 28.

(3) Busembaum, ibidem.

(4) S. Alph. ibidem.

terius remittere, sed etiam externa remissionis signa ostendere ; negat tamen Trul. *l.* 15. *c.* 5. *d.* 5. . . . teneri statim postquam offensio est illata, eo quod sit res violenta et supra fragilitatem humanam. »[1] « Expectandum igitur tempus opportunum; et interea sufficiet, quod offensus deponat odium. » Ita S. Alphonsus.[2] Hinc si quis alicujus maritum, fratrem, filium occiderit, non tenetur uxor, frater, pater, ad veniæ indicia statim præbenda ; sed satis erit si odium et vindictæ cupidinem comprimat, ut Deo obtemperet.

91. Non tenetur quis inimico etiam deprecanti damnum illatum condonare : nam jus ad satisfactionem exigendam stat cum veniæ largitione. Igitur, remissa injuria, licebit reparationem exigere, judicis auctoritate implorata. Quod si publica justitia exigat rei punitionem, ne scelera impune patrata augeantur, licet ordinem judiciorum sequi. Cæterum quum vindictæ animus vix abesse possit, censet S. Alphonsus, « quod practice loquendo numquam liceat expetere punitionem inimici, etsi justa et legitima auctoritate faciendam. »[3]

92. *Odium* proximi grave esse peccatum liquet. « Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat : quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. »[4] « Qui non diligit, manet in morte : omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. »[5] Ideo homicida dicitur, quia odium cor ad cædem disponit. Ex desiderio animi odii gravitas maxime dijudicanda est; qui enim ruinam adversarii cupit, graviter plane contra charitatem delinquit.

93. Odium *abominationis* ab odio *inimicitiæ* a theologis distinguitur ; hoc quippe hominem respicit, ejusque malum quærit : illud vitium aversatur, vel indolem nobis ingratam. Qui aliquem oderunt, quin mali aliquid ei evenire velint, ejus agendi rationem, indolem, vel vitium aversari rectius dicuntur, nec facile damnandi sunt gravis peccati. Sic parentibus aliquando contingit filium aliquem minus diligere, et ex naturæ quodam impetu aversari, quem tamen sincero affectu amplectuntur, ejus utilitatibus consulentes. Alii vix tolerare possunt conspectum propinqui alicujus, mores agrestes, vel malam indolem aversantes. Laborandum est ut, quæ nullo eorum quos aversamur vitio nituntur, emendemus : facile enim ducunt ad inimicitias fovendas.

94. Qui alteri malum exoptat, debet confitendo explicare, quam mali speciem ei apprecatus fuerit; desideria quippe efficacia specialem habent malitiam, pro rei optatæ natura. Cæterum quæ quis ex odii impetu alteri optat, videntur plerumque sub una ratione mali concipi, et contineri ; ideoque non sunt necessario exponenda enucleatius, quando specialis voluntas non apparet.

95. Absque odii vitio, quamvis periculo non vacet, optare potest quis alteri malum aliquod temporale, quod in animæ salutem cedat ; v. g. morbum, ut a peccando retrahatur ; res adversas, ut superbia dometur. Communis utilitatis studio potest quis etiam, absque culpa, optare, ut flagitiosi comprimantur, Ecclesiæ persecutores moriantur, dissidiorum auctores pœnas debitas luant; insuper ut qui, vitiis suis, dedecori est et probro familiæ, moriatur. Cæterum non

(1) Busembaum, apud S. Alph. l. ii. n. 29.
(2) Ibidem. (3) Ibidem.
(4) I. Joan. ii. 11.
(5) Ibidem. iii. 14.

excusatur mater quæ filiæ optat mortem, quod haud sit pulchra, vel ad matrimonium quæsita. Mulier mariti optans mortem, qui ebrietate aliisque vitiis eam et filios graviter lædit, et contristat, videtur posse excusari. Cæterum damnata est propositio : « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci appetitu appetere, et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. » [1]

96. Præstat Angelicum doctorem audire : « Charitas attendit ad quædam bona per se, scilicet ad bona gratiæ, ad quædam autem per accidens, in quantum ad ista ordinantur. Bona autem temporalia, quæ per accidens charitas attendit, et ex consequenti, possunt se invicem in diversis impedire, quia prosperitas unius inducit adversitatem alterius. Unde quia charitas ordinem habet, et plus debet diligere quisque se quam alium, et propinquos quam extraneos, et amicos quam inimicos, et bonum commune multorum quam bonum privatum unius, malum potest aliquis salva charitate optare temporale alicui, et gaudere si contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum bonorum alterius, quem plus teneor diligere, vel communitatis, vel Ecclesiæ : similiter de malo ejus, qui in malum temporale incidit, secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus. » [2]

CAPUT IV.

DE ELEEMOSYNÆ PRÆCEPTO.

97. Charitatis præceptum nos obligat ad subveniendum proximo indigenti. Quo autem usque pertingat hæc obligatio, non adeo facile definitur. *Extremam*, *gravem*, *communemque* necessitatem distinguunt theologi. *Extremam* vocant, quoties qui indiget, vitæ, vel morbi diuturnioris, periculum init, nisi ei statim subveniatur. *Gravis* est necessitas, quando quis sui status et conditionis jacturam facturus est, nisi opem accipiat, vel in carcerem detrudendus, vel exul ablegandus. *Communis* est quam patiuntur pauperes quicumque, ostiatim plerumque mendicantes.

98. Bona quæ quis possidet, alia sunt necessaria ad vitam sustentandam : alia ad status decorem requiruntur. Constat neminem teneri ad eleemosynam tribuendam ex iis quæ vitæ suæ sustentandæ sunt omnino necessaria, licet alterius vita sit reipublicæ utilior : nam natura ita sumus comparati, ut vitam unusquisque suam conservandi jus habeat et instinctum. Quæ vitæ superflua, statui vero et conditioni necessaria sunt, erogare non tenemur, nisi in extrema aliorum necessitate : [3] unusquisque enim sta-

(1) Prop. xiii. damn. ab Innoc. XI.

(2) In III. Sent. dist. xxx. art. i. *ad quartum.*

(3) Solent theologi, præeunte S. Gregorio M. l. xii. ep. xxx. *ad Aug. ep. ad* inter. ii. præceptum superflua elargiendi ex eo loco colligere : « Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis. » Luc. xi. 41. Textus ea quæ præsto sunt respicere videtur : πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην « quæ insunt, quæ catino continentur, « in eleemosynas largimini. » Eadem sententia apud Matthæum aliis enuntiatur verbis : « munda prius quod intus est calicis, et paropsidis, ut fiat id,quod de foris est,mundum. » Mat. xxiii. 26. Ex των ἐνοντων apud Epictetum significat quatenus fieri possit. Enchir. c. xliv. των ἐνόντων apud Lucianum adhibetur in tractatu de luctu, ubi sermo est de iis quæ in Tartaro sunt : miratur scilicet quomodo accurate videre contigerit singula « quæ ibi sunt, » quum locus sit tenebricosus. Lingardus Vulgatæ verba eo sensu intelligit ; quod ex Zacchæi agendi ratione deinceps relata confirmat c. xvi.

tum suum tenere poterit, divinæ providentiæ ordini inhærens. Cæterum dum extrema urget aliorum necessitas, iis succurrendum est, etiam cum status detrimento, quum vita aliorum sit plerumque longe majoris momenti, quam status cujusquam decor.

99. *Superflua* statui vocantur, quæ quis posset largiri absque suæ conditionis detrimento. « Quæ sunt necessaria ad alendos liberos, famulos, et ad honestas donationes, convivia, hospitum tractationem, — spectatis etiam communibus eventibus, hæredibus, necessitate futura, etc., non sunt superflua. »[1] Dubitari autem nequit plurima superflua esse divitibus; quapropter merito damnata est propositio: « Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui: et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. »[2]

100. Non tantum extrema, sed etiam gravi necessitate laboranti succurrendum est, ex superfluo statui; nam eleemosynarum præceptum largiendarum, quod adeo in Scripturis commendatur, non potest ad rarum admodum casum extremæ necessitatis restringi. « Notat tamen Viva, — quod neque in gravi, neque in extrema necessitate pauperis teneatur dives magnam pecuniam erogare, cum hæc sint media valde difficilia, et fere moraliter impossibilia. »[3] « Probabile est, quod proximo in gravi necessitate constituto quisque teneatur subvenire cum modico detrimento proprii status; quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. »[4]

101. In communibus pauperum necessitatibus eleemosynæ tribuendæ sunt ex superfluo statui, ea copia qua indigentibus subveniretur si divites plerique se adeo liberales exhiberent. Equidem frequentem admodum et communem esse debere eleemosynarum largitionem, colligitur ex Christi verbis, eam commendantis, et veluti judicii rationem in ea constituentis.

102. Æquum etiam est, ut quum jure naturæ omnia forent omnibus communia, rerum divisio jus quibusdam tribueret, nonnisi ea conditione adjecta, ut communibus cæterorum necessitatibus consulerent. Præterea, « si divites absolutam non haberent obligationem subveniendi communiter mendicis, possent isti ab omnibus in sua necessitate derelinqui. »[5] « Cæterum Viva, Tamburini, Mazzoti, et Roncaglia, cum communiori, censent satisfacere probabiliter divites, erogando in pauperes communes quinquagesimam partem suorum reddituum, sive duos aureos ex centum, sed non in eadem proportione, si divitiæ multum excedant. »[6]

103. Quum in plerisque civitatibus oppidisque Provinciarum Fœderatarum hospitia sint in quibus pauperes excipiuntur, quorum sustentationi cives consulunt, *taxa* solvenda, hac ex parte obligationi dandi eleemosynas quodam pacto satis fit. Non igitur facile deneganda est absolutio diviti, qui mendicis non subvenit: attamen hortari oportet omnes « divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare: »[7] eisque in memoriam revocare illud Apostoli: « Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? »[8]

104. Omnibus egentibus, absque re-

(1) Busembaum, apud S. Alphonsum, l. ii. tract. iii. c. ii. dub. iii. n. 31.
(2) Prop. xii. damn. ab Innoc. XI.
(3) Apud S. Alphonsum, *ubi supra*.
(4) Busembaum, ibidem.
(5) S. Alphonsus, *ubi supra*, n. 32.
(6) Ibidem.
(7) I. Tim. vi. 18. (8) I. Joan. iii. 17.

ligionis, aut gentis, discrimine necessaria vitæ subsidia tribuenda sunt, uti pulchre nos docuit Christus, Samaritani exemplo. Ordo tamen servatur, ut propinquioribus, et quorum cura nobis commissa est, imprimis subveniatur, nisi gravior aliorum necessitas aliud postulet.

105. Ex bonis suis, non autem alienis, eleemosyna tribuenda est : nemo enim potest aliena largiri : quapropter graviter peccant contra justitiam famuli dominorum bona tribuentes. Attamen si extrema urgeat necessitas, quæcumque præsto sunt possunt adhiberi ad subveniendum perituro : nec enim dominus invitus censendus est. In naufragio quidquid potest inservire ut quis evadat, licite arripitur, ut præbeatur periclitanti : in fame quidquid obvium occurrit vitæ sustentandæ idoneum, datur morituro. Non licet autem aliena præbere, si tua præsto sint quibus ei subvenire possis. In communi necessitate non licet dare eleemosynam ex alienis bonis, nisi ex tacito saltem domini consensu. Hunc habet uxor de rebus mariti, moderate tamen, et pro more aliarum ejusdem conditionis : pueri etiam, et filiifamilias, juxta aliorum notam consuetudinem, moderatas dant eleemosynas : ancillæ de cibis qui supersunt, et de vestimentis abjectis aliqua tribuunt, dominis haud invitis. Cæterum non debent dare cibos mensæ nondum appositos, vel res alias, contra dominorum justam voluntatem, ideoque restitutionem facere debent, si secus egerint.

106. Qui bona aliena surripuerunt, vel alias injuste possident, non satisfaciunt restituendi obligationi eleemosynis dandis, si certus sit dominus, et possit ei reddi res ablata, vel ejus valor. Quæ certum non habent dominum, possunt in eleemosynas tribui, ex præsumpto domini consensu.

107. Quæ pravis actibus comparantur, justitia illæsa, possunt retineri, quamvis perperam acquisita ; quia revera sunt illius qui opere, licet pravo, ea lucratus est. « Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, et de eo eleemosyna fieri. »[1] Sed si alicui surripuerit meretrix pecuniam, est restituenda : quod si fieri nequeat, poterit in eleemosynas dari, quum dominus haud reperiatur.

108. Septem enumerantur *opera misericordiæ* corporalis, his vocibus enuntiata :

« Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo,
condo.

Visitare infirmos, et carcere detentos, potum dare sitientibus, cibum esurientibus, redimere captivos pretio libertatis præstito, tegere vestibus nudos, colligere in domum peregrinos, vel qui tecto carent, et mortuos condere sepulchro, sunt eximia illa opera. Pleraque Christus ipse recensuit, salutis mercedem iis tribuendam docens : « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere ; hospes eram, et collegistis me ; nudus, et cooperuistis me ; infirmus, et visitastis me ; in carcere eram, et venistis ad me. »[2] Quam acceptum sit Deo charitatis officium quod exercetur mortuorum cadaveribus sepeliendis, liquet ex Raphaelis Archangeli ad Tobiam dictis : « Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. »[3]

(1) S. Thom. 2. 2. qu. xxxii. art. vii *Resp* Vide et tract. xi. 17. (2) Matth. xxv. 35. (3) Tobiæ xii. 12.

Captivorum redemptio misericordiæ eximium est exercitium : « Summa liberalitas , » inquit S. Ambrosius , « captivos redimere,eripere ex hostium manibus , subtrahere neci homines , et maxime feminas turpitudini , reddere parentibus liberos , parentes liberis , cives patriæ restituere. » [1] Hospitalitas etiam piis illis operibus accensetur , quam exercentes Abraham et Lot Angelos in ædes suas excipere digni sunt facti , tanti honoris haud conscii : « Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. » [2]

CAPUT V.

DE CORREPTIONE FRATERNA.

109. *Correptio fraterna* est admonitio qua quis proximum conatur revocare a peccato. Ejus necessitatem colligunt theologi ex Christi verbis apud Matthæum; quæ tamen culpas in nos admissas præsertim respiciunt : « Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. » [3] Equidem ipsa charitas nos movet ad peccatoris emendationem et salutem quærendam ; quapropter qui negligit eum opportune corripere, contra dilectionem fraternam peccare convincitur.

110. Plerumque non est obligatio corripiendi leviter peccantem ; quum enim culpæ veniales sint adeo frequentes , etiam in justis , nimis grave foret onus eas reprehendendi; et molestia inde inferretur aliis, haud sine invidia pietati conflata. Cæterum prælatus Ordinis religiosi sæpe tenetur sub gravi peccato corrigere leves subditorum culpas , eas præsertim quæ disciplinam paulatim evertere possunt.

111. Quæ fiunt contra legem naturæ, vel sanctionem aliquam , ex ignorantia invincibili , culpa quum careant, non postulant correptionem , nisi spes sit fructus : præstat enim bona fide ea fieri , licet alioquin vetita , quam contra conscientiam. Sed spe emendationis affulgente , admonendus est qui agit contra legem naturæ; nam impedienda est pro viribus res per se mala : imo qui legem positivam ita violat , pariter est admonendus , juxta sententiam magis probatam , quum legis violatio sit mala , ideoque impedienda. Hinc qui novit alterum justitiam violare, bona fide, ut videtur, debet eum monere erroris, si verosimile sit eum aliam deinceps agendi rationem secuturum. Imo qui videt alterum carnes die vetito ex oblivione manducantem , debet ei memoriam refricare , si commode possit.

112. *Obligatio* correptionis *gravis* est, quandocumque peccator a delicto graviori potest ea facile revocari. Præsules , parentes , magistri , domini , aliique quibus aliorum cura est commissa , graviter peccant , si negligant subditos corripere, et sic laxas habenas dent vitiis. Privati plerumque leviter peccare videntur , omittenda correptione ; nam vel dubius est fructus , vel correptio absque gravi incommodo nequit fieri ob verecundiam; vel alias difficultas haud facile superatur. Ideo qui nullatenus blandiuntur peccantibus, nec eorum fiunt consortes, haud facile damnandi sunt , si eos corripere haud fuerint ausi. Pii viri non debent solicitiores esse hac in re, quum suo exemplo semper moneant delinquentes. « Notat Tournelius . . . neminem teneri ad corrigendum in necessitate gravi spirituali cum periculo notabilis damni honoris, vel bonorum, nisi sit pa-

(1) L. ii. *de officiis* c. xv. (2) Heb. xiii. 2. (3) Matt. xviii. 15.

stor, aut alius cui ex officio incumbat alterius cura. »[1]

113. Ut gravis sit corripiendi alterum obligatio, debet I. de delicto, vel de proximo peccandi periculo constare : v. g. de consortio, et amicitia plena periculi. Superiores, quum debeant invigilare ne vitia irrepant, aliquando tenentur communi quadam correptione subditos monere delicti, quod graviter suspicantur esse admissum. Delictum si jam pœnitentia deletum sit, et periculum relabendi ablatum, correptione opus non est : ideo ut quis ad corripiendum teneatur, constare debet II. delictum non esse emendatum, nec emendandum, nisi correptio fiat, vel relapsus periculum esse. Qui novit quemquam ante tempus diuturnum graviter deliquisse, qui jam bonis videtur moribus, nec in periculo constitutus, non tenetur ad eum monendum, ut pœnitentiam agat gravioris quod aliquando admiserat delicti. Quod si constet eum haud pœnituisse, extra tamen occasionem lapsus nunc positum, probabilior sententia, judice S. Alphonso, tenet eum monendum, si spes sit fructus; nam qui peccato inquinatam habet animam, in gravi versatur necessitate, indigetque correptionis subsidio. III. « Si alius æque idoneus non sit qui correpturus putetur : »[2] si enim correptio ab alio fiat, emendationi delinquentis consulitur. IV. « Si sit spes fructus : » nemo enim ad inutile tenetur. Si igitur peccans prævideatur corripientem spreturus, et forsan magis peccaturus, melius omittitur correptio. Quod etiam dicunt theologi, si dubium sit utrum profutura sit, nisi reus in mortis discrimine versetur, vel nisi aliorum damnum in fide vel moribus ex omissione sequatur. « Addunt Salmanticenses concionatores teneri peccata publica reprehendere, etiamsi ideo damna privata timeantur. Hoc tamen intelligendum, si ex reprehensione aliquis fructus speretur, et majus damnum commune non timeatur.»[3] V. « Si sit bona occasio, locus, et tempus opportunum.[4]

114. *Ordo* in correptione servandus, quando agitur de delictis in nos admissis, est, juxta Christi Domini præceptum, ut correptio primo fiat privatim; quæ si haud profuerit, unus aut alter testis adhibetur : et si solemnior hæc correptio pariter rejiciatur, denuntiandus est delinquens Ecclesiæ, scilicet Præsuli, cujus est ligare et solvere. Pertinax autem habendus est instar ethnici, a consortio fidelium alienus.[5] Jam vero hæc si ad singula peccata transferantur, corripiendus erit peccator privatim, si secretum fuerit delictum; sed publice peccantes palam esse corripiendos, recte docet Concilium Tridentinum, Apostolo præcipiente : « Peccantes coram omnibus argue : ut et cæteri timorem habeant. »[6] Equidem ratio cur correptio privata esse debeat, est ut famæ consulatur; quæ jam integra non est, quoties delictum est publicum. Testes adhibendi sunt, quoties res erit ad judicium trahenda; quod si peccatoris emendatio tantum quæratur, amicorum, qui plurimum apud eum possunt, gratia ad bonam frugem reducendus erit. Si nolit eis obaudire, patienter plerumque tolerandus erit, ne animus exulceratus ad flagitia ruat præceps; Christo docente zizania in agro relinquenda, ne forte, dum evelluntur, frumentum etiam tollatur. Præsuli tunc erit deferendum crimen,

(1) S. Alphons. l. ii. Tract. iii. dub. iv. n. 39. iii.
(2) Busembaum, apud S. Alphonsum, ibidem.
(3) S. Alphonsus, l. ii. Tract. iii. dub. ii. n. 40.
(4) Busembaum, ibidem.
(5) Matt. xviii. 17.
(6) I. Tim. v. 20.

quando ejusmodi fuerit ex quo aliis gravissimum oriatur animæ damnum, et offensio maxima : Præsul autem gladio Ecclesiæ, quo abscinduntur contumaces, utetur, post operam omnem frustra adhibitam, ut emendetur reus.

115. Correptionis ordinem singulis in casibus charitas ipsa studiumque salutis alienæ ostendent. Si superioris opera vitium statim emendari possit, absque peccantis detrimento, præstat statim illud deferre; nec opus est ut privata præcedat monitio, quæ forsan grave afferret monenti damnum. Sic etiam, si communis utilitas postulet ut crimen Præsuli innotescat, deferendum erit: nec enim quis jus habet ut famæ consulatur cum publico detrimento. In Societate Jesu, ex Instituto quod omnes profitentur, culpæ omnes statim denuntiantur superiori, ut omnium consulat profectui : ideo unusquisque suæ famæ renuntiat, ut Societatis utilitati et suæ perfectioni studeat. Attamen si occultum fuerit peccatum, et pœnitentia deinceps deletum, nec immineat relapsus periculum, vel detrimentum alienum, non est deferendum, quia cessat delationis justa ratio. Si denuntiatio proximo superiori sufficiat, non erit ad præcipuum superiorem recurrendum.

116. *Prælati* plerumque debent inquirere in subditorum peccata; non tamen de singulis curiose interrogare, nisi gravis sit ratio, vel speciale indicium. Accusatores autem non sunt facile excipiendi, ne detur locus calumniis, et iniquis criminibus.

117. Omni ope niti debent Prælati, pastoresque animarum, etiam cum suo incommodo, imo aliquando cum vitæ discrimine, ut peccata publica et occulta impediantur : ideo enim a Christo positi sunt, ut vitia evellant, et hominum saluti studeant.

118. Præter correptionem fraternam, *sex alia* recensentur misericordiæ spiritualis opera ; nempe consilium præbere dubitantibus, ut in virtutis semita tuti incedant ; edocere ignaros; solari afflictos ; remittere offensas ; ferre patienter injurias ; et orare ut aliis cuncta bene cedant : quæ omnia hoc versu enuntiantur :

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

119. Consilii et doctrinæ munera docendi nomine apte intelliguntur : « qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. »[1] Solandi officium ex charitate nascitur, cujus est « flere cum flentibus. »[2] Ad illius exercitium hortatur Apostolus fideles, de resurrectione disserens : « Itaque consolamini invicem in verbis istis. »[3] Veniam dare inimicis charitatis eximium est exercitium : « Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. »[4] Ferendi aliorum infirmitates officium ab Apostolo sæpius commendatur : « Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. »[5] « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. »[6] Orare pro aliorum salute sacri nos hortantur scriptores : « Orate pro invicem ut salvemini. »[7] Ad hæc etiam impellit S. Gregorius Nazianzenus : « Tu vero siquidem majora quoque potes, et quibus anima beneficio afficitur : ne his quoque de indigente bene mereri absiste : imo primum ac potissimum hæc ei qui abs te petit dona, priusquam etiam quam postulet, tota die miserans, ac sermonem commodans. »[8]

(1) Dan. xii. 3. (2) Rom. xii. 15.
(3) I. Thess. iv. 17. (4) Matth. vi. 14.
(5) Rom. xv. 1. (6) Gal. vi. 2. (7) Jac. v. 16.
(8) Orat. xvi. *de pauperibus amandis.*

De consilio scribit Ambrosius : Quanto utilius regem Pharaonem sanctus Joseph consilio providentiæ juvit, quam si contulisset pecuniam ? »[1]

CAPUT VI.

DE SCANDALO.

120. *Scandalum*, apud theologos, a Græco vocabulo σκανδαλον *offendiculum*, est dictum vel factum minus rectum, quod alteri præbet occasionem ruinæ spiritualis. *Per se* dicitur, quando actus pravus est, et ad ruinam alterius directus : uti turpe colloquium ad seducendam puellam. *Per accidens* scandalum oritur ex iis quæ licent, quando ea sunt rerum adjuncta quæ malam speciem iis tribuunt, et occasionem peccandi præbent. Si donum quis det puellæ, absque prava intentione, quod tamen judicat eam veluti affectus nimii indicium acceptare, scandalum per accidens est. Scandalum *activum* est quod datur ab aliquo : *passivum* vocatur ruina alterius, cujus occasio ex dicto vel facto alieno derivatur. Dicitur *pusillorum* scandalum, quod *datum* est, quando quis perperam agendo, vel loquendo, præbuit revera occasionem peccato alieno : sicuti contingit prava dogmata propugnanti, vel animas ad turpia solicitanti. *Pharisæorum* scandalum *acceptum* dicitur, *non datum*, quando quis ex actu bono, vel saltem licito, sumit peccandi occasionem, malitia sua eum excæcante. Sic Pharisæi, audito Christi dicto : « Non quod intrat in os, coinquinat hominem ; »[2] scandalizati sunt. Sic et sectarii offenduntur, Catholicis nolentibus consortium cum iis in rebus religionis inire : quos idcirco existimant charitate carere.

121. Scandalum *activum* datur quando actus, vel dictum, tendit ad ruinam alterius, licet hæc reipsa non sequatur : potest quippe fieri ut quis pravo exemplo, vel solicitationi resistat, quin crimine scandali alter ideo sit immunis. Non autem scandali malitia semper accedit peccato, eo quod coram aliis fiat ; sed iis tantum in rerum adjunctis, in quibus alios ad peccatum inducere natum sit. Laicus qui in cœtum publicum ebrius ingreditur, famæ quidem facit jacturam, sed scandalum præbere vix dicendus est, quum alii suum exemplum haud sint imitaturi. E contra scandalum facile præbet qui adstat concioni hæreticæ : dat enim occasionem rudibus, ut eum imitentur.

122. Quoties quis specialiter quærit ruinam proximi, contra charitatem peccat, sicut et contra virtutem, ad quam violandam alium inducit. Si quis juvenem pium perdere quærens, eum ad prostibulum ducat, charitatis et pudicitiæ violatæ reus constituitur : si sobrium virum quis consulto inebriet, ut casu lætetur, charitatem et temperantiam lædit. Quod si indirecte tantum sit causa ruinæ, sunt diversæ theologorum sententiæ : cæterum S. Alphonsus duplex peccatum in eo agnoscit ; charitas enim violatur, quum detur occasio ruinæ, et specialis virtus insuper læditur. Qui eundo ad prostibulum, comiti nihil tale cogitanti occasio est ut pariter peccet, præter proprium peccatum, charitatem et pudicitiam, pravo exemplo, violasse censetur. « Quando aliquis suo malo verbo, vel facto, intendit alium ad peccandum inducere ; vel etiamsi ipse non intendat, et ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet quod sit inductivum ad peccandum, puta cum aliquis publice facit peccatum,

(1) L. ii. *de officiis*, c. xv.

(2) Matth. xv. 11.

vel quod habet similitudinem peccati. Et tunc ille qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ; unde vocatur scandalum activum. » Ita S. Thomas.[1] Non ideo tamen ad restituendum obligabitur qui exemplo suo alium ad furandum induxit, sicut contingit famulis in eadem domo, vel aliis in eodem officio occupatis; quia non fuit efficax causa injuriæ, quamvis præbuerit occasionem.

123. *Inductio ad fornicationem* est peccatum speciale ab ipsa fornicatione distinctum, juxta plures theologos, quæ tamen in viro plerumque præsumitur.[2] Lugo censet eam esse tantum circumstantiam aggravantem, haud necessario explicandam in confessione. Scandali malitiam in fornicatione semper reperiri constat: uterque enim operam suam præstat alteri peccanti: imo sunt qui in quolibet hujusmodi actu quinque enumerant peccata, quæ tamen ex actu satis intelliguntur: qui enim fornicatur alterum polluit, et seipsum, et suam operam præstat alteri eum polluenti, et contra charitatem duo peccata admittit « cooperando ad pollutionem illius, et ad actionem ipsius, ut tu polluaris. » Ita S. Alphonsus.[3]

124. Scandali reus videtur, qui alium ad peccandum paratum actu movet, si res absque peccato nullatenus præstari queat; sicut qui meretricem ad fornicationem invitat, « quia, licet meretrix sit in actuali voluntate peccandi, certe tamen sibi infert ruinam graviter majorem, opere complendo illud particulare fornicationis peccatum. Is igitur, qui illi cooperatur ad peccatum consummandum, dupliciter graviter peccat, tum contra charitatem, tum contra castitatem. »[4] « Si res quæ petitur sit indifferens, et ben possit præstari sine peccato alterius, ut esset petere mutuum ab usurario, juramentum a falsum juraturo, Sacramentum a sacerdote peccatore, »[5] peccatur nihilominus, judice S. Alphonso, si sine gravi causa res petatur: charitas enim vetat ne leviter et temere aliquis ad actum moveatur, quo grave sibi infert damnum spirituale.

125. Scandalum *pharisaicum*, quod ex aliena malitia oritur, negligendum est: nec enim bona opera deserenda sunt, vel sana principia derelinquenda, eo quod murmurent in sui interitum homines perversæ indolis. Sic Christus discipulis referentibus Pharisæos scandalum passos ob sua dicta de cibis, respondit: « Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum. »[6] S. Gregorius scribit: « Si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. »[7] Scandalum pusillorum post monitionem fit pharisaicum; ideoque qui causam quam habet agendi exposuit, poterit agere, licet infirmi obmurmurent. Qui ob valetudinem infirmam carnibus vescitur diebus vetitis, non est angendus, licet alii occasionem violandi legem Ecclesiæ inde sumant, dummodo opportune rationem reddat. Cæterum non debet absque necessitate publice uti, quam habet, venia. Si parentes, vel propinqui, odio prosecuturi sint sacerdotes, vel fidem catholicam, puella vota solemnia nuncupante, non tenetur ipsa, postquam rationes quibus movetur explicaverit, manere in sæculo, ut eorum offensionem impediat: poterit tamen aliquantum differre propositi executionem, ut eis gratificetur.

(1) 2. 2. qu. 43. a. i. ad 4.
(2) Mayol. *Disp. Præamb.* qu. iii. art. vii.
(3) L. ii. Tract. iii. n. 46.
(4) Ibidem. (5) Ibidem.
(6) Matth. xv. 14.
(7) In Ezech. hom. vii. n. 5.

126. Ad vitandum grave *scandalum pusillorum* numquam omittenda sunt necessaria munia, nempe fidei professio, Sacramentorum susceptio, eorum saltem quæ sunt ad salutem necessaria, et naturalis legis impletio: nam animæ saluti consulendum est, quidquid aliis contingat. Præcepta autem omitti aliquando possunt, ne alii scandalum patiantur; « quia præceptum generale de vitando scandalo proximi, cum sit naturale, præferendum est præceptis positivis. » [1]

127. Bona temporalia non sunt dimittenda ad scandalum vitandum: nemo enim tenetur cum gravi sui jactura aliorum impedire ruinam; præsertim quæ, post rationem redditam, eorum malitiæ est tribuenda. « Propter scandalum pharisaicum, » inquit S. Thomas, « non sunt bona temporalia dimittenda, quia hoc et noceret bono communi; daretur enim malis occasio rapiendi, et noceret rapientibus, quia retinendo non sua, in peccato remanerent. » [2] Licet tamen bonorum suorum pati jacturam, ne iis vindicandis pusillis offensionem demus. Cæterum quæ alicui custodienda et administranda traduntur, sua censenda non sunt, sed summa fide servanda: ideoque non possunt sponte dimitti ad offensionem quorumdam evitandam. Hinc Episcopi nequeunt quæ ad mensam suam pertinent rapientibus dimittere, licet videantur quibusdam tenaces nimis: juramento enim se obligarunt ad ea servanda.

128. Quæ præcepto injuncta non sunt, laudabiliter omittuntur ad evitandam aliorum ruinam. S. Gregorius M. ait: « In quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. » [3] Cæterum disputatur utrum peccet qui ea ponit absque gravi aliqua causa, noscens alios inde desumere peccati occasionem: v. g. si puella conspiciendam se præbuerit viro qui eam prave concupiscit. « Valde probabiliter negant peccare graviter Cajetanus, Sanchez . . . Sufficit enim, ut dicunt, ad eam excusandam, saltem a mortali, causa, ne ipsa sua libertate privetur; cum ex una parte hoc scandalum non est datum, sed acceptum ex malitia viri; et ex alia vice esset res valde incommoda mulieri, et scrupulis obnoxia, si expendere deberet semper, an habeat justam causam egrediendi, vel non. Nequirem autem . . illam excusare a mortali, si ipsa ex vanitate ducta, etsi scandalum illius viri non intendat, data opera ejus aspectui se offerret. Hinc recte dicunt Sporer et Diana teneri mulierem sub gravi scandalum viri determinati vitare, si posset commode aliam ecclesiam adire, per aliam viam progredi, a fenestra abstinere, et similia. Hoc tamen non intelligendum ad longum tempus, sed tantum pro una vel altera vice, donec alter advertere possit se fugi ab illa. . . . Nequirem etiam mulierem a mortali excusare, si illa peteret aliquem locum, quem non adiret, nisi sciret ibi amasium adesse, ut recte advertit Sporer. » [4]

129. *Ornatus honestus* suæ conditioni conveniens, sive mulieris ut marito placeat, sive puellæ ut sponsum inveniat, non est culpandus. Quod si noverit aliqua ruinæ occasionem inde alicui oriri, ad breve tempus debet eum dimittere ad peccatum ejus vitandum. Cæterum nimis grave foret diu sua libertate in re honesta privari, ob alterius malitiam, seu fragilitatem.

(1) S. Alph. l. ii. n. 51. *Supra* tract. iv. p. ii. n. 20. (2) 2. 2. q. xliii. art. viii.

(3) In Ezech. hom. vii. n. 5.

(4) S. Alphonsus, l. ii. n. 52

130. *Excessus quidam ornatus*, absque prava intentione, plerumque venialis est. Quæ fuco, pigmentis, crinibus adscititiis, dentibus arte factis, utuntur, haud graviter peccant; sed nec leviter, quando defectus tantum studeat celare. Vanitas quædam et laudis cupido nonnisi venialis est culpa: desiderium conjugii legitimi ab omni culpa excusatur; sed quidquid fit ut aliquis alliciatur ad peccatum grave, mortale est.

131. *Quæ viriles* aliquando *vestes* induunt, cum larvis incedentes, vel qui muliebribus e contra vestibus induuntur, scandalum facile præbent, et libidinis fomitem. Cæterum contingit nonnumquam puellas juniores, ludi causa, absque prava intentione, vestes viriles induere: quod gravi vacat peccato, quoties libidinis periculum abest; quod vix fieri potest, pluribus simul ludentibus. Si autem necessitas cogat mutare vestes ad se fuga surripiendum, nulla est culpa; quæ enim extitit veteris legis prohibitio, si ad litteram intelligatur, ad præcepta abrogata referenda est.

132. « Graviter peccant *pingentes*, sive *exponentes* publice imagines obscœnas, scilicet detectis pudendis, sive tenui velo coopertis . . . Secus si, detectis aliis partibus, pudenda tegantur. »[1] Etiam Diana mortale in eo agnoscit peccatum.[2]

133. Utrum parato ad grave facinus patrandum liceat minus malum suadere, inter theologos quæritur: v. g. si quis velit alterum interficere, ei suadere ut potius potui indulgeat nimio, vel ut ad meretricem divertat. Negant nonnulli, numquam licere putantes aliquid mali suadere: alii autem censent licere, « quia tunc suadens non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. » Hæc sententia arrisit S. Alphonso.[3] Cæterum nemo non videt eam nonnisi in gravissimo discrimine adhibendam, ut mala graviora impediantur.

134. Quandoque licet alium objicere discrimini, eique occasionem peccandi præbere, gravem ob causam, scilicet ut virtus ejus exploretur, vel quæ studio occulit, detegantur vitia. Marito graviter suspicanti uxorem pravam fovere consuetudinem, licet aliquantulum domo abesse, et contra spem reverti, ut detegat rei veritatem. Mercatori etiam famulum furti suspicanti, licet pecuniam certo loco ponere, quo famuli fides innotescat. Numquam tamen licet aliquem ad peccandum sollicitare; vel eum in iis rerum adjunctis constituere, in quibus certo peccaturus est, communi spectata fragilitate. Peccat idcirco qui mulierem suspicans esse minus pudicam, eam ad secum concumbendum invitat, quamvis absit animus eam consentientem excipiendi: vel qui juvenem cum puella cubiculo includit, ut virtutis ejus faciat periculum.

CAPUT VII.

DE COOPERATIONE.

135. *Cooperatio* est operam alteri præstare; quod de rebus pravis theologi plerumque intelligunt. *Formalis* cooperatio est aliquid præstare ex animo alterum in re prava adjuvandi: sicut fit ab amico alteri gratificari studente, et ejus consilia ad effectum perducere. *Materialis* cooperatio est operam aliquam præstare, qua alter in pravo consilio exequendo adjuvetur, animo tamen a re prava alieno. Formalis cooperatio semper vetita

(1) S. Alphonsus, l. ii. n. 56.
(2) Tract. v. de scandalo. Resp. lxiii. 5.
(3) L. ii. n. 57.

est; nam qui consilium impii adjuvat, ejus fit particeps. Servus qui ostium noctu sera munire negligit, ut ingredi valeat fur, sibi amicitia devinctus, ad surripiendam domini supellectilem, gravissime peccat. Materialis cooperatio aliquando licet, quando scilicet opera præstatur in re licita, et ex gravi admodum causa. « Semper autem est intrinsece mala illa actio, quæ ex se determinata est ad peccatum: uti esset, quærere domino concubinam, idola fabricare, et quid simile. Secus, si actio potest fieri, puta ministrare mensæ, aperire januam, etc. » [1] Porro causa, ob quam operam alteri peccaturo quis præstat, debet esse tanto gravior, quanto actus magis influit in peccatum, et quanto crimen ipsum gravius est. « Cum tu præstas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad suum peccatum exequendum, non teneris nisi ex charitate illud impedire; et quia charitas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa, non peccas: tunc enim peccatum illius non provenit ex cooperatione tua, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur. » [2]

136. *Sponsa cum sponso* contrahens excusatur a peccato, licet noverit eum in peccato versari; habet enim justam causam suam præstantis operam rei per se licitæ, imo sacræ; qua privari non debet ob alterius conditionem sua culpa inductam: sed non ita dicendum, si contractus ipse matrimonialis foret illicitus ob votum quo ligatus est sponsus; peccaret enim sponsa rei illicitæ operam præstando. Post nuptias autem bona fide cum viro, qui voto simplici castitatis obstrictus est, initas, non peccat uxor ei debitum petenti obtemperando: tenetur enim vi matrimonii, resque per se licet: nec potest peccatum ejus impedire absque gravi incommodo. Imo nec peccat petendo debito; habet enim jus, cui satisfacere potest maritus absque peccato.

137. *Famuli* consueta præstantes obsequia dominis non peccant, licet ea in peccatum ex dominorum malitia vertantur. Vinum ad mensam deferunt, quo convivæ inebrientur: nec enim famuli plerumque absque gravissimo incommodo recusare officium suum possunt. Non ita excusandi videntur si vinum ebrio propinent; nec etiam si afferant illud, quando facile possint domini voluntatem eludere. Famulus comitans domino eunti ad lupanar non excusatur, « si herus ex comitatu animosior reddatur; » [3] excusari autem videtur, si gravis damni metu, dominum sequatur, prout alias solet, eumque redeuntem expectet. Cæterum quum mos non sit in his provinciis, ut famuli per vicos sequantur dominos, hæc quæstio vix habet locum. Quæri autem potest utrum auriga possit aliquem vehere ad lupanar, sive ratione famulatus, sive mercede accepta. Videtur quidem posse; nec enim ejus est inquirere, quem ob finem eo se conferat, sed quo jusserit eum deferre. Id spectatis moribus hujus regionis, videtur omnino dicendum: sed peccaret qui suam operam exhiberet ad eum securius occultiusve vehendum: vel qui ignarum ubi sit prostibulum, eo duceret.

138. Plane non licet famulo obtemperare domino jubenti ut quærat ei concubinam; res est enim per se mala: quod si jusserit ancillam in cubiculum mittere, videtur posse jussionem heri

(1) S. Alphonsus, l. ii. Tract. iii. dub. iv. art. iii. n. 59.

(2) Ibidem. n. 63.

(3) S. Alphonsus, l. ii. n. 64.

referre, etsi suspicetur, vel fere noverit, eam in malum finem arcessi, dummodo tamen ipsam, nil suspicantem, periculi monuerit; jussa enim referendo, simplici famulatus officio fungitur. Non liceret autem eam ob pravum finem a domino declaratum advocare, quia manifesto foret res mala. Excusatur etiam famulus, qui, domino jubente, mulierem curru vehit ad domum, nihil interrogans de consilio quo venit: quod si omnino liqueat eam pravum ob finem venire, non videtur operam suam præstare posse, nisi grave alioquin detrimentum ipse passurus sit. Famulum non posse ad meretricem munera deferre, licet dominus jusserit, censet S. Alphonsus post P. Concinam, putans « hoc esse intrinsece malum, quia revera munera per se turpem amorem fovent »[1]

139. Damnata est ab Innocentio XI. propositio: « Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. »[2]

140. Utrum peccet ancilla ostium aperiendo meretrici, quæ ex condicto invisit dominum, vel viro qui invisit mulierem pravum ob finem, quærunt theologi. Plerique censent eam excusari ratione famulatus: nec obstat damnata propositio, quæ de januæ apertione quæ absque ejus opera non fieret, ad stuprum patrandum, ex serie orationis intelligenda est. Cæterum excusanda non videtur ancilla, quæ noctu clam ostium aperit meretrici, vel adultero: nam ipso occultandi crimen studio ei favet: vel quæ alias aperit januam, quæ absque ejus opera vix aperiretur.

141. Utrum metu mortis, vel gravissimi damni, scala deferri possit stupraturo virginem, adhuc quæritur; nam longe minus detrimentum spectat propositio damnata. Censet S. Alphonsus metum mortis, non autem alterius damni gravissimi, excusare;[3] stuprum enim adeo grave est facinus, ut nonnisi in extremo vitæ discrimine possit quis operam præstare, quæ patraturum adjuvet. Si autem ex condicto aliquis ad mulieris cubiculum ascendat, minoris mali metus videretur excusare famulum: quia non vis infertur invitæ. Docet S. Alphonsus « non licere scalam, vel claves tradere furi, nisi ob timorem mortis, vel infamiæ: tradere autem gladium occisuro numquam licet, quia non licet occidi innocentem, ut tu mortem vites. »[4] Utrum ratione famulatus liceat ancillæ pharmacum dominæ comparare, potum parare, aquam calefaciendis pedibus, singulis mensibus, iis in rerum adjunctis in quibus dominæ consilium de conceptu impediendo, vel de extinguendo fœtu, satis liqueat, dubitari poterit. Equidem in plerisque ancilla non debet esse solicitior, quum res sint per se licitæ, et possint absque pravo fine usurpari. Quod si domina consilium suum declaret, vel si omnino sit manifestum, non debet ancilla, absque gravissima ratione, suam operam præbere, præsertim pharmaco emendo et parando.

142. Famulo numquam licet, jubente domino, scribere litteras amatorias ad concubinam, « quia formaliter con-

(1) S. Alphonsus, l. ii. n. 64.
(2) Prop. 51.
(3) L. ii. 66.
(4) Ibidem.

currunt ad peccatum domini, fovendo turpem ejus amorem. » Litteras hujusmodi a domino scriptas non licet deferre, quia sic etiam fovetur turpis amor, famuli opera. Censendæ autem sunt litteræ turpes, quando de prava consuetudine constat. Sed si tantum sit hujus suspicio, famulus ratione officii excusatur; nec enim tenetur scrutari domini arcana, vel de occultis ejus peccatis judicare.

143. *Caupones* qui carnes præbent petentibus in diebus esurialibus, in his regionibus, excusantur; quum enim plerique eos adeuntes sint acatholici, et plurimi haud baptizati sint, vel legibus ecclesiasticis non adstringuntur, vel eas saltem non agnoscunt; et proinde induci nequeunt ad eas servandas. Igitur nullo cum fructu, sed potius cum fidei catholicæ invidia, et gravi incommodo, denegarentur illis carnes. Nec videntur teneri ad eas denegandas catholicis; quum enim hi excusationes possint aliquando habere legitimas, et inviti nequeant ad leges Ecclesiæ servandas adstringi, suo relinquendi sunt arbitrio, et conscientiæ. Cæterum qui catholicos paucos apud se habent convivas, pro more regionis, pretio quodam per singulas hebdomadas accepto, non debent carnes facile præbere diebus vetitis, quia privatis in domibus leges Ecclesiæ facilius servantur : nec occurrit plerumque gravis ratio cur aliis eas violaturis præstetur opera. Ideo non sunt excusandi qui carnes illis libere præbent omnibus diebus, solo excepto die Veneris; quum obligatio abstinendi, quandocumque ita ferat lex et disciplina hujus regionis, semper sit servanda. Facilius excusantur cibos alios, præter carnes, mane et vespere diebus jejunii in quibus esus carnium non indulgetur, iis apponentes; nam possunt habere excusationem a rigore jejunii ob laborem gravem, vel valetudinem haud firmam : ideo res tuto permittitur singulorum conscientiæ. Insuper maritorum indoles aspera nonnumquam facit ut uxores illis absque culpa parent carnes diebus vetitis : non enim hæ tenentur ad impediendum eorum peccatum cum tanto sui gravamine.

144. Caupones vinum, vel alium liquorem inebriaturis se vendentes, nonnisi metu mortis vel mutilationis excusat P. Concina : eos tamen habet excusatos S. Alphonsus « ob metum cujuscumque gravis damni, puta si alias notabiliter læderentur ex diminutione emptorum. Ratio, quia cum nullum eo casu grave damnum temporale obveniat ebriaturo, charitas non obligat cum gravi incommodo peccatum illius vitare. »[1] Cæterum nullo modo licet aliquem ad ebrietatem provocare. Peccant etiam facile ratione scandali, quum ebrietatem, rixas, aliaque gravia mala foveant, præsertim diebus dominicis; et sectarii fidei catholicæ odium inde concipiant. In conviviis privatis propinantes vinum sese inebriaturis haud facile excusantur; multo minus qui eos ad haustus largiores provocant.[2]

145. Ea quæ proxime ad peccatum concurrunt, nonnisi gravissimam ob causam sunt facienda, metum scilicet tanti mali quod secundum leges

(1) L. ii. n. 69.

(2) « If our guest makes himself drunk with the usual provisions which must be indistinctly ministered at feasts, that cannot be helped, but by refusing to receive such persons again to our table; but he that knowingly and observingly espies the meeting turn to God's dishonor, and does not put a limit to that sea of drink, and place a shore and a strand to the inundation, will find that God is departed from that meeting. » Jer. Taylor. *Duct. Dub.* l. iv. c. i. vol. ii. 467.

charitatis nemo teneatur subire ad evitandum malum alterius : v. g. si alias occidendus esset. Compulsare campanam ad concionem hæreticam inter exempla ponitur, quod quidem numquam licere existimamus, quum sit invitationis instar. Quod si catholicus curam habeat curiæ, vel aulæ publicæ, in qua, juxta hujus regionis consuetudinem, præconibus cujusque sectæ venia datur prædicandi, non debet ipse compulsare campanam ; sed excusatur si alicui ex sectariis id permittat, quum penes ipsum non sit id impedire.

146. Ubi tolerantur meretrices, uti plerisque in civitatibus, ad majora mala vitanda, licet, juxta communem sententiam, domum iis locare, « maxime si alii conductores desint, nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm ansam majorem darent peccatis. » Ita Busembaum.[1] Cæterum considerandum quanto cum suorum discrimine id fiat.

147. « Excusantur a mortali, imo etiam a veniali, si causa adsit, artifices qui faciunt, aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene potest uti, licet plurimi abutantur, v. g. aleas, fucos, gladios. Ratio est, quia remote tantum ordinantur ad peccatum, et simpliciter impediri non possunt. »[2] Sic excusari possunt vendentes cultros, tormenta bellica, et tela cætera. Sed si constet ea quæri ut mors alicui mox inferatur, censeo artificem teneri ex charitate ea non vendere, præsertim si alias haberi nequeant : in civitatibus autem ubi facile comparantur, non auderem damnare ea vendentem : nam cum sui detrimento frustra conaretur impedire eorum abusum.

148. Qui chartarum, et aleæ ludos in suis domibus habent, honestæ recreationis causa, vel modicæ etiam pecuniæ lucrandæ, pro ludentium conditione, non videntur culpandi : secus qui ludos fovent, in quibus magna pecuniæ copia sorti objicitur, fraudesque fiunt cum fortunæ et morum jactura. Vitia fovere merito censentur qui allectationes has apponunt : sicut etiam qui nimiæ potationi hac ratione præbent occasionem. Cæterum qui locant suas ædes cœtui virorum spectabilium ad animi recreationem convenientium, haud possunt certos limites designare extra quos ludendo consistant.

149. Licite venduntur ornatus puellæ iis abusuræ, « si venditor alioquin notabile patiatur incommodum : » non enim tenetur cum tanto sui damno ejus impedire peccatum.

150. « Venena autem vendere, nisi iis qui bene usuri putantur : v. g. ad confectionem colorum, vel medicinam, non licet. Unde venditio veneni, quod non servit, nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala. »[3] Sic nec licet vendere materiam incendii iis in rerum adjunctis in quibus illud ex malitia parari videatur.

151. Qui in potestate hostium versantur, licite omnia præstant quæ exiguntur ad imperium propugnandum ; nec enim tenentur cum vitæ discrimine, et absque ulla patriæ utilitate, sua recusare officia. Possunt etiam juramento se imperio, cui casu, vel belli sorte, subjiciuntur, addicere, ex præsumpto reipublicæ consensu, quæ hanc eis facere facultatem, ut vitæ consulatur, merito censetur.

152. « Peccat puella acceptans munera ab amasio, qui turpiter eam concupiscit, quia fovet amorem. »[4] Ea igitur

(1) Apud S. Alphonsum, l. ii. n. 70.
(2) Ibidem, n. 71.
(3) Busembaum, apud S. Alphonsum, l. ii. n. 72.
(4) Ibidem, n. 76.

reddere debet ancilla viro, qui ea tribuisse noscitur pravo consilio : si enim ea retineat animosior fiet ipse ad eam solicitandam.

153. Licet, juxta communiorem sententiam, exigere juramentum a pejeraturo, si justa causa adsit, v. g. ut perjurio probato justitia vindicetur. Judex idcirco, juris ordine servato, juramentum merito exigit, licet prævideat testem pejeraturum : sic et privatus jus suum prosequens in judicio. « Si vero res sit vera, et alter ignoret, vel sit falsa, et alter credat veram, non licet eum inducere ad juramentum. » [1]

154. Scribæ apud mensarios non tenentur ad judicandum de eorum agendi ratione utrum justa sit ; nec censentur efficaciter concurrere ad fraudem, si forsan adsit, quum nudum præstent ministerium juxta definitas regulas. Secus dicendum si ipsi aliis persuaderent chirographa vendere pretio injusto : vel si rationes falso componant ad fraudem.

155. « Licet dare mutuum abusuro, si adsit causa, scilicet si aliter ille multum possit nocere. » [2] Dari potest pecunia mutua prodigo, si denegari nequeat quin gravissimæ conflentur inimicitiæ.

156. Utrum liceat bibliopolis in hac regione libros omnes absque discrimine vendere quæritur. In regionibus in quibus vigent regulæ Indicis, constat bibliopolas non posse vetitos quoscumque libros tenere absque venia, vel eos iis vendere qui licentiam legendi haud impetrarunt. Sed ea est rerum conditio in qua versamur, ut pauci omnino libri e prelo prodeant, qui inter libros prohibitos non forent recensendi. Hinc Catholicis ab officio bibliopolarum fere abstinendum foret, si regulæ illæ totam suam vim obtinerent. Dicendum igitur censeo libros omnino obscœnos et turpes nemini licere vendere : libros etiam contra fidei catholicæ dogmata non esse vendendos. Non licet Biblia Protestantica habere venalia, Libros Communis orationis, fidei confessiones a sectis editas, vel libros alios de religione expresse tractantes. Non damno autem bibliopolam libros hujusmodi procurantem alicui qui specialiter eos quærit.

157. De aliis libris, qui licet ex professo contra fidem non agunt, plurima tamen continent rei catholicæ adversa, in rerum nostrarum conditione, peccati damnare non audeo vendentes. Cæterum commendandi sunt vehementer Catholici, qui emendatissimos tantum et probatissimos libros vendunt. Typographi qui e prelo edunt Biblia Protestantica, vel libros ex professo adversos fidei vel bonis moribus, vix sunt excusandi : operam enim præstant erroribus divulgandis ; sed qui prelo torquendo vacant, quin typos componant, non censentur nosse quæ imprimuntur, ideoque in typographeo communi, ubi omnis generis libri eduntur, non tenentur ad discrimen faciendum : quum *materialem* tantum operam præstent. Typos componentes in ephemeridibus occupati, vel in libris promiscui generis, nequeunt facile seligere inter ea quæ sibi tradita fuerint edenda, absque muneris sui jactura : ideoque excusari forsan poterunt : sed qui jus directionis habent, debent procul facere quæ fidei bonisque moribus repugnant. Nequeunt autem Catholici ulla ratione occupari circa typographea Protestantica quæ ex professo adversantur Religioni Catholicæ.

(1) S. Alphonsus, l. ii. n. 77.

(2) Ibidem, n. 78.

CAPUT VIII.

DE SUSURRATIONE, ET IRRISIONE.

158. *Susurratio*, (metaphora sumpta a murmure aquarum,) ab Antoine definitur « sermo, quo sine justa causa refertur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo. » Intentio amicitiam dissolvendi maxime ostendit susurrationis malitiam : quod si animus hujusmodi absit, peccatum tamen admittitur, quoties ea temere narrantur quæ idonea sunt amicitiæ dissolvendæ. Non autem peccatur, si quis malorum consortium dirumpere tentet, vel periculum ab innocente amovere, ea referens quæ amicitiam pravam, vel plenam periculi, dissolvant.

159. Susurro in Scripturis vehementissime improbatur : « Non eris criminator, nec susurro in populo ; » [1] « Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur ; » [2] « Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes ; » [3] « Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus. . . . eum, qui seminat inter fratres discordias. » [4] « Susurrones » etiam recensentur inter eos qui « digni sunt morte. » [5]

160. Charitati manifesto adversatur hoc vitium ; quod eo gravius est, quo conjunctiores sunt et spectabiliores virtute, quos susurro divellere a se invicem conatur. Ut dignoscatur utrum lædatur justitia, videndum est quibus adminiculis utatur : quod si detrahat, occulta delicta detegendo, utique justitiæ violatæ reus est. Finis quem sibi proponit sæpe auget malitiam susurrationis, vel novam inducit speciem. Aliquando suæ quis studet utilitati, cum proximi dispendio, munus ambiens, quo alter fruitur : aliquando vindictæ animo agitur, contumeliamque susurrando ulciscitur : aliquando domestica pace sublata, conjugii jura impune quærit violare.

161. *Irrisio*, seu derisus, est jocus de proximo, ut rubore perfundatur. Fit de defectibus naturalibus, quod quis sit claudus, vel de moribus, quod ebriosus sit ; quandoque autem de virtutibus, quod sit pius. Aliquando caret culpa, quando scilicet fit moderate, ut alter se emendet : v. g. ut quis concionando voces protrahere desinat ; vel ut animi recreentur, speciali agendi loquendive ratione, quæ vitio vacat, relata. Sæpe irrisio vitiosa est, et peccatum ex genere suo gravius contumelia ; nam quisque ægerrime fert se ludibrio haberi : « quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriose, illusor autem in ludum ; et ita videtur esse major contemptus et dehonoratio. Et secundum hoc illusio est grave peccatum, et tanto gravius, quanto major reverentia debetur personæ quæ illuditur. Unde gravissimum est irridere Deum, et ea quæ Dei sunt ; secundum illud Isaiæ xxxvii. : « Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem tuam ? » et postea subditur : « Ad sanctum Israel. » Deinde secundum locum tenet irrisio parentum ; unde dicitur Proverb. xxx. : « Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. » Deinde justorum derisio gravis est, quia honor est virtutis præmium ; et contra hoc dicitur Job xii. : « Deridetur justi simplicitas : » quæ quidem derisio valde nociva est, quia per hoc homines a bene agendo

(1) Lev. xix. 16. (2) Eccl. xxi. 31.
(3) Ibidem, xxviii. 15.
(4) Prov. vi. 16. 19.
(5) Rom. i. 29.

impediuntur : secundum illud Gregorii : « Qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestiferæ exprobrationis evellunt. » [1]

CAPUT IX.

DE JUDICIO TEMERARIO.

162. Pluries vetuit nos Christus Dominus proximos judicare : « Nolite judicare, ut non judicemini. » [2] S. Jacobus etiam dicit : « Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. » [3] Equidem hæc non ita accipienda sunt ut judicium vetetur in re manifesta ; qui enim videt vel certo novit aliquem legem violare scienter, non potest eum habere innocentem. Nec judicium publica auctoritate prohibitum censendum est ; nam quod olim jussit ipse Deus, ut constituerentur judices qui justum judicium proferrent, [4] in exemplum merito deducitur, quo tribunalia, in quibus jus dicatur, sanciantur. Nec judicium de reis universe prohibetur, quod scilicet hæretici, pertinacia animi resistentes veritati, damnabúntur. Igitur Christi vetitum intelligendum est de rebus quæ dubitationem patiuntur, et de pœnis severioribus in reos decernendis privata auctoritate et animi proposito : quapropter ultionem minatur acrius judicantibus de levioribus aliorum culpis : « In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui : et trabem in oculo tuo non vides ? » [5] Peccat, igitur, qui leve alterius delictum grave habet ; vel qui severiores pœnas delinquentibus vult irrogari, suæ infirmitatis immemor : et ideo etiam peccare censendus est, qui temere judicat alium esse reum. Equidem qui, levibus indiciis ductus, animo statuit alium grave admisisse delictum, charitatem, qua amplecti eum debet, plane violat : imo et justitiam, ut plurimi sentiunt : jus enim unusquisque habere videtur, ne quis eum æstimet pravum esse, nisi idonea dentur animi pravi indicia.

163. Quando quis judicat culpam levem esse mortalem, v. g. mendacium joco prolatum, est error judicii, potius quam peccatum, nisi ex animi malignitate fiat, ut levi culpæ tantam velit inesse malitiam. Facile autem fit ut de persona judicium fiat, ipseque censeatur in re levi graviter peccasse ex animi pravo affectu.

164. *Opinionem injustam* aliquando esse peccatum mortale plures dicunt theologi ; quum charitas vetet, ne quis male opinetur de alio, absque gravi indicio. Suspicio iniqua est etiam, juxta plures, grave peccatum, præsertim si respiciat immane facinus : v. g. homicidium, incestum. Unusquisque ægerrime ferret se tanti flagitii suspicione laborare, ideoque injuriam infert qui aliquem absque causa reum suspicatur. « Est autem, » inquit S. Thomas, « triplex gradus suspicionis. Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat. Et hoc est veniale et leve peccatum. . . . Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis. Et hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi. . . Tertius gradus est, cum aliquis judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum : et hoc directe ad inju-

(1) S. Thom. 2. 2. q. lxxv. art. ii. *Resp.*
(2) Matt. vii. 1.
(3) Jac. iv. 11. (4) Deut. xvi. 18.
(5) Matt. vii. 2.

stitiam pertinet : unde est peccatum mortale. »[1]

165. Dubitatio culpa non vacat, quando proximi probitas in quæstione temere ponitur : nam si externa indicia ei faveant, non est cur eam dubiam habeamus. Cæterum non facile peccatur graviter, quum plerumque aliqua sit dubitandi ratio, ob quam licet mentem ab ullo judicio efficiendo abstrahere. Sed si hominem probitate et pietate clarum, levi de causa dubiæ æstimem virtutis, injuriam ei facio gravem.

166. In actibus proximi interpretandis habenda est præ oculis regula quam Augustinus ex verbis Domini deducit : *Nolite judicare* : « Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. »[2] Id quidem intelligendum, salvis prudentiæ regulis ; nec enim temere judicat, qui ex consueta agendi ratione, vel ex indiciis externis animum agentis colligit. Sat est ut, haud idoneis suppetentibus indiciis, animum inclinemus ad benignius de proximo sentiendum, quia « unusquisque naturaliter præsumitur bonus. »[3] Cæterum licet caute se gerere, et nonnisi post certa argumenta probitatis alicui plene fidere. Si tamen quis benignius sentiendo et familiarius tractando, aliquando decipiatur, non id adeo dolendum est, judice S. Thoma : « Melius est quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono ; quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo. »[4] Hoc interest discriminis inter res et homines, quod judiciorum veritas de rebus maxime quærenda sit, ne errore labamur ; sed de hominibus benignius judicium plerumque ferendum sit ex charitatis affectu, ubi rei veritas non patet. « Aliud est judicare de rebus, et aliud de hominibus. In judicio enim in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipsius rei de qua judicamus, cui nihil nocet qualitercumque judicemus de ipsa : sed attenditur ibi solum bonum judicantis, si vere judicet, vel malum, si falso : quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius. . . . Et ideo unusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus judicet secundum quod sunt. Sed in judicio quo judicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum et malum ex parte ejus de quo judicatur : qui in hoc ipso honorabilis habetur, quod bonus judicatur ; et contemptibilis, si judicetur malus. Et ideo ad hoc potius tendere debemus in tali judicio, quod hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat. »[5]

167. Ut grave in judicio temerario sit peccatum, temeritas debet esse notabilis : si enim indicia suppetant gravia, licet non efficiant certitudinem, temeritatem judicii admodum minuunt. Non graviter peccatur judicando mulierem esse adulteram, quam quis vidit minus pudice agere cum aliquo occulte. A temeritate etiam excusatur, qui judicat aliquem esse ebrium, quem alias novit nimiæ potationi indulgere : consuetudo enim fundamentum præbet suspicandi eum ebrium esse, licet quis non debeat eum judicare reum, nisi indiciis manifestis.

168. Certum animi judicium, et voluntarium sit plerumque necesse est,

(1) 2. 2. q. lx. art. iii.

(2) L. ii. *de verbis Domini in monte*, c. xviii. n. 59.

(3) Reg. Juris.

(4) 2. 2. qu. lx. art. iv. *Ad primum.*

(5) Ibidem. *Ad secundum.*

ut grave sit peccatum : nam quæ menti obversantur cogitationes, suspicionesque plerumque caveri nequeunt, et assensu deficiente, non imputantur. Hinc pii homines angi non debent ob judicia quæ sibi videntur facere temeraria : nam vel suppetunt indicia fere certa, vel animi judicium plerumque non est pene voluntarium ; ideoque gravis saltem abest culpa. Cæterum temporis mora non definitur judicii temeritas.

169. De re levi judicium temerarium levis est culpa. Si quis temere judicet mercatorem mentiri, ut suas efferat merces, nonnisi leviter peccat. Sed contingere potest ut res per se levis, gravis sit ob viri dignitatem, vel statum : ideo qui temere judicat Episcopum mentiri in solemni asseveratione, gravis peccati reus est. Res e contra gravis potest levis videri quoad plebeculam, hominesque vilis conditionis, quorum mores sunt plerumque vitiosi. Sic si quis judicet nautam blasphemare, operarium ebrietati indulgere, mancipium furari, non erit facile peccati gravis arguendus. Ratione ætatis aliquando judicium a temeritate excusatur, v. g. si juvenem quis judicet impudicum. Sed si quis juvenem bonis moribus insignem, debilis tamen valetudinis, judicet vitio inquinari, et morbo laborare venereo, est procul dubio grave peccatum.

Plurima alia contra charitatem peccata prætermittimus.



TRACTATUS XIV.

DE SACRAMENTIS IN UNIVERSUM.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA.

1. De Sacramentis jam fuse egimus, dum Ecclesiæ dogmata contra Novatores vindicaremus : sed plura quæ ad mores spectant manent explicanda, quæ ut rectius intelligantur, nonnulla jam dicta recolenda erunt. Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ, ex Dei institutione, sanctitatis et justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ, vim habet. [1] Septem sunt novæ legis Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. [2] « Omnia sacramenta, » inquit Eugenius IV. in decreto pro Armenis, in Concilio Florentino edito, « tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia : quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. » [3]

2. *Materia* Sacramenti a scholæ doctoribus dicta est res quæ ad sacramenti confectionem adhibetur, v. g. aqua in Baptismo, panis et vinum in Eucharistia, oleum in Extrema Unctione; vel actus sensibus subjectus, qui instar rei sit : v. g. confessio peccatorum ad veniam in sacramento impetrandam. *Remota* materia dicitur res in se spectata; *proxima* est rei usus : sic aqua est remota materia baptismi; ablutio est proxima materia. Res sensibilis requiritur : nam eæ materiæ portiones quæ sensus omnino effugiunt, non censentur communibus vocabulis panis, vini, etc.

3. *Forma* sacramenti sunt verba quæ materiam ad sacramenti rationem determinant, vel alia quæ verborum vim habent. Ablutio quæ Sacramentum est Baptismi, ab alia quavis ablutione distinguitur vocibus illis : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Signa quibus muti declarant consensum matrimonio, verborum vim habent.

4. Ut materiam determinet forma, utraque debet conjungi, et simul esse, ideoque moralis saltem conjunctio exigitur; quatenus juxta prudentum æstimationem, forma censeatur definire materiæ usum. Juxta Rituale verba proferenda sunt in baptismo : Ego te baptizo in nomine Patris ✠ *fundat primo*, et Filii ✠ *fundat secundo*, et Spiritus sancti ✠ *fundat tertio.* Si quod inter verba et ablutionem intercedat temporis spatium, illud minimum

(1) Cat. Rom. *par.* ii. c. i. n. 10.
(2) Conc. Trid. *Sess.* vii. *Can.* i.
(3) Inter Conc. Flor. acta.

sit necesse est, adeo ut quisque æstimet ea simul esse. Moralis illa conjunctio videtur adesse, quando quis verbis prolatis statim abluit, uti in more est Baptistis; vel ablutione facta animo baptizandi, statim profert verba. E contra nihil perficitur, si quis magno temporis intervallo vel unius Orationis Dominicæ mora, verba ab ablutione separet. [1] Nihil etiam perficeretur si ablutio facta sit absque ullo respectu ad verba; licet hæc deinceps prolata sint, novo concepto consilio: nam ex intentione conjunctio illa materiæ cum forma pendet. Arctior in quibusdam sacramentis, præ cæteris, materiæ cum forma conjunctio exigitur, sicut in Eucharistia verba præsentem designant materiam, nec referri possunt ad materiam mox afferendam, de qua dici non posset : « Hoc, » « hic. » In matrimonio consensus alterius poni debet, dum alterius consensus perseverat *moraliter*, instar contractuum omnium : quapropter puella quæ recusaverat consentire viro eam ducere volenti, nequit vim tribuere contractui deinceps consentiendo, si ipse interim animum contrahendi deposuerit.

5. *Substantia* sacramentorum *integra* servetur necesse est : ea enim vitiata et sublata, jam non erit id cui ex divina institutione vis salutaris adnectitur. Quæcumque igitur mutatio substantiam materiæ vel formæ attingit, officit confectioni sacramenti. Qui olim in Africa aquam solam in Eucharistia adhibuerunt, et qui recentius in hac regione, temperantiæ studio, lac præ vino adhibendum contenderunt, materiam sacramenti omnino mutarunt. Mutatio quæ substantiam non attingit, *accidentalis* idcirco dicta, non obstat valori sacramenti. Si vino admixtus fuerit liquor alius, ea ratione quæ ejus substantiam non vitiet, sacramentum confici potest : secus si mistione substantia vini mutetur, uti contingit si magna aquæ copia, vel aquæ vitæ, vino modico admisceatur. Cæterum vis vini spectanda est : quoddam enim facile admixtione desinit, aliud copiam majorem liquoris alieni, substantia sua illæsa, recipit. Mutatio formam tollit, quando verba prolata sensum non habent eundem ac illa quibus forma constat. Qui consulto diceret : « Hic est corpus meum; » nihil conficeret, quia sensus diversus omnino est a Christi verbis : « Hoc est corpus meum. » Quoties vero sensus integer manet, verborum mutatio substantiam non afficit. Sic qui diceret : « Ego lavo te in nomine Patris Omnipotentis, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritus sancti, » revera baptizaret : et qui omitteret conjunctionem : « Ego baptizo te in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti; » nihilominus conferret sacramentum. Quæ contingit verborum corruptio vitio linguæ, non censetur substantiæ mutatio, quoties verba ex communi hominum æstimatione eadem sunt, licet, prout sonant, sint diversa : « quamvis enim, » uti animadvertit S. Thomas, « hujusmodi verba corrupte prolata, nihil significent ex virtute impositionis : accipiuntur tamen ut significantia ex accommodatione usus : et ideo licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus. » [2] Censuit idcirco Zacharias Pontifex de sacerdote balbutiente et ignaro, qui consuevit ita proferre baptismi formam : « Baptizo te in nomine Patria, et Filia, et Spiritu sancta : » baptismum valere. [3] Si aliquid ambigui sensus immisceatur formæ, ex intentione proferentis et ex adjunctis dijudicandum est, utrum substantia integra maneat. Qui animi devotione Chri-

(1) S. Alph. vi. l. n. 9. (2) iii. p. q. lx. art. vii. ad 3. (3) Cap. lxxxvi. *de consecr.* dist. 4.

stum Magistrum designaret, formæ verbis retentis, non mutaret substantiam : secus si animo hæretico vellet significare eum doctrina tantum, non morte, nobis profuisse. « Si intendat, » inquit S. Thomas, « per hujusmodi additionem vel diminutionem alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici sacramentum : quia non videtur, quod intendat facere id quod facit Ecclesia. » [1] Interruptio aliquando verborum sensum tollit, quando scilicet prudentum hominum judicio non censentur conjuncta, uti si quis ablutionem faciens diceret : « Baptizo te; » et tussi longiori impeditus, nonnisi post medium quadrantem prosequeretur : « in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : » [2] sed si brevis tantum sit interruptio, v. g. dum jubet matrinæ capillos separare, ut aqua in cutem demitti valeat, sensus manet, quum verba censeantur in unum sententiam coire.

6. *Grave* est *peccatum* quid temere attentare, quod materiæ vel formæ spectet substantiam : nam Christo detrahitur, ejus institutis in irritum missis, et proximo fit injuria, qui gratia sacramenti privatur. Graviter etiam peccatur si aliqua inducatur mutatio de qua dubitari possit, utrum substantiam attingat : nec enim licet ritus divinitus institutos in hominum salutem dubios efficere. Mutatio notabilis consulto facta, etiam salva substantia, peccatum grave est; nam temere quis in re tanti momenti innovat, contra reverentiam Christo debitam, si agatur de re, vel forma, quam ipse præscripsit, et saltem contra præceptum et usum Ecclesiæ. Qui diceret dum baptizat : « *lavo* te in nomine Genitoris, Genitique et Spiritus sancti; » graviter peccaret : et qui cum prima impositione manuum in presbyteri ordinatione, quam una cum prece sequenti materiam et formam putant plerique, verba conjungeret, temeritatis gravis reus foret, quum vellet suo arbitrio emendare et supplere ritum Ecclesiæ. Hinc Missale Romanum *de defectibus formæ* consecrationis agens, animadvertit : « si aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret. » Idem dicendum si consulto omitteret quædam verba : v. g. « et æterni — mysterium fidei — pro vobis; » præsertim si religioni duceret ea tamquam Christi proferre, eo quod in Scripturis non referantur, quum sic parvi penderet usum et traditionem Ecclesiæ. Quod si mutatio levis fiat ex quadam negligentia absque pravo consilio, venialis plerumque est culpa : uti si quis, omisso pronomine « ego, » festinanter diceret : « baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Formæ in numerum plurium mutatio absque necessitate facta, dum plures baptizantur, vel absolvuntur, a gravi culpa a Croix excusatur, [3] utpote haud notabilis : sed valde reprehendenda est.

7. Damnata est propositio : « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, vel periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis. » [4] Igitur etiam semota lege, conventione, vel periculo gravis damni, non licet in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem, de valore sacramenti relicta tutiore : nam reverentia Christo

(1) iii. p. qu. lx. art. viii. *Resp.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 11.
(3) Vide apud S. Alph. l. vi. n. 29.
(4) i. prop. inter damnatas, anno 1679.

debita, et charitas erga proximum exigunt ut tutiori sententiæ, quatenus possimus, inhæreamus. Probabilis nonnullis videtur sententia Confirmationem manuum impositione cum prece conjuncta conferri, absque chrismatis unctione : sed peccaret gravissime Episcopus unctionem omittens. Probabilis aliis videtur opinio eam conferri ea manus impositione qua fit unctio, omissa manuum extensione cum invocatione, quæ tamen haud sine gravi peccato negligitur. Balsami cum oleo admixtio in chrismate conficiendo, juxta quorumdam sententiam necessaria non est; quam tamen non licet omittere. Attamen si certa materia non suppetat, v. g. vinum ad conficiendam Eucharistiam, quod purum esse constat, non videtur illicitum vino uti quod adulteratum esse censemus, dummodo substantia vini manere videatur : secus in hac regione a Sacrificio celebrando fere perpetuo abstinendum foret : sed sacerdotibus curandum omnino est, ut vinum habeatur integrum, vel saltem de quo constet substantiam manere : vix enim a peccato gravi excusantur, qui nullam ea de re adhibentes solicitudinem, quodcumque vini nomine in cauponis vænit, in Eucharistiæ confectione usurpant. Dicit Antoine : « Nunquam licet adhibere materiam dubiam in Eucharistia. » [1]

8. In sacramentis conferendis licere uti *opinione probabili*, ubi præsumitur Ecclesia supplere jurisdictionem, vel tollere impedimentum, ex communissima sententia docet S. Alphonsus : quam sententiam Sporer vocat moraliter certam, hancque testatur esse praxim totius Ecclesiæ. [2] Sic sacerdos absolvit a peccato reservato in specialibus rerum adjunctis, in quibus reservatio cessare, vel suspendi, ex Ecclesiæ mente, censetur : parochus etiam, concurrentibus gravissimis incommodis, conjungit impedimento occulto laborantes, ea nixus sententia quod nolit Ecclesia impedimentum vim obtinere cum manifesto animarum damno. Id tamen in sacramentis suscipiendis non licet, quum probabili opinione vix uti quis possit absque propriæ animæ detrimento. [3]

9. In *extrema necessitate*, dum scilicet proximus salute periclitatur, licet quamcumque adhibere materiam, vel formam, quæ forsan sufficiat, licet dubia sit : nam quum Christus sacramenta in hominum salutem instituerit, vult certe ut ei quacumque fieri possit ratione consulatur. Hinc moribundo baptisma datur, si sit aliqua ratio, quamvis tenuis, et incerta, quæ suadeat eum id velle. Absolutio etiam conceditur homini sensibus destituto; non autem Eucharistia, quum non tantæ sit necessitatis. Extrema Unctio fieri potest, quum sit peccatorum remedium, quo valde indiget peccator : et nulla sacramento irrogetur injuria a sacerdote illud salutis studio conferente. Tenetur autem sacerdos in extrema necessitate posito, quatenus possit, succurrere, dubia licet materia. Gravis quævis ratio sufficit ut quis materia certa utatur, v. g. oleo priori anno benedicto.

10. *Forma* semel prolata *non* est supra eamdem materiam *iteranda :* quum enim sacramentum conficiatur, forma materiæ usum definiente, iteratione ejus opus non est. Sacramenti a Christo auctore dignitas sane læditur, dum verba divinitus instituta, vel quæ ab Ecclesia ad divinitus sibi concreditæ potestatis exercitium præscripta sunt, frustra proferuntur. Idcirco peccat, qui, post verba Baptismi rite prolata, dum ablutio fieret, ea iterat : vel qui

(1) Tract. *de Sac.* c. i. qu. vi. Resp. 3.

(2) Apud S. Alph. l. i. n. 50. (3) Ibidem, n. 51.

verba consecrationis pari ratione repetit. Plerumque tamen iteratio contingit ex animi infirmitate, et memoriæ defectu, vel mente scrupulis agitata; et gravi idcirco culpa caret. Nulla est culpa ea iterare, conditione mente concepta, si dubitetur probabiliter utrum rite prolata fuerint, uti facile contingere potest, mente ad alia evagante.

CAPUT II.

DE INTENTIONE.

11. *Minister* sacramenti dicitur, qui illud Christi nomine efficit. Pleraque specialem exigunt in conferente auctoritatem; nec enim cujuslibet est divina largiri dona, suo veluti arbitrio: sed baptismus, ob summam ejus necessitatem, a quolibet ministrari potest; quamvis illud muneris plerumque non nisi sacri ministri peragere debeant: et matrimonium ob contractus naturam a quibuslibet, lege haud impeditis, qui et ministri plerisque videntur, initur.

12. De *intentione* ministri gravis est controversia. Equidem fide constat « requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia. » [1] « Quando aliquid se habet ad multa, » animadvertit S. Thomas, « oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero quæ in sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et ad sanitatem corporalem, et ad ludum, et ad multa alia hujusmodi. Et ideo oportet quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, puta cum dicit: « Ego te baptizo in nomine Patris, etc. » [2] Attamen necesse non est, ut quis velit sacramento conficiendo impertiri gratiam: nam valet, juxta perpetuam doctrinam Ecclesiæ, baptismus ab hæreticis collatus, servata materia et forma, licet plerique ex ipsis non credant gratiam sacramento conferri: nec requiritur ut velint facere quod Ecclesia Catholica facit, quamvis hæc sit sola Christi sponsa, quam ipsi non agnoscunt; sed satis est, ut id sibi proponant faciendum, quod in Ecclesia fit, ipsis forte de vera Ecclesia nil cogitantibus. Definivit idcirco Pius V. verum esse baptisma, quo uterentur Calvinistæ, cum intentione generali faciendi quod Christus instituit; et ideo baptizatos ab ipsis non esse iterum baptizandos sub conditione, [3] licet Ecclesiam catholicam prorsus rejicientes, quod ipsa facit non videantur facere velle: sed generalis voluntas errori speciali prævalet. Qui baptizant putantes baptizandi ritum Joannem habere auctorem, sed Christo probatum, cujus auctoritate adhuc servatur, videntur habere necessariam intentionem: volunt enim facere quod Christus faciendum jussit. Infideles ipsi, Christum et Ecclesiam pariter rejicientes, si forte baptizare aggrediantur eo ritu quo Christiani utuntur, necessariam intentionem habent; nam, uti docet S. Thomas, « non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse, et talis intentio sufficit ad sacramentum. » [4]

13. Constat intentionem necessariam non adesse, dum minister non serio, sed joco agit, saltem quandocumque

(1) Conc. Trid. Sess. vii. Can. xi.
(2) iii. p. q. lxiv. art. viii. *Resp.*
(3) Conc. Ebroic. apud Bened. XIV. l. vii. c. vi. n. 9. (4) iii. p. q. lxiv. art. ix. ad i.

jocandi animus innotescit : Lutheri enim assertio, remitti peccata credenti se esse absolutum, licet sacerdos non serio sed joco absolvat, merito damnata est :[1] quippe quæ falso nitebatur principio, fidem gratiam assequi, sacerdotem nihil perficere.

14. Utrum intentio requiratur quam *internam* vocant, scilicet mentis propositum externo actui consonum, in quæstione est. Affirmantibus præter ipsam vim vocis, favet damnatio propositionis : « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : non intendo facere, quod facit Ecclesia. »[2] Rubricæ Missalis *de defectu intentionis* agentes dicunt : « Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere . . . item si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. » Gravissima tamen est difficultas, admittere ministrum posse, occulto animi motu, frustrari ritum, quem nomine Ecclesiæ serio peragere videtur : quapropter theologi aliqui, cum Juenino, censent, id contingere non posse. Equidem si novus sacerdos exercitii causa totam Missam peragat absque conficiendi Sacrificii intentione, procul dubio nil conficit, quum desit intentio tum interna, tum quæ dicitur externa ; non enim se exhibet veluti nomine Ecclesiæ serio celebrantem. Sed si publice celebraret, verbaque consecrationis proferret, intus tamen apud se nolens Sacrificium conficere, videtur pluribus Sacrificium confici. S. Thomas de intentione agens dicit : « Circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro : quæ si desit, non perficitur sacramentum : . . . . alii melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur parte ministri, vel recipientis sacramentum. »[3] Hac in re nos hærere fatemur : pondus enim auctoritatis eo inclinat ut internum animi propositum necessarium esse sentiamus ; rationis vero momenta contraria videntur. Gravissime peccat minister interno consilio actum suum frustrari quærens.

15. Intentio illa interna, cujus necessitatem insinuavimus, est vel *actualis*, vel *virtualis*. Actualis dicitur quæ adest ipso temporis momento quo sacramentum conficitur ; virtualis habetur, quæ, licet actu desit, adesse merito censetur, quum mox præcesserit, et in effectu suo, vel rebus cum ea conjunctis permaneat. Qui hostias in ciborio post calicem posuit consilio eas consecrandi, easque cum hostia obtulit, virtualem consecrandi eas intentionem habere censetur, licet de iis dum consecrat nil cogitet. Virtualis hæc intentio sufficit : nam tanta est mentis humanæ infirmitas ut actualis intentio vix certo haberi possit : quapropter Christus haud censendus est eam exegisse, ne incerta forent et irrita munera tanta largitate per sacramenta concedenda. ***Habitualis*** vocatur a S. Thoma, quam dicimus virtualem, intentio, « quæ sufficit ad perfectionem sacramenti; puta cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere

(1) xii. prop. Lutheri inter damnatas a Leone X. Vide et Conc. Trid. Sess. xiv. Can. ix. *De pœnit.*

(2) Prop. xxviii. inter damnatas ab Alexandro VIII. (3) iii. p. q. lxiv. art. viii. ad 2. Vide et art. x. *Resp.*

circa baptizandum quod facit Ecclesia, unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum. »[1] Recentiores vocant intentionem habitualem eam quæ nec actu, nec virtute habetur, sed ex consuetudine agendi oritur, puta si somnambulus vel ebrius, nesciens quid agat, baptizandi ritum aggrederetur. *Interpretativa* vocatur intentio quæ noscitur habenda, si de re cogitatio occurrisset, quamvis nullatenus habeatur: sic absolvisset moribundum sacerdos transiens, si eum Catholicum esse, et veniam intimo animo expetere nosset. Constat neutram intentionem hujusmodi sufficere, quum nulla revera sit.

16. Intentio *absoluta* plerumque esse debet; nec enim temere conditiones apponendæ sunt ritibus divinitus institutis: attamen si dubitatio probabilis de baptismi valore incesserit, sub conditione datur, juxta juris canonici[2] et Ritualis Romani præscriptum : ita enim saluti consulitur absque sacramenti injuria. A sæculo VIII. saltem hæc ratio servata est, quamvis antea verbis conditio enuntiata fuisse non noscatur.[3] Sacramenta alia quæ iterari nequeunt, conditione adjecta esse conferenda monet Benedictus XIV., si contigerit intentionem internam defuisse collatori, et tempus non suppetat Sedem Apostolicam consulendi.[4]

17. Matrimonium, quum sit contractus, conditiones facilius admittit, quamvis haud temere sint ponendæ. Si respiciant præteritum, vel præsens tempus, valet contractus, conditione impleta, seu, uti aiunt, purificata. De futuro etiam ponuntur conditiones. Conditiones turpes quæ non obstant naturæ matrimonii, et impossibiles pro non adjectis habentur. De his omnibus specialius in tractatu de Matrimonio agendum erit.

18. Intentio ad rem determinatam dirigi debet : nam animus alioquin foret vagus et incertus: nihil proinde efficeret qui unam ex plurimis hostiis vellet consecrare, animo ad nullam specialiter directo : uti monent Ritualis Rubricæ. Cæterum necesse non est ut qui absolvendus est nomine innotescat, dummodo in certum quemdam hominem animum intendat sacerdos. Quod si alium se absolvere putet, nil obstat, dummodo sibi tunc præsentem velit absolvere. In matrimonio autem error personæ vitiat consensum.

19. Præsens esse debet materia in quam intentio fertur, ut moralis sit conjunctio inter materiam et formam : quæ tamen in nonnullis sacramentis arctior esse debet. Hostia longe distans a sacerdote non potest designari verbis consecrationis : et ea quæ eum latet non censetur præsens ei, licet revera prope sit, v. g. sub corporali : quod si in corporali sub calice forte sit, censenda est plerumque consecrata, quum intentionem habeat consecrandi hostias in corporali appositas : secus si ignoraverit aliquam præter unicam adesse. Præsentes sunt baptizanti ad quos aqua pertingere valet : præsens est confessario pœnitens a tribunali recedens ante absolutionem, quem tamen longe positum nequit absolvere : vix enim sententia in foro conscientiæ in distantem est proferenda. Matrimonium inter distantes per procuratores contrahi potest, instar aliorum contractuum.

CAPUT III.

DE DOTIBUS MINISTRI.

20. *Fidem* ministri non requiri ut

(1) iii. p. q. lxiv. art. viii. ad 3
(2) C. ii. *de Bapt.*
(3) Bened. XIV. *de Syn.* l. vii. c. vi. n. 1.
(4) Ibidem, c. iv. §. ix.

valeat baptismus, constat, quum universa Ecclesia assensa sit S. Stephano, Romano Pontifici, veterem consuetudinem contra S. Cyprianum vindicanti, ut baptizati ab hæreticis absque novo baptismo reciperentur. Ipsi de baptismo errores gravissimi non obstant ejus valori ; quapropter hoc ex capite impugnandus non est baptismus ab hæreticis collatus , quod plerique eum habeant veluti nudum ritum omni virtute carentem , et cum Joannis Baptismo confundant.

21. Certissima ac communissima theologorum sententia idem de aliis sacramentis affirmat. Valida ab omnibus agnoscuntur quæ ab Ecclesiæ ministris conferuntur, licet contigerit fidem conferenti deesse. Valere Ordinem et Confirmationem collatam ab Episcopo hæresim palam profitente omnes agnoscunt, dummodo vere fuerit ipse charactere episcopali insignitus. Sacerdos hæreticus Eucharistiam conficere et Unctionem extremam præbere valet : imo juxta aliquos Pœnitentiam in mortis discrimine; alioquin absolvere nequit, quum omnis jurisdictio ei sublata sit. Matrimonium inter hæreticos iniri valet : est enim contractus instar, qui tamen inter baptizatos sacramenti habet vim.

22. « Ministri Ecclesiæ, » uti optime animadvertit S. Thomas, « instrumentaliter operantur in sacramentis , eo quod quodammodo eadem ratio est ministri et instrumenti . . . instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem , sed secundum virtutem ejus a quo movetur. Et ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum, qualemcumque formam , vel virtutem habeat , præter id quod exigitur ad rationem instrumenti , sicut quod corpus medici (quod est instrumentum animæ habentis artem) sit sanum vel infirmum : et sicut quod fistula per quam transit aqua , sit argentea, vel plumbea. Unde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiam si sint mali. » [1]

23. Etsi ministrorum *probitas* non requiratur ut valeant sacramenta , novo tamen et gravi reatu se obstringunt , qui lethalis peccati sibi conscii ea audent conficere : « Nam, » ut docet nos Rituale Romanum, « etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque a pravis ministris eorum effectus impediri ; impure tamen et indigne ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo , si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat ; sed, si habeat copiam Confessarii , et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri. [2] « Non est dubium , » inquit S. Thomas , « quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiæ in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum quantum est ex parte ipsius peccatoris , (licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint) consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. » [3]

24. Si adeo urgeat morientis necessitas , ut tempus *eliciendi actum contritionis* ministranti baptismum vel absolventi non suppeteret, non peccant baptizando , seu absolvendo , quia tunc « subveniret necessitati patientis , » inquit S. Thomas. [4] Hinc facile excusantur laici baptizantes , hac pressi necessitate : qua deficiente, Croix, Antoine , Vasquez , De Lugo , aliique

(1) iii. p. q. lxiv. art. v. *Resp.*
(2) *De Sac. admin.*
(3) iii. p. q. lxiv. art. vi. *Resp.*
(4) Ibidem , ad 3.

contendunt eos peccare, si negligant conteri antequam ministrent. De sacerdotibus, quibus animarum cura demandata est, non eadem facile admitti potest excusatio : nam « Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet se sancta tractare, atque omni temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat. »[1] Etsi igitur non peccet ipso ministrandi sacramentum actu, quando tanta urget necessitas, peccati tamen reus agnoscendus est, ob periculum cui se objecit talem patiendi necessitatem, peccata jam admissa negligens expiare. Idem dicendum de Pœnitentiam administrante.

25. Ex Ritualis, quæ prius laudavimus, verbis, patet omnino expedire ut sacramentum ministraturus peccata quibus irretitur *confiteatur;* cæterum nulla lege vel Dei, vel Ecclesiæ, illud præceptum novimus, nisi quando de conficienda vel suscipienda Eucharistia agitur. Hinc plerique theologi opinantur sufficere contritionem probabiliter existimatam ad ea ministranda.[2]

26. *Tot patrari peccata* quot indigne ministrantur sacramenta ex his quæ diximus deducere pronum est : tamen quando Eucharistia pluribus simul distribuitur, unicum agnoscunt peccatum theologi nonnulli probabilius, ut S. Alphonso videtur, ob rationem convivii, quam præsefert. Idem nonnemo asserit de absolutione pluribus serie non interrupta impertita, quod tamen alii magno numero negant, quia singulæ absolutiones sunt sacramenta ; nova quippe et a se invicem distincta judicia sacramentalia fiunt. Si autem confessionem audiret sacerdos eo animo ut absolutionem nonnisi contritus impertiretur, communior et probabilior sententia eum non peccare asserit, quum sacramentum nonnisi absolvendo conficiat.

27. Fuerunt nonnulli qui ministrantem Eucharistiam in mortali non peccare defenderent, ex eo quod sacramentum non conficeret : cæterum longe probabilior rationum pondere, et auctoritate videtur contradicentium sententia : Christo enim ingens sane injuria irrogatur, quando sacrum ejus Corpus contrectat servus diaboli, ipsumque ad aliorum sanctificationem tradit : « Si homini peccatis contaminato, » inquit Catechismus Romanus,[3] « minus licet de rebus divinis agere, quantum ab eo scelus concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in fœdas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur ? » Hinc quatuor sacrilegia in unica peccatoris Missa agnoscit S. Alphonsus, scilicet indignam confectionem, et susceptionem, indignam etiam ministrationem, præter illud porrigendi sacramentum indigno.

28. *Tangere sacramentum* immediate, vel mediate, etiam eo non ministrando, sed tantum gestando in processione, vel benedictione impertienda, aliqui putant gravem esse culpam, si tangens lethali peccato irretiatur. Plures tamen assentiuntur Suaresio dicenti : « Cum aliæ actiones præter sacramenta, non sint ad sanctificationem per gratiam proxime ordinatæ, neque in eis se exhibeat sacerdos ut minister Dei sanctificantis animam, non est tam gravis causa et

(1) Rit. Rom. *de Sac. adm.* (2) S. Alph. l. vi. n. 34. (3) P. i. c. i. n. 26.

ratio exigendi internam animæ sanctitatem ad eas exercendas. Ergo illas in peccato efficere ex parte materiæ, non videtur esse grave sacrilegium. »[1] Huic innixi principio plures, aliis contradicentibus, diaconos et subdiaconos in mortali solemniter ministrantes habent a novo reatu gravi excusatos: item Episcopum consecrantem templum, benedicentem vestibus sacris, aut corporalibus, et sacerdotem adsistentem matrimonio, benedicentem cineribus, aquæ lustrali, aliisque hujusmodi: quod de plerisque hujusmodi actibus haud ægre concedimus. Laicus, puta sacrista, e terra elevans Eucharistiam, facile excusatur ob necessitatem, si sacerdos præsto non sit.[2]

29. *Concionatorem* peccati labe secreto infectum plures a novo peccato habent immunem, licet concionari pergat; non enim munus adeo per se sanctum est, alios ad virtutem hortari, ut peccatorem omnino dedeceat. Cæterum si ejus innotescant vitia, et præsertim si in eo genere peccet, in quod invehitur, adeo ut ludere, et irridere videatur, haud facile a gravissimo peccato scandali excusatur.[3] Audiatur Psaltes: « Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam: et projecisti sermones meos retrorsum. »[4] Apostoli quoque verba ei conveniunt: « Qui ergo alium doces, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis. »[5]

30. *Episcopus* peccato inquinatus, benedicens sacro chrismati, vel oleo infirmorum, videtur nonnullis novam labem contrahere, quum paret materiam sacramentis: sed ab aliis excusatur: non enim nisi remote ad gratiæ collationem concurrit. Celebranda Missa ea occasione plane peccat, ob indignam corporis Domini confectionem et susceptionem. De omnibus sacris muneribus dicit S. Thomas: « Quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium quin illud indigne faciat: unde patet quod peccat mortaliter. »[6]

CAPUT IV.

DE MINISTRANDIS SACRAMENTIS.

31. *Graviter peccare ministrum* qui indignis sacramenta temere præbet, dubitari nequit, dicente Christo: « Nolite dare sanctum canibus; »[7] et Apostolo: « Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. »[8] Cæterum non eadem in omnibus sacramentis exigitur certitudo. In Pœnitentiæ tribunali, quum sacerdos judicis officio fungatur, mature ac prudenter debet scrutari pœnitentis animum, antequam sententiam absolutionis proferat. In aliis sacramentis prudentis dispensatoris officium implendum est, quod vetat ne publice indignis dentur.

32. *Publice indigni* sunt de quorum criminibus pœnitentia haud sublatis omnino constat, vel ex judicis sententia, vel rei evidentia, vel fama communi et certa. Qui palam deliquerunt, confitendo videntur animum pœnitentem prodere: sed in gravissimis sceleribus, quæ innotuerunt, majora doloris indicia plerumque desiderantur. Si crimen sit certum, et dubia pœnitentia, peccator publicus repellendus est, donec de emenda-

(1) In iii. p. D. xvi. § iii. v. *Atque hinc.*
(2) Busembaum apud S. Alph. l. vi. n. 30.
(3) S. Alph. l. vi. n. 41. (4) Ps. xlix. 16. 17.
(5) Rom. ii. 21.
(6) In iv. dist. xxiv. q. i. art. iii. q. v. ad 3.
(7) Matth. vii. 6. (8) 1 Cor. iv. 2.

tione satis constet : quod dicendum etiamsi crimen nonnisi per indicia vehementia innotescat. Dubium crimen non sufficit ut sacramentum denegetur; sed in Matrimonio, si impedimentum secum trahat, est ratio cur differatur ad inquirendum : quod et de Ordine dicendum est.

33. *Nullo metu*, etiam mortis, licet sacramentum publice indigno ministrare; nam infidum dispensatorem se prodit, qui sibi consulit cum muneris sui dispendio. Ita sentit S. Alphonsus,[1] contra alios. Hinc principi uxoris nomine retinenti mulierem, legitima uxore abjecta, Eucharistia præbenda non foret, licet sacerdos prævideret se idcirco interficiendum.

34. *Ordines sacros denegandos* peccatori occulto publice petenti docet S. Alphonsus, quando scilicet, extra confessionem, novit Episcopus eum esse indignum; nam Episcopo injungitur ut « de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, »[2] et « ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus.... nulla licentia.... de se promoveri faciendo....[3] suffragetur. Nec tenetur Episcopus causam prohibitionis detegere, nisi Summo Pontifici.[4] Indignus autem, vel saltem haud adhuc idoneus, plerumque censendus est, qui peccati consuetudine irretitus hactenus noscitur, quamvis animum pœnitentem præseferat; nec enim tanto ponderi ferendo par videtur. Hinc etiam confessarius debet ei denegare absolutionem, si suæ infirmitatis immemor velit statim Ordines sacros suscipere, cum tanto sui et aliorum discrimine; præsertim si curam animarum deinde suscepturus sit.[5] In Bullis exequendis Episcopi judicum partes non sustinent : quapropter vix poterunt suam operam denegare designato Episcopo, licet eum minus idoneum habeant : quod si indignus videatur ob vitium quod antea latuerat, abstinendum erit, donec consulatur Pontifex, qui indignum promovere minime voluit.

35. *Matrimonio ut liceat adstare*, parochus debet cognoscere imprimis utrum sit aliquid canonicum impedimentum, prout monet Rituale, et an « uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant. » Proclamationes non esse faciendas, donec, examine instituto, constet eos fidei rudimenta callere, statuit S. Congregatio Concilii,[6] probante Clemente XI.[7] quod et confirmavit Benedictus XIV.[8] Curandum idcirco omnino est ut ea edoceantur : cæterum in mancipiis aliisque humilis conditionis, et ingenii hebetioris, non ea quæ in aliis requiritur disciplina; et ob periculum confugiendi ad præcones hæreticos, non facile repellendi sunt in hac regione qui minus instructi reperiuntur, quum et rerum necessitas faciat ut etiam hæretici cum Catholicis, ex dispensatione, conjungantur.

36. *Peccatoribus occultis* qui palam a parocho petunt ut eorum adstet nuptiis, præsentiam ejus non denegandam communis theologorum sententia est, teste S. Alphonso.[9] Quod si publici peccatores, quales supra descripsimus, id petant, negat eis morem

(1) L. vi. n. 49.
(2) Trid. Sess. xxiii. c. v. *de Ref.*
(3) Ibidem, Sess. xiv. c. i. *de Ref.*
(4) S. Concil. declar. 21 Mart. 1654, et 21 Aprilis 1668, et Ben. XIV. *de Syn.* l. xii. c. viii. n. 3, 4.
(5) Vide S. Alph. l. vi. n. 64.
(6) An. 1677.
(7) Bull. §. xi. t. 1.
(8) xlii. in suo Bullar. Ibid.
(9) L. vi. n. 54.

gerendum : nam, docente Benedicto XIV. parochus « in multis comparatur ministro, nec licite sua præsentia firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri. » [1] Cæterum quum in regionibus nostris non vigeat disciplina Tridentina de matrimoniis clandestinis, præsentia parochi ad firmitatem contractus non requiritur, et facile excusatur, qui præsentem se sistit, ne ad magistratus, vel præcones hæreticos, se conferant, vel in peccato perseverent : sed commonendi sunt, ut confitendo saltem, vel etiam communione suscipienda se parent. Ipsi contrahentes, qui juxta receptam sententiam ministri sunt sacramenti, debent curare ut ad gratiam suscipiendam disponantur : quod si alteruter nequeat induci, innocens non ideo est privandus jure ineundi matrimonii. Parocho autem licet benedicere matrimonio cui nullum impedimentum canonicum obstet, etsi contrahentes ei hortanti, juxta Tridentinum monitum, quod formam legis non præsefert, ut confessionem et communionem peragant, obtemperare renuant. Ubi obstat censura ecclesiastica, v. g. excommunicatio Liberis Muratoribus irrogata, gravior exigi videtur causa ut liceat homini ea irretito nubere ; sed quum Concilium Constantiense indulserit « quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, » [2] teneatur abstinere, qui scilicet non fuerit nominatim denuntiatus, vel notorius clerici percussor, videtur excusari quæ jure naturali nubendi utitur, dummodo aliunde non se objiciat discrimini fidei amittendæ, vel prolis educandæ impie, patre forsan infideli. Quæ mixta dicuntur matrimonia, altera parte hæretica, per se idcirco illicita plerumque sunt : cæterum appositis conditionibus quæ periculum perversionis tollunt, ex dispensatione licent; et satis excusantur a culpa parochi qui eis assistunt. [3] Non licet autem hæreticorum nubentium consensum excipere : nam necessitate nulla id exigente, videretur eorum fœdera probare, et sacramenti indignæ tractationi suam præstare operam : graviter autem peccaret si ritu ecclesiastico, præsertim solemni Missæ celebratione, ea sanciret : quapropter Gregorius XIII. reprehendit Episcopum Cracoviensem ob nuptias solemniter celebratas inter duos hæreticos. [4]

37. Utrum aliquando liceat *sacramenti administrationem simulare*, quæri solet. Ea de re damnata est ab Innocentio XI. propositio hæc : « Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi. » [5] Doctores insuper conveniunt « nunquam esse licitum 1° proferre sine intentione verba consecrationis supra panem, aut absolutionis supra indispositum : 2° hostiam non consecratam pro consecrata præbere : 3° celebrare Missam, non proferendo verba consecrationis. » Ita S. Alphonsus. [6] Imo in jure canonico legimus : « Licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare : cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo quem decipit, se adstringat. » [7]

38. Licet tamen orationem aliquam

(1) *De Syn.* l. viii. c. xiv. 5.
(2) Const. Martini V. *Ad evitanda.*
(3) S. Alph. l. vi. n. 54.
(4) Reg. an. viii. ep. 138. p. 201.
(5) Prop. xxix. (6) L. vi. n. 59.
(7) *C. De homine* vii. *de cel. Miss.*

recitare et manu benedicere, ne adstantes pœnitentem absque absolutione dimitti percipiant : sic enim non simulatur Sacramentum, sed celatur pœnitentis indignitas, quam prodere aliquatenus esset sigilli violatio. Licere etiam plures asserunt simulare matrimonii celebrationem, gravi urgente timore; consensus enim, qui tunc præstatur, quum nullius sit momenti, sacramentum non conficitur, et vox qua consensus enuntiatur, intelligenda est, quatenus consentiens tunc possit. [1] Non licet copulam habere, quum matrimonio non valente, fornicatio foret.

CAPUT V.

DE RECEPTIONE SACRAMENTORUM.

39. Ut valide suscipiantur *a parvulis* sacramenta, nulla requiritur intentio vel dispositio, uti ex Ecclesiæ traditione constat : consuevit scilicet baptismus infantibus ministrari. Viguit etiam antiquitus mos Confirmationem et Eucharistiam iis ministrandi; nec adhuc penitus apud Orientales desiit. Imo Ordines ipsos sacros infantibus collatos valere, ex Instructione Benedicti XIV. [2] habetur; quamvis optio eis detur, postquam annum decimum octavum attigerint, abstinendi ab Ordinis exercitio, et ita effugiendi onus cœlibatus. Mos infantes ordinandi apud Cophtos obtinet.

40. *Ante Baptismum* nullum aliud sacramentum suscipi potest : est enim « fundamentum et janua reliquorum : » [3] ipse autem baptismus non valet, si adultus suscipiens renuat consensum præbere, juxta illud Innocentii III. : « qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti. » [4] Requiri insuper ad valorem sacramenti in adultis sui aliquando compotibus aliquam intentionem communissime docent theologi, quorum sententiam probavit Benedictus XIV. [5] Actualem, vel virtualem, non esse necessariam, docet, juxta perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, qua qui baptizati sunt amentes, vel sensibus destituti, nunquam ad iterum suscipiendum baptismum coacti sunt, dummodo antea baptismi desiderium habuerint. Rituale Romanum præscribit : « Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint: . . . sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiam si non sint compotes mentis, baptizentur. » [6] Nonnulli etiam dicunt baptizari posse eum qui intentionem explicitam sacramenti hujus suscipiendi nunquam habuit, dummodo probabiliter censeatur habere contritionem, vel attritionem, quæ includit implicitum desiderium omnibus utendi ad salutem assequendam necessariis subsidiis. [7]

41. *Intentio interpretativa*, quam scilicet quis præsumitur habiturus, si de sacramento suscipiendo cogitare posset, sufficit saltem quoad Extremam Unctionem : præscribit enim Rituale hoc sacramentum præbendum sensibus destitutis, « qui antea illud petierunt, seu verosimiliter petiissent. » [8] Hæc voluntas universis Catholicis jure existimatur inesse, nisi contrarium

(1) S. Alph. l. vi. n. 62.
(2) Bull. t. i. p. 228. *Eo quamvis tempore.*
(3) Cap. ii. *de cogn. spir. in* 6.
(4) Cap. Majores, *de bapt.*
(5) Instruct. de Bapt. incipiente : *Postremo mense.* Bulla. t, ii. n. 46.
(6) *De bapt. adult.*
(7) La Croix. l. v. p. i. n. 168. (8) De Extr. Unct.

constet; adjungit tamen : « impœnitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, . . . penitus denegetur. » Censet nihilominus Viva probabiliter, judice S. Alphonso, ægro qui in actu peccati mortalis sensibus fuerit destitutus, Extremam Unctionem sub conditione ministrandam, eo quod fieri possit ut interius doleat de crimine quod patrabat, quin ullum doloris indicium valeat præbere.[1]

42. Eamdem intentionem interpretativam sufficere ad ministrandam Eucharistiam et Confirmationem, Lugo pluresque alii censent. Ad Matrimonium autem, quum contractus sequatur naturam, requiritur saltem virtualis intentio, quæ habetur etiam quando per procuratores contrahitur : hi enim agunt vi mandati, et per eos proinde mandantes agere, etiamsi tunc temporis nil de matrimonio cogitent, intelliguntur. Pœnitentia quoque, juxta plures, exigit virtualem intentionem, quum pœnitentis actus materiæ locum teneant : sed eam habere censendus est qui confitetur, ut deinceps, post aliquod tempus, absolvatur, se impræsentiarum absolutioni suscipiendæ haud existimans idoneum.

43. *Licita et fructuosa* sacramentorum susceptio est, quando eæ animi dispositiones afferuntur, quæ unicuique sacramento conveniunt. Infantes, ut patet, nulla egent dispositione; sed gratuita prorsus Dei misericordia, per Christi merita, gratiæ dona assequuntur: adulti vero tenentur fide, spe, odio et detestatione peccati, et novæ vitæ proposito se ad justificationem in baptismo disponere :[2] imo Deum debent amore quodam prosequi, tamquam omnis justitiæ fontem. Pœnitentia etiam, præter confessionem peccatorum, eadem exigit. Cætera sacramenta quæ *vivorum* dicuntur, quum illa duo *mortuorum* nuncupentur, licite non suscipiuntur, nisi ex prudenti persuasione de gratia impetrata vel absolutione, quæ omnino requiritur, antequam ad Eucharistiam accedat, qui sibi lethalis peccati est conscius, vel contritione, quæ ad alia sacramenta suscipienda communissime censetur sufficere, quamvis consultius sit confiteri.

44. Gratia quæ per sacramenta tribuitur *prima* vel *secunda* dicitur. Prima est ea qua homo a statu peccati ad justitiam transfertur, uti fit in Baptismo et Pœnitentia. Secunda est gratiæ sanctificantis augmentum, quod fit in sacramentis cæteris. Hæc etiam datur per sacramenta mortuorum, quoties suscipiuntur ab iis qui justi sunt, v. g. Baptismus auget gratiam quam catechumenus dilectione Dei antea consecutus est : Pœnitentia justo venialium reo justitiam, his remissis, adauget. Primam gratiam a sacramentis vivorum conferri quoque contingit; nam si accedat quis bona fide attritus, quin justus sit, vi sacramenti justus revera evadit. Id de Confirmatione tradit S. Thomas : « Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam perfecte non contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequitur remissionem peccatorum. »[3] Idem de Eucharistia,[4] et de Unctione Extrema tradit.[5]

45. Præter gratiam sanctificantem omnibus sacramentis communem, datur *gratia cujusque sacramenti propria*, quæ sacramentalis idcirco dicitur. « Ordinantur autem sacramenta, » dicit S. Thomas, « ad quosdam spe-

(1) L. vi. n. 82. (2) Conc. Trid. Sess. vi. c. vi.
(3) iii. p. q. lxxiii. art. vii. ad 2.
(4) Ibidem, q. vii. art. iii. in corp.
(5) iv. dist. xxiii. q. i. art. ii.

ciales effectus necessarios in vita christiana, sicut baptismus ordinatur ad quamdam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis, et fit membrum Christi: qui quidem effectus est aliquid speciale præter actus potentiarum animæ. Et eadem ratio est in aliis sacramentis. Sicut igitur virtutes et dona addunt super gratiam communiter dictam, quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum: ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et super virtutes et dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem: et per hunc modum gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum et donorum.»[1]

46. *Character*, scilicet indelebile signum animæ impressum, trium sacramentorum proprius est: Baptismo enim fit quisque filius Dei, Confirmatione miles Christi, Ordine minister Christi; adeo ut etiam peccator his notis insigniatur, licet gratia, qua Deo fieret acceptus, sua culpa careat: quoties enim sacramentum confertur volenti, imprimitur character: sed sacrilegio maculatur qui eum indigne suscipit. *Fictus* olim dicebatur, qui fingens se a peccato esse alienum, ad sacramentum accessit, qui deinceps tenebatur maculam pœnitentiæ lacrymis eluere, quum sacramentum iterum suscipere non posset. « In illo qui fictus accesserat, » inquit S. Augustinus, « fit ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione et vera correctione purgetur, quod non posset sine baptismo; sed ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit. »[2] Idem pariter de Confirmatione et Ordine dicunt plerique theologi; consonum quippe divinæ bonitati videtur, pœnitenti ea donare gratiæ auxilia quibus in sacramenti susceptione sua culpa privatus est.

47. Gratia unicuique per sacramenta tribuitur pro ejus dispositione: quamvis enim hæc vi sua gratiam impertiantur, ex Dei misericordia, et liberalitate, eam tribuunt copiosiorem iis qui majori studio se ex gratiæ auxilio parent ad eam suscipiendam: quod de Baptismo constat ex Concilio Tridentino: « Justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. »[3]

48. Qui sacramenta, etiam quæ characterem non imprimunt, suscipit indigne, gratiam deinceps consequi poterit pœnitendo, ut ea perficiat ad quæ auxilia sacramentalia necessaria sunt; v. g. ut onera sustentet matrimonii, vel ut in certamine vincat moribundus. Eucharistia vero poterit iterato recipi.

49. Qui sua culpa amisit gratiam jam in sacramento receptam, amisit quoque jus ad auxilia sacramentalia, quæ tamen haud omnino auferuntur, quatenus aliis prosint: nam ministris sacris, etiam indignis, plura dari constat in aliorum utilitatem; sicut et Judæorum Pontifici contigit Christi mortem prædicere.[4]

50. Utrum liceat sacramenta a ministro indigno petere dubitari potest. Equidem si ejus indignitas pateat, et nulla sit specialis ratio ejus ministerium expetendi, minime licet, quum charitas vetet alium ad peccandum, licet ipse voluntate pronus sit, inducere: « Præter necessitatis articulum, » inquit S. Thomas, « non esset tutum

(1) iii. p. q. lxii. art. ii. *Resp.*
(2) L. i. *de bapt. contra Donat.* c. xii.
(3) Sess. vi. cap. vii. *de justific.*
(4) Joan. xi. 51.

quod eum induceret ad aliquod sui ordinis exequendum, durante tali conscientia, quod ille in peccato mortali esset. »[1]

51. In necessitate extrema, imminente scilicet morte, licet baptismum a quocumque suscipere, etiam ab excommunicato vitando, vel hæretico, dummodo omnis vitetur hæreseos simulatio, vel patrocinium : nam utitur quisque iis in rerum adjunctis jure suo, sibique consulit, necessarium salutis subsidium exquirens. Pœnitentiæ etiam sacramentum a sacerdote excommunicato, vel suspenso, licet expetere eo in discrimine, si absit alius; quidquid sit de theologorum sententia quæ cuilibet sacerdoti, etiam hæretico, eam tribuit, vel denegat potestatem : moribundus enim sibi consulit qua meliori ratione possit. « Refert Pignatellus Clementem VIII. jam declarasse non licere extra necessitatem extremam, ne a schismaticis quidem petere sacramenta. »[2]

52. Extra necessitatem extremam licet suscipere sacramenta a sacerdote indigno, præsertim qui parochi munere fungitur, quia fideles non sunt privandi suo jure ob vitia sui pastoris. « Quamdiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, » inquit S. Thomas, « ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato ejus. »[3] Consonat Jus canonicum : « Sine dubitatione teneatis, quod a clericis et presbyteris quamquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina mysteria audiantur, et alia recipiantur sacramenta ecclesiastica. »[4] Possunt igitur suos filios offerre baptizandos, nuptialem petere benedictionem, et ad sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ accedere, paschali urgente præcepto, vel ad sibi consulendum. Cæterum si alium adire possint absque gravi incommodo, utique debent indignum evitare : nec debent absque causa satis gravi hujus opera uti.

53. Omnes quos tolerat Ecclesia sacerdotes, digni habendi sunt, nisi indignitas eorum manifesta sit : nam fidelium non est eorum mores scrutari, et judicium in eos ferre. Quod autem peccatum aliquod noscantur admisisse, non est ratio cur indigni habeantur, quum fieri possit ut illud pœnitentia expiaverint. Consuetudo autem prava, v. g. ebrietas, concubinatus, vel aliud hujusmodi, indignum plane ostendit, a cujus proinde ministerio expetendo, quatenus fieri possit absque gravi sui detrimento, fideles debent abstinere.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTALIBUS.

54. Sacramentalia dicuntur quædam cæremoniæ quæ ex Ecclesiæ instituto usurpantur ad quosdam effectus spirituales obtinendos. Pleraque continentur versiculo antiquo :

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedictus.

Oratio Dominica, aqua benedicta, panis benedictus dictus eulogia, confessio generalis quæ fit in Missa, eleemosyna, et benedictio Præsulis his vocibus indicantur. Huc etiam referuntur exorcismi, insufflationes, ritusque cæteri in sacramentis conficiendis usurpati; consecrationes rerum v. g. ecclesiarum, et calicum, et personarum : v. g. virginum. De vi his

(1) In iv. dist. xxiv. q. i. art. iii. q. v. ad 3.
(2) Apud S. Alph. l. iv. n. 117.
(3) iii. p. q. lxiv. art. vi. ad 2.
(4) Cap. *Vestra* 7. *de cohab. cler.*

insita quærunt theologi, quorum verosimilior sententia asserit ea inservire ad excitandos pios motus, quibus gratia haud denegatur, sed nullam per se gratiam tribuere. S. Thomas ait : « Omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animum ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum, vel implicite, vel explicite. »[1] Curandum igitur ut qui his utuntur pios eliciant actus, pœnitendo, diligendo, etc. Equidem preces Ecclesiæ plura impetrare subsidia his qui pie adhibent res hujusmodi, dubitari nequit.

55. Missalia, Biblia sacra, et imagines sacræ non debent ad usum profanum adhiberi : sed tanta non exigitur reverentia chartis in quibus sacra verba contigerit inscribi.

56. *Agnus Dei* vocatur agnus Cereus a Papa benedictus. Reverenter tractandus est ; sed usus habet ut tangatur etiam a laicis.

57. Aqua benedicta ex antiquissimis temporibus consuevit adhiberi. Mos fuit veteribus Christianis in templi aditu manus sibi abluere, ut majori accederent munditie ad orandum : unde orta forsan consuetudo aspergendi eos aqua benedicta. In benedictione sal admiscetur in memoriam salis ab Elisæo in aquas projecti, quo earum vitium ablatum est.[2]

58. In Sacramentalibus omnibus adhibendis curandum ne rebus nimia tribuatur vis, vel in iis fiducia reponatur, neglectis piis animi affectibus, qui præcipue desiderantur ad ea cum fructu adhibenda.

59. De cæremoniis statuit Concilium Tridentinum : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro lubito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse ; anathema sit. »[3] Igitur liquet peccatum admitti quoties ritus illi temere omittuntur. Sacerdos idcirco tenetur eos accurate discere et peragere : nec excusatus habendus est si ex animi levitate, vel adstantium pudore, qui eos forsan irridebunt, vel ex festinatione nimia eos omittat. Equidem pro ritus natura culpa æstimanda est, leve quippe est ritum haud magni momenti omittere : sed grave foret peccatum plerosque pro lubito negligere, vel ita peragere ut eos parvi facere videatur. Spernere auctoritatem Ecclesiæ, qua præscribuntur, est semper peccatum mortale, quod hæreticis in more est : sed non statim damnandus est tanti delicti, qui nimis suo judicio fretus, aliquem ritum reprehendit, quem tamen legi vel consuetudini obsequens servat. Hac ratione mitigandam censemus sententiam Antoine, qui dicit : « Si sine necessitate urgente aliquid omittitur, est mortale in re gravi, et veniale in levi. Est tamen semper mortale vel minimam cæremoniam omittere ex contemptu, judicando illam esse vel inanem, vel ineptam, aut aliquid simile, quia gravis fit injuria Ecclesiæ, et Spiritui sancto, a quo regitur. »[4]

60. Idioma latinum, quo ritus sacri fiunt per plerasque orbis plagas, imprimis retinendum constat ; nam gravissimis ex causis usurpatum est, et vetusta nititur consuetudine. Quod igitur aliquis, proprio veluti marte, anglice proferat quæ latine consueve-

(1) iii. p. q. lxxxvii. art. iii.
(2) iv. Reg. ii. 22.
(3) Sess. vii. can. xiii. *de Sacramentis.*
(4) *De Sac.* c. ii. qu. ix.

runt dici, gravis est culpa, si ritus totus, vel magna ejus pars, sic mutetur. Consuetudinem alicubi in Fœderatis Statibus olim inductam plerasque baptismi vel matrimonii preces anglice recitandi, emendandam jussit Concilium Baltimorense I., indulgens tamen ut recitatis precibus latine, anglica versio subjungeretur, quoties expedire videretur in adstantium instructionem. Venia hac uti licet, sed parce et caute, ne sensim sine sensu, veluti pars ritus necessaria habeatur, vel latinæ preces omittantur.



TRACTATUS XV.

DE BAPTISMO.

CAPUT I.

DE MATERIA BAPTISMI.

1. *Baptismus* est sacramentum a Christo Domino institutum, quo ablutione aquæ, et invocatione trium personarum divinarum, quis renascitur Deo. Aquæ necessitatem alias probavimus : omnis autem aqua naturalis idonea est materia ; quapropter dicit Tertullianus : « Nulla distinctio est mari quis, an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur. » [1] Ecclesiæ tamen consuetudo exigit sub gravi peccato, ut aqua fuerit rite in eum finem benedicta. « Extra necessitatem non licet sub mortali, » inquit Antoine, « baptizare nisi in aqua benedicta quæ in fonte baptismali servatur, propter præceptum et usum Ecclesiæ. » [2] « Benedicimus, » inquit S. Basilius, « aquam baptismatis et oleum unctionis, adhuc etiam ipsum baptizatum : ex quibus Scripturis ? Nonne a tacita et mystica traditione ? » [3] Eam benedictionem præscribunt omnes libri Rituales. Hinc Benedictus XIV., in decreto edito pro regni Serviæ et finitimarum regionum incolis, ait : « Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis, justique timoris ab infidelibus incussi communis et naturalis aqua, vel etiam ea quæ pro lustrationibus benedicitur, in baptismi administratione adhibeatur ; ac temere omittatur usus aquæ ad hunc præcise effectum benedictæ juxta præscriptum Ritualis Romani. » [4] Idem jussit Concilium Baltimorense I. emendans consuetudinem, quæ ex difficultate temporum inducta alicubi erat : sed impetravit a Sede Apostolica ut formula breviori, qualis in Limano Rituali reperitur, liceret in ea benedicenda uti. Benedictio solemnis fit in Sabbato sancto præsertim, oleo recens benedicto ; quod si defuerit, ritus peragi poterit, oleumque deinceps aquæ immisceri. Peccant sacerdotes negligentes illud sibi quantocius procurare : quod et manibus laicorum vix deferendum est, nisi excuset necessitas.

2. Quum aqua omnis naturalis idonea sit ablutioni, communis est sententia aquam ex nive, glacie, vel grandine resolutam, esse certam materiam sacramenti ; item aquam turbidam, qualis post imbres vehementes in fluminibus apparet ; vel alias mistam, quandocumque prævalet rebus immixtis : item aquam sulphuream, vel oleosam, qualis in Pennsylvaniæ rivulo quodam, in comitatu Crawford, habetur. Materia dubia censetur jus et lixivia, aqua ex sale soluto, cerevisia tenuis, et aqua per artem alchymicam ex floribus, plantis, aut radicibus educta.

(1) *De Bapt.* c. iv.
(2) Tract. *de Bapt.* qu. i. n. 3.
(3) *L. de Spiritu sancto,* c. xxvii.
(4) Const. *Inter omnigenas,* 2 Feb. 1744.

Saliva est omnino inepta ; « cum per sacramentum baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua : » [1] sed aqua ore hausta, et deinceps in caput effusa, idonea est. quum ejus natura non mutetur haustu. Hæc ratione baptizati sunt aliquando infantuli morituri, quum ob parentes repugnantes, aqua vase deferri non posset. Utrum calida sit, vel frigida, nil interest : ideoque permittitur modicam aquam calidam aquæ baptismali, si nimis frigida sit, admiscere. » [2]

CAPUT II.

DE ABLUTIONE.

3. Baptismum fieri posse *aspersione*, *infusione*, et *immersione*, alias probavimus ; ablutionis enim instar est qua animi mundities, quæ confertur, significatur. « Per se autem, » inquit S. Thomas, « requiritur ad baptismum corporalis ablutio per aquam. Unde et baptismus lavacrum nominatur : secundum illud Ephes. V. « Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. » Sed quod fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit baptismo. Et ideo talis diversitas non tollit unitatem baptismi. »[3] Sunt qui dicunt minimam aquæ guttam corpus tangentem internam ablutionem satis exhibere, et efficere : sed plerique exigunt, ut aqua fluat. Nemo censet totum corpus necessario abluendum esse : non enim divinum animam mundandi opus ex corpore penitus abluto pendere censendum est, quamvis aliqua corporis ablutio exigatur, significandi causa. « Ea aquæ copia adhibenda, ut qui baptizatur, merito et secundum communem hominum æstimationem censeatur ablutus. » Ita Antoine. [4] Omnes cum D. Thoma dicunt satis esse « caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitæ : » [5] imo plerique sentiunt, si quodvis membrum præcipuum, v. g. pectus, abluatur, baptismum perfici : « quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma : « Si non es baptizatus, ego te baptizo. » [6] Ablutio crinium dubia quoque pluribus habetur; sed verosimiliter valet, quum naturale sint capitis tegumentum : curandum tamen omnino est ut cutis ipsa abluatur : si abluatur secundina corpus contegens, probabile est baptismum valere, quum et hæc sit naturale fœtus tegumentum : sed utroque casu res dubia est, et baptizandus est iterum infans sub conditione.

4. Uteri materni ablutio nil prodest fœtui ; sed si aqua possit ad fœtum perduci, qui alioquin periclitatur, sub conditione baptizandus est, juxta Suaresium, et alios, ut, quatenus fieri possit, saluti consulatur. Contradicunt Natalis Alexander, Concina, Gotti, aliique : sed re in medio relicta Benedictus XIV.[7] obstetrices instrui voluit a parochis, ut in periculo aquam ad fœtum transmitterent manu, vel instrumento : quod et placuit S. Alphonso. Cæterum quum nihil præscribat Rituale, nulla videtur obligatio : quapropter vix insinuandum est medicis, qui ægre ferunt onus hujusmodi sibi imponi. [8] Si caput emittatur, baptizatur, nec iterandus est baptismus : si

(1) Cap. In quadam nostra, *de cel. Miss*. Vide cap. Non ut apponeres, *de Bapt.*
(2) Rit. Rom. (3) iii. p. q. lxvi. art. vii. ad 1.
(4) Tract. *de Bapt.* qu. ii. *Resp.* 3.
(5) iii. p. qu. lxvi. art. vii. *ad tertium.*
(6) Ibid. qu. lxviii. art. xi. *ad quartum.*
(7) Bened. XIV. *de Syn. diœces.* l. vii. c. v.
(8) L. vi. n. 107.

pes, vel brachium emittatur, baptizatur; sed iteratur baptismus sub conditione, toto corpore egresso. [1]

5. « Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians » [2] Beneventi, et in omnibus fere CXLII. parochialibus ejusdem diœcesis, ex decreto I. Concilii provincialis Beneventani anno MDCXCII. immersio adhibetur, sicut et Mediolani, et apud Græcos. Apud nos mos est infundendi aquam, a quo recedere grave foret peccatum, præsertim quum faveret errori Baptistarum negantium baptismum perfici nisi mergendo. Peccaret etiam graviter, qui, contra morem receptum, aspersione extra necessitatem uteretur. Quoties copiosa fit aspersio, ita ut aqua capiti aspersa fluat, baptismus certo valet: sed facile dubius evadit baptismus, quum aspersio a sectarum præconibus fiat leviter, vixque capillos, vel vestes, multo minus pellem, tangat. In extremo discrimine v. g. imminente naufragio, licet multitudinem aspergere, dicendo simul: « Ego vos baptizo » etc.: nam periclitantibus qua fieri possit ratione succurrendum est; sed si evaserint, singuli baptizandi erunt sub conditione, quum gravis sit ratio dubitandi utrum aqua ad singulos pervenerit. Sed si paucos ea ratione quis baptizaverit, et de aquæ copia ad eos perveniente constet, non erit iterandus baptismus. [3]

6. Trina infusio facienda est, juxta Ritualis præscriptum; sed valet baptismus, unica facta. [4] Causas variæ disciplinæ hac in re exponit S. Thomas, de immersione agens, dicitque: « graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans: nihilominus tamen esset baptismus. » [5]

7. Si contigerit mersum e manibus mergentis elabi, et aquis suffocari, videtur nihilominus baptismi ratio constare. Numquam autem licet infantem in flumen projicere eum baptizandi causa, etiamsi certum sit eum alias absque baptismo decessurum; nam vitam tollere per se malum est.

CAPUT III.

DE FORMA BAPTISMI.

8. *Forma Baptismi* ex Christi mandato colligitur: jussit enim Apostolis docere omnes gentes, « baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » [6] Id semper ita intellexit Ecclesia, ut ablutio perficienda foret, non tantum auctoritate trium personarum divinarum, et fidei in mysterium hoc professione ab adultis præmissa, sed etiam invocatis, in ipso abluendi actu, Patre, et Filio, et Spiritu sancto: « In nomine rerum cunctarum Parentis, et Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti in aqua lavantur. » Ita refert Justinus [7] Illud etiam discrimen inter varias rationes baptizandi ab hæreticis adhibitas agnoscebatur a Conciliis; quod qui tres personas divinas invocabant, vere baptizarent, alii, omissa invocatione, nil conficerent. [8] Actionem baptizantis necessario exprimendam esse,

(1) Rit. Rom. *de bapt. parv.*
(2) Ibidem, *de forma bapt.*
(3) Antoine, tract. *de Bapt.* qu. ix.
(4) C. de trina, *de consecr. dist.* iv.

(5) iii. p. qu. lxvi. art. viii. *Resp.* (6) Matth. xxviii. 18. (7) *Apol. II. pro Christianis.*
(8) Conc. Arel. *can.* viii. Conc. Nic. i. *can.* xix. Vide C. Si revera, *de consecr.* dist. iv.

recte docet S. Thomas : « quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formæ ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ; » quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur ad Colossenses c. iii.; et ideo si non exprimatur actus baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Græcorum, non perficitur sacramentum. » [1] Alexander III. decrevit : « Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen, et non dixerit : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen, non est puer baptizatus. » [2] Alexander VIII. anno 1690, damnavit propositionem sequentem : « Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus ; « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : » prætermissis illis : « Ego te baptizo. » [3]

9. *Integra* baptizandi *formula* est : « N. Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Si nomen baptizandi omittatur, nil officit valori actus; secus si pronomen non adhibeatur, vel vox alia quæ designat baptizandum : nam voces cæteræ : « Ego baptizo in nomine Patris, etc. » consuetudinem, potius quam actum, indicant. Si pronomen « ego » omittatur, nil obstat ; nam « baptizo » satis designat baptizantem, non ita vero Anglica vox, « *baptize*, » quæ instar imperantis videtur : quapropter non valeret baptismus anglico sermone adhibito, si pronomen omitteretur. Valeret autem, etsi numero plurium usurparetur pronomen anglicum : « *you* : » quæ singularis numeri vim ex usu habet. Quod si plures simul aggrederentur aliquem baptizare, dicendo : « Nos te baptizamus ; » docet S. Thomas nil confici : quia « ex tali forma, » te baptizamus » exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum : quod quidem videtur esse contra rationem ministerii : homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi, et vicem ejus gerens : unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet : propter quod signanter Apostolus dicit Eph. iv. « Unus Dominus, una fides, unum baptisma : » ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum. Si vero uterque diceret : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : » uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret : quod posset contingere in eo casu, in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur : et tunc manifestum est,quod ille, qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum : alius vero quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret, et si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, et hominem immergerent aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, et non de iteratione baptismi : quia uterque intenderet non baptizatum baptizare : et uterque, quantum in se est, baptizaret. Nec traderent aliud et aliud sacramentum : sed Christus, qui est unus, interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret. » [4] Si baptizans diceret : « Baptizo vestram altitudinem ; » vel alium usurparet titulum, pro sæculi more, valeret baptismus, quamvis peccaret vana illa mutatione. Si præpositio *in* omittatur, vel *by* Anglice

(1) iii. p. qu. lxvi. art. v. ad 2.
(2) Cap. i. *de baptismo.*
(3) Prop. xxvii.
(4) iii. p. q. lxvii. art. vi. *Resp.*

substituatur, videtur sensus manere illæsus; sed quum nonnulli contradicant, securitati consulendum est, iterando baptismo sub conditione.

10. Utrum aliquando Apostoli *in nomine Jesu* baptizaverint disceptatur; plerisque censentibus baptismum semper in nomine trium personarum collatum fuisse, sed dictum in nomine Jesu, ut distingueretur a Joannis baptismate : aliis contendentibus ex dispensatione ad tempus ita consuevisse : id autem exploratum habetur, baptismum hujusmodi jam non valere. Qui autem diceret : « Auctoritate Domini Jesu, » vel « Obtemperans Domino Jesu, te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ; » conficeret baptismum : verba enim illa quæ præcedunt, vim formæ relinquunt illæsam. Si diceret quis : « Baptizo te in nomine Patris, et in nomine Filii, et in nomine Spiritus sancti ; » videretur dubius baptismus : si diceret in *nominibus*, nihil conficeret, quia unitas naturæ divinæ haud significaretur. Si conjunctio utroque loco omitteretur, dubius plerisque videtur : secus si posteriori saltem retineatur : nam est consueta dicendi ratio conjunctionem priori loco omittere. Si dicat quis : « Baptizo te in nomine sanctissimæ Trinitatis ; » dubius est baptismus, quia personarum distinctio videtur necessario exprimenda.

11. Si quis dicat : « Ego vos baptizo, etc. » et simul aspergat plures aqua, vel iis eam infundat, valet baptismus; quæ tamen ratio non est extra necessitatem usurpanda. Non valet baptismus si unus infundat aquam, alius dicat verba.

12. Qui diceret : « Mergo te, etc. » vere baptizaret, dummodo simul mergeret, non autem si alio pacto aquam adhiberet : quia verum non nuntiaret, actu voci haud respondente. Si dicat : *Lavo te*, etc. quæcumque ablutio sufficiet, ut baptismus sit integer. Cæterum vox ab Ecclesia sancita nequit absque gravi culpa mutari : « Ego te baptizo, etc. »

13. *Quæ præmittuntur, vel adjunguntur formæ*, non obstant baptismi valori, quoties sensus non læditur. « Si vero, » inquit S. Thomas, « sit talis additio, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur sacramenti veritas. Nec refert, utrum talis additio fiat in principio, medio, vel fine : ut si aliquis dicat : « Ego te baptizo in nomine Dei Patris omnipotentis, et Filii ejus unigeniti, et Spiritus sancti Paracleti : » erit verum baptisma. Et similiter si quis dicat : « Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et beata Virgo te adjuvet : » erit verum baptisma. Forte autem si diceret, « Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et beatæ Virginis Mariæ, » non esset baptismus : quia dicitur I. ad Corinthios i.: « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? » Sed hoc verum est, si sic intelligatur, in nomine beatæ Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptismus consecratur : talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, et per consequens tolleret veritatem sacramenti. Si vero sic intelligatur quod additur (et in nomine beatæ Virginis) non quasi nomen beatæ Virginis aliquid operetur in baptismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato, ad conservandam gratiam baptismalem : non tollitur perfectio sacramenti. » [1]

CAPUT IV.

DE MINISTRO BAPTISMI.

14. Apostolis imprimis demandatum

(1) iii. p. q. lx. art. viii. *Resp.*

est munus baptizandi : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos : »[1] quod Episcopi, eorum successores, proprio veluti jure, exercent; presbyteri ex potestate sibi ab Episcopis communicata, quæ tamen parochis præsertim tribuitur, aliis nonnisi ex speciali venia.[2] Cæterum in hac regione omnes sacerdotes qui facultates sacra exercendi munia acceperunt, baptizare solent, servato tamen ordine, ne quis in alienam segetem suam mittat falcem. « Peregrini, vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in ecclesia quam elegerint, ex Cap. *Nec numerus*, qu. 3. . . . si autem mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parocho est baptizanda : verumtamen, si ille pagus parum distet a pago proprio, v. gr. duabus, aut tribus horis, potest baptizari proles etiam in Ecclesia sua. »[3] Advenæ, juxta sententiam communiorem et probabiliorem, baptismum et alia sacramenta recipere possunt a parocho loci in quo quasi domicilium contraxerint, commorando per majorem anni partem, vel eo advenientes animo commorandi per id temporis spatium : v. g. si ibi morentur causa negotii, ad studendum, vel ad exercendum officium judicis, etc.[4] Baptizare licet alienum ex licentia præsumpta parochi. Diaconi indigent Episcopi, vel parochi, licentia ut baptizent : juxta Gelasii decretum : « Diaconi absque Episcopo, vel presbytero, baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat. »[5] Si parochus graviter ægrotet, vel excipiendis confessionibus sit penitus occupatus, poterit eam facere diacono facultatem, non licet autem eam dare ad gratificandum alicui, vel ut ipse otio fruatur. Qui suscepit parœciæ curam, diaconii ordine tantum insignitus, potest absque speciali venia baptizare, quum munus sit parochi. Quoties baptizat diaconus ex venia, consuetis utitur ritibus : non ita, si ex necessitate, absque mandato.[6] Qui solemniter absque venia, etiam in necessitate, baptizat, fit irregularis.[7]

15. « Baptismum tam parvulis, quam adultis, in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum, proficere ad salutem, » docet Concilium Lateranense IV.[8] Ita etiam traditur in decreto pro Armenis : « In casu autem necessitatis, non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus, baptizare potest. »[9] Id olim agnovit Tertullianus affirmans laicos sacerdotio quodam frui in salutis alienæ discrimine : « Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare quod libere potuit. »[10] Præclare pro more Angelicus doctor rem exponit : « Ad misericordiam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet ut in his quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta maximæ necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem : quia pueris aliter omnino subveniri non potest, et adulti non possunt aliter, quam per baptismum plenam remissionem consequi, et quantum ad culpam, et quantum ad pœnam. Et

(1) Matth. xxviii. 20. (2) Clem. Unic. *de Bapt.*
(3) S. Alph. l. vi. n. 114.
(4) Ibidem. n. 115.
(5) Ep. ix. *ad episc. Lucaniæ.*
(6) S. Alph. l. vi n. 116.
(7) Cap. *Si quis* i. *de Cler. non ord.*
(8) Cap. *Firmiter.*
(9) Decr. pro Armenis. (10) De Bapt.

ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut et materia baptismi sit communis, scilicet aqua, quæ a quolibet de facili haberi potest : et minister baptismi etiam sit quicumque non est ordinatus, ne propter defectum baptismi, homo salutis suæ dispendium patiatur. »[1] Mulierem baptizantem etiam vindicat : « Dicendum quod Christus est qui principaliter baptizat, secundum illud Joan. I. « Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem, hic est qui baptizat. » Dicitur autem Coloss. III. quod « in Christo non est masculus et fœmina. » Quia tamen « caput mulieris est vir, et caput viri est Christus » (ut dicitur 1 Cor. xi.) non debet mulier baptizare, si adsit copia viri : sicut nec laicus præsente clerico, nec clericus præsente sacerdote, qui tamen potest baptizare præsente Episcopo : eo quod hoc pertinet ad officium sacerdotis. »[2] Utrum infidelis baptizare posset, Augustino non satis constare visum est;[3] sed procedente tempore omnis dubitandi ratio sublata est; quapropter Nicolaus I. edocuit Bulgaros, baptizatos in nomine sanctæ Trinitatis, sive a christiano, sive pagano, iterum baptizari non debere :[4] « quia, ut Nicolaus Papa dicit, Baptismus non est illorum, scilicet baptizantium, sed ejus, scilicet Christi. »[5]

16. Utrum liceat laico ex sacerdotis, vel Episcopi venia, infantes baptizare, ob communia vitæ discrimina, ubi sacerdotis copia non est, inquirendum occurrit. Censemus negandum ; nam et patrum testimonia de periclitante et perituro loquuntur, et Ecclesiæ decreta de eadem necessitate plane agunt. Sic Eugenius IV dicit « mortis imminente periculo, baptizentur etiam per laicum. »[6] Equidem sacrum ministerium non est facile a laico usurpandum, et sacramenti indignæ tractationi fit locus, dum laicus, cui copia non est sacerdotis, delegatur ad baptizandum ; vix enim animam mundam servabit ad tantum munus. Si igitur sacerdos nonnisi post menses aliquot est reversurus, non ideo licebit infantes qui interim nascuntur, baptizare absque discrimine, sed eos tantum qui in periculo versantur. Idem censemus dicendum, etiamsi nulla sacri ministerii in posterum affulgeat spes; nec enim ullo documento Ecclesiæ didicimus, laicum posse deputari ad baptizandum extra mortis periculum. Sed quo minor est spes sacerdotis adventuri, putamus minus periculum sufficere ut laicus baptizet : nec expectandam esse mortis horam; sed si morbus periculum mortis afferat, baptismum ministrandum. « Licite autem, » inquit S. Alphonsus, « nequit baptismus ministrari ab alio, quam a sacerdote extra articulum mortis, ut D. Thomas dicit, qu. 67 art 2 et 3. ex C. Constat, de consecr. D. 4. ubi S. Isidorus ait : « Constat baptisma a solis sacerdotibus esse tractandum : ejusdem ministerium nec ipsis diaconis explere est licitum absque Episcopo vel presbytero ; nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat. Quod et laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo evocetur. » Extra igitur mortis articulum, sive periculum, ut recte dicunt Salmanticenses, de Bapt. c. 4. n. 16. cum aliis, in quo, deficiente sacerdote, vel clerico, quivis laicus potest ba-

(1) iii. p. qu. lxvii. art. iii. *Resp.*
(2) Ibid. art. iv.
(3) L. ii. contra ep. Parmeniani.
(4) In resp. ad consulta Bulgarorum cap. civ.
(5) Apud S. Thomam, *ubi supra* ad 1.
(6) In Decreto ad Jacobitas.

ptizare, imo tenetur, ut Salmanticenses n. 19. cum S. Anton. etc. duplex est minister baptismi, primus ordinarius ex officio, secundus est minister extraordinarius ex commissione. »[1]

17. Omnino improbandus est mos obstetricum quarumdam, quæ infantes acatholicorum, quos a parentibus ad baptismum afferendos non putant, statim a partu baptizant, nullo imminente mortis periculo : nam temere usurpatur a muliere officium sacrum, quod in sola extrema necessitate licet : ut nihil dicamus de injuria sacramento irrogata, quod confertur absque ulla probabili spe catholicæ baptizatorum educationis, et cum periculo iterationis, quum facile contingat infantes a parentibus deinceps afferri baptizandos, vel ad adultam ætatem pervenientes ipsos expetere baptismum, vel sub mortem excipere, neglecto pœnitentiæ necessario subsidio.

18. Nemo seipsum valet baptizare, « quia inter baptizantem et baptizatum debet esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis : « Ite, baptizate omnes gentes. » Ita censuit Innocentius III. [2]

19. Urgente necessitate, tunc tantum laico licet baptizare, si copia non sit sacerdotis ; quapropter peccat graviter si munus baptizandi usurpet, quando sacerdotem facile possit arcessere : sicut et peccat sacerdos, suum denegans ministerium, quod præstare possit ; et eo quidem gravius peccare censendus est, si ex laici imperitia, vel perturbatione, timendum sit ne infans haud baptizatus discedat. Cæterum si tempus sit sævum, iterque longinquum, vel si sacerdos sit infirmæ valetudinis, vel plurimis sacri sui muneris occupationibus distentus, non videtur peccare rejiciendo baptizandi onus in laicum qui id præstare sciat.

20. Ordo servandus est etiam in extrema necessitate : « Si adsit sacerdos, diacono præferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius fœmina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet parochus, ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent. Pater aut mater propriam prolem baptizare non debet, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizet. » Ita præscribit Rituale Romanum. [3] Vix tamen gravis est culpa ordinem hunc invertere, nisi laicus anteponatur sacerdoti, vel diacono : quod nullatenus licet, nisi quando pudor exigit ut mulier baptizet.

CAPUT V.

DE BAPTIZANDIS.

21. Quum alias probaverimus infantes baptizandos esse, oportet jam explicare quam urgeat rei necessitas. Equidem S. Cypriano et Episcoporum concilio visum est, non esse expectandum octavum diem, sed etiam « intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos, » [4] vel statim a nativitate baptizari posse. Plurimis sanctionibus diœcesanis injunctum est, ut infantes intra viginti quatuor horas a nativitate baptizandi ad ecclesiam deferrentur ; aliis intra triduum. In plerisque Fœderatis Statibus magnus hac in re neglectus reperitur ; sunt enim qui plures menses elabi sinunt,

(1) L. vi. n. 115.
(2) C. i. Debitum, *de Baptismo et ejus effect.*
(3) *De Bapt.*
(4) Ep. lix. ad Fidum, alias l. iii. ep. viii.

antequam id muneris expleant. Grave in mora peccatum agnoscunt theologi, quoties sacerdotis est copia, et infans absque periculo potest deferri. Cæterum hiemis frigus nimium, itineris longitudo, patris acatholici contraria voluntas, aliæque excusationes sæpe occurrunt : sed sacerdotum solicitudo in eo adhibenda est, ut quantocyus deferantur. Sane Eugenius in Decreto pro Jacobitis, admonet « non esse per quadraginta aut octuaginta dies, seu aliud tempus, juxta quorumdam observantiam sacrum baptisma differendum ; sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri ; ita tamen quod, mortis imminente periculo, mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum. » [1] Plerique theologi decem vel undecim dierum moram gravem habent. [2]

22. Baptizanda non est *massa carnea* quæ ex abortu prodit absque ulla organorum dispositione, vel vitæ signo : quod si aliquis motus vitalis in fœtu abortivo indicetur, baptismus sub conditione dandus erit.

23. Valet baptismus, licet minister putet infantem esse alium, vel puerum, quæ puella est : nam datur præsenti.

24. *De monstris* dicit S. Alphonsus : « Quando dubitatur, an monstrum sit homo, baptizandum absolute, si caput sit humanum, licet membra sint ferina ; sub conditione vero, si caput sit ferinum, et membra humana ; hoc vero si prodierit ex congressu viri cum femina : nam si prodierit ex viro cum bestia (quod incredibile puto,) tunc baptizari semper deberet sub conditione ; secus si ex femina et bruto : tunc enim nullo modo baptizandum ; quia non descenderet ex Adam, utpote non conceptum ex semine virili. » [3] Consulatur et Rituale Romanum.

25. *Mancipia* ad baptismum admitti possunt, etiam heris invitis : non enim subjiciuntur heris in iis quæ sunt juris divini. Quod si urgeat metus heri vindictæ, si noverit servum fuisse absque ejus consensu, vel contra ejus voluntatem, baptizatum, non ideo licebit denegare sacramentum servo cupienti suæ consulere saluti ; sed omnis cautela adhibenda erit, ut res non innotescat.

26. *Infantes mancipiorum* baptizari possunt, parentibus invitis, si domini ita velint : quia potestas dominorum in eos plena est, et cum eorum utilitate adhibetur ad saluti consulendum : dominos autem saltem ex charitate teneri ad eos ut baptizentur afferendos contendit Antoine. [4] Nequeunt baptizari parentibus dominisque invitis, nisi in extremo vitæ discrimine, quia quum penes eos maneant pueri, non possent christiano more institui, ideoque « baptismus manifesto periculo profanationis, et baptizatus periculo apostasiæ exponeretur : cum constet eum in infidelitate educandum. » [5] Si parentes velint, dominis repugnantibus, possunt filii baptizari, quia parentum voluntas in iis quæ sunt divini juris debet prævalere ; qui tamen debent studium omne ponere in iis christiano more instituendis. Si alteruter e parentibus velit, [6] vel heri uxor, debet infans baptizari, quia voluntas justa debet injustæ prævalere.

27. *Infantes infidelium liberorum* nequeunt baptizari invitis parentibus, nisi in extremo vitæ discrimine : declaravit enim S. Congregatio S. Officii,

(1) Inter acta Conc. Flor.
(2) S. Alph. l. vi. n. 118.
(3) L. xi. n. 125.
(4) Antoine, tract. *de bapt.* qu. xiii. *Resp.* 3.
(5) Ibidem, *Resp.* 4.
(6) Vide Conc. Tolet. iv. cap. lxiii.

die 18 Februarii anno 1705, id « non licere, nisi in articulo mortis. » Ita docet etiam S. Thomas : quia « secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt : . . . . et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri, invitis parentibus, baptizarentur : sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare : quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur. » [1] In exitu vitæ scilicet, « quandocumque imminet periculum certum sive proximum de sua morte, »[2] baptizantur absque ullius injuria, et sacramento servata reverentia : nec tamen vis ulla adhibenda est, vel quid faciendum cum gravi offensione populi, quum nemo teneatur ordinem societatis violare, et parentum jura invadere, ad succurrendum infanti. In Statibus Pontificiis districte vetatur ne quis se ingerat in ædes Hebræorum ad baptizandos infantes vita periclitantes.

28. *Hæreticorum infantes* non sunt invitis parentibus baptizandi : nam jura parentum læderentur, et sacramentum in discrimen adduceretur, pueris in hæresi educandis. Igitur nullatenus mos gerendus est nutricibus, si quæ infantes ad ecclesiam, parentibus nil suspicantibus, deferant baptizandos.

29. *Infantes acatholicorum*, sive baptismum susceperint parentes, sive non susceperint, possunt baptizari rogatu parentum, si probabilis affulgeat spes catholicæ eorum educationis. [3] Ea autem affulget spes, quoties parentes persuasum habent Catholicam fidem veram esse, quam amplecti in animo habent ; vel saltem ad eam amplectendam aliquatenus dispositi videntur : vel permittunt patrino vel matrinæ Catholicæ pueri institutionem in rebus fidei, et nullum se obicem objecturos pollicentur, quominus pueri fidem profiteantur. Idem dicendum censemus si alteruter sit ita dispositus. Sed si parentes ministerium sacerdotale petant, solius opportunitatis causa, vel quod baptismum necessarium esse credant, quum cætera pleraque fidei dogmata rejiciant, et pueros velint in hæresi educare, vel ad ætatem maturam absque ullo religionis documento tenere, ut liberius maturiusque de rebus fidei judicent, et sectam pro arbitrio eligant, non putamus licere infantes baptizare, quum sacramentum profanetur hæretica institutione, vel infidelitate, adeo verosimiliter secutura. S. Cong. Inquis. Septembris mense, 1827, perpensis quæ decretorum hac de re moderationem importare videbantur in diœcesi Bardensi, censuit a decretis non esse recedendum. De infidelium filiis censuit S. Congregatio S. Inquisitionis die 3 Maji 1703, « non licere, si sint filii infidelium, et in potestate eorum relinquendi, secluso tamen mortis imminentis periculo. »

30. Quoties alteruter parens fidem profitetur, licet alter eam plusquam vatiniano odio forsan prosequatur, baptizari potest infans, admonito parente Catholico ut omnem ponat operam in Catholica ejus institutione. Quod si adeo torpescat ut nihil ea de re curet, vel si jam conjugi se obligaverit ad ei permittendum pueri in hæresi edu-

(1) iii. p. qu. lxviii. art. x. *Resp.* Vide et Bullarium Bendicti XIV. Vol. II. Const. XXVIII. Julius III imposuit mulctam mille ducatorum, et pœnam suspensionis, baptizantibus infantes Hebræorum, parentibus invitis. (2) S. Alph. l. vi. n. 128. (3) Can. xvii. Conc. Balt. I.

cationem, non licebit ea conditione baptizare infantem, cum manifesto et certo apostasiæ periculo. Plerumque quidem sperandum est Catholicum ad Religionis sensum aliquando revocandum, et de puerorum recta institutione fore solicitum, nisi propositum contrarium plane foveat. De hæreticorum conjugibus, proportione quadam servata, intelligi possunt quæ de Turcarum mulieribus decreta sunt: quamvis enim immane sit discrimen inter Mahumetis sectatores, et hæreticos, tamen fidei integritas absque sacramenti injuria non læditur. De mulierum Christianarum, quæ Turcis nupserant, filiis, decretum est eos, rogatu matris, baptizandos in vitæ discrimine, « admonitis matribus, ut si convaluerint, ipsos in Christiana religione sedulo educare curent. Si nullum adsit vitæ periculum, certa regula generalis statuta non est, cum oporteat diligenter omnes expendere circumstantias, et præsertim, vel eos in evangelicæ legis et fidei cultu perseveraturos, vel Christiana educatione ab ejusmodi matribus fraudatos, Mahumetani patris impietatem secuturos esse. Si sacerdotes, postquam pie et religiose hoc negotium Deo commendaverint, æquum bonumque existiment, prædictos infantulos baptizare, id quidem facerent, matres tamen enixe admonerent de gravissimo, quo tenentur, munere filios de Christiana religione sedulo edocendi. »[1]

31. Pueri omnes *qui usum habent rationis*, baptizari possunt invitis parentibus, si ipsi rite instructi petant baptismum, quia in his quæ juris divini sunt, vel naturalis, sui juris sunt. « Quantum ad ea, quæ sunt juris divini, vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse; et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt et induci ad suscipiendum baptismum. »[2] Sed diligenter instruendi sunt, et periculum defectionis præcavendum: quod si enixe petant baptismum, non licet eos rejicere offensionis parentum, vel odii publici, vel alterius incommodi metu: quum jus strictum habeant ad salutis subsidia, quæ ministri Ecclesiæ tenentur ex divino mandato præbere.[3] Parentum consensus a pueris ipsis expetendus est, et quatenus fieri possit, omnia cum eorum pace agenda sunt: sed saluti præ omnibus, et cum omnium detrimento, consulendum est. Prudentia utique opus est, sed non ea quæ hujus mundi utilitates saluti animarum anteponit.

CAPUT VI.

DE DISPOSITIONIBUS BAPTIZANDORUM.

32. *Qui usum rationis habent*, baptismum non possunt cum fructu recipere, nisi credant fidei veritatibus, et doleant animo ob peccata admissa: sed pro ætatis ratione, et rerum adjunctis plenior notitia exigitur. Vix ex infantia egressi baptizantur imbuti Dei et mysteriorum SSmæ Trinitatis, et Redemptionis notitia, qualis teneræ ætati convenit, et quidquid Deo displicet rejicientes. Sic et rudes, præ-

(1) Bened. XIV. ep. ad Archiepiscopum Tarsensem. (2) S. Thom. iii. p. qu. lxviii. art. x. *Resp.* Vide et S. Alph. l. v. n. 128.

(3) Ante aliquot annos in Pennsylvania contigit puellam septemdecim annos natam, quæ in Secta Presbyterianorum baptizata erat, petiisse a præcone Baptista ut immergeretur, cui ipse, post varia tentamina ad patris puellæ consensum impetrandum, morem tandem gessit. Ut se a patre vindictam minante tueretur, curiæ imploravit auctoritatem. Judex censuit patrem obligandum esse ad pacem servandam, sed præconem debere impensas litis solvere, quum patri fecisset injuriam.

sertim inter mancipia, qui pleniorem instructionem non capiunt, possunt ad baptismum admitti, dummode vere credant, et a vitiis abhorreant. Plenior instructio exigenda est a plerisque, præsertim de dogmatibus controversis, ne hæreticorum dolo a fide postea abducantur: sed ubi fides patet sincera, facilius in Ecclesiæ gremium admitti possunt, deinceps de singulis accuratius edocendi. Metu divinorum judiciorum, spe et fiducia in Deum, pœnitentia ob peccata admissa, cum proposito novæ vitæ, et Dei dilectionis principio, tamquam fontis omnis justitiæ, homo disponitur ad gratiam justificationis in baptismo impetrandam, uti præclare docet Concilium Tridentinum. Rituale Romanum idcirco de catechumeno dicit: « Debet prius, secundum apostolicam regulam, in Christiana fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptizari. » [1]

33. *Pœnitentia* a S. Petro commendatur tamquam baptismo prævia: « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum: » [2] est autem animi dolor de peccato admisso, conceptus ex consideratione veritatum fidei, v. g. pœnarum inferorum, quæ manent peccatores, Dei misericordiæ erga pœnitentes, beneficiorum Dei quæ peccatis rependimus, bonitatis et perfectionis Dei super omnia propter se diligendi. Ille saltem requiritur dolor quo peccatum detestamur, et amplectimur Dei legem, tamquam morum regulam, semper nobis in posterum servandam: sed peccatorum confessio minime requiritur, quum peccata ante baptismum admissa non subjaceant Ecclesiæ potestati, sed abluantur unda salutari: quapropter mos eam exigendi, ut animus ad gratiam baptismi disponatur, omnino improbandus est, uti mihi consulenti respondit Cardinalis Consalvi, Pro-Præfectus S. Cong. de Prop. Fide, die 31 Maji anno 1823. « A baptizandis » inquit S. Thomas, « non requiritur specialis confessio peccatorum: sed sufficit generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesiæ abrenuntiant satanæ et omnibus pompis ejus. » [3] Equidem olim alicubi catechumeni solebant confiteri peccata, humiliationis causa; sed quum illa pietatis exercitia mutatis temporibus non frequententur, a recepta disciplina nullatenus est recedendum: ne gravius onus imponatur accedere volentibus ad baptismum, quo terreantur; vel error irrepat, eorum peccata necessario esse declaranda: vel ipsi pudore præpediti, quædam celent contra conscientiæ dictamen, et ita accedant haud rite dispositi. Volentibus confiteri indulgeri potest, juxta S. Thomam: « Si qui tamen baptizandi, ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur; sed ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur. » [4]

34. Ad baptismum nemo admittendus est *qui de aliqua fidei doctrina dubitat:* quapropter sacerdos baptizare nequit hominem qui baptismum necessarium esse fatetur, sed alia rejicit dogmata. Qui animo non est paratus Dei et Ecclesiæ mandata servare, baptizandus non est: nam eum peccatorum non pœnitet, qui violando mandata in posterum peccare proponit.

(1) *De bapt. adult.*
(2) Act. ii. 38.
(3) iii. p. qu. lxviii. art. vi. *Resp.*
(4) Ibidem.

35. *Qui in sectis baptizati sunt* in gremium Ecclesiæ recipiuntur, abjurata hæresi : quod fit, juxta Sanctæ Romanæ morem, Piana fidei professione : quem usum ubique obtinere suo tempore testatus est Bossuetius. [1] Abjurationem hanc faciendam etiam ab hæretico materiali tradit Scavinius. [2] Cæterum epiikia omitti forsan poterit formula illa quando de hominibus coloris, aliisve rudibus excipiendis agitur, qui nec recitare nec intelligere eam valent. Poterit etiam sacerdos eam prælegere mulieribus aliisve indolis timidioris, eorum assensu sub finem significaturis.

36. *Cæremonias Baptismi supplendas* conversis ab hæresi respondit Gregorius XIII. patribus Concilii Rothomagensis : attamen arbitrio Episcopi id permittit Rituale Romanum ; quo usus Joannes Carrol, Baltimorensis Antistes, in Synodo diœcesana statuit eas universim omittendas. Synodi acta ad S. Sedem missa cum laude excepta sunt. Testatur Scavinius non esse de more eas supplere. [3] Rem in medio relinquit S. Cong. Rit. insinuans tamen eas omittendas plerumque ; sed si adhibeantur, oportere iis uti quæ pro adultorum baptismate præscribuntur : « quatenus supplendæ sint, et supplendæ credantur. » [4]

37. Qui baptismum suscipiunt *haud rite dispositi*, gratia sacramenti carent, quamvis character iis imprimatur : sed remoto obice per pœnitentiam, veniam impetrant, quin necesse sit referre peccata ante baptismum admissa : confiteri tamen debent se indigne baptismum suscepisse : nam peccatum hoc consummatum est ingressu in Ecclesiam, et ideo subjacet ejus auctoritati. Qui baptismum susceperunt ficto animo, nullam in eo agnoscentes virtutem, et solum utilitatis alicujus causa, vel ut obicem matrimonio ineundo tollerent, pariter debent illud fateri : quod si noluerint sacramentum suscipere, de valore baptismi eadem moveri potest quæstio ac de ministri intentione. Nobis videtur valere baptismus, quoties quis exterius non repugnet ; iterandus tamen sub conditione ob dubium.

38. *Nemo* baptizandus est *invitus* : nam recte jussit Concilium Toletanum « nemini ad credendum vim inferre : » [5] nec valet baptismus repugnanti collatus : « qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem recipit Sacramenti. » [6] Sed si baptizatus fuerit quis haud conscius ritus peracti, ideoque non repugnans exterius, videtur baptismus valere : quapropter putamus valere baptismum serio collatum dormienti aut ebrio, quamvis temere et cum peccato fiat; sed quum alii aliter sentiant, sub conditione erit iterandus.

39. *Baptismus rite susceptus* tollit culpam omnem et pœnam, confert gratiam qua anima fit justa et Deo accepta, una cum virtutibus infusis, et titulo quodam ad gratias actuales suo tempore recipiendas ; imprimit animæ characterem, qui deleri nequit : facit hominem membrum Ecclesiæ, et jus dat ad reliqua Sacramenta, pro cujusque necessitate. Inducit quoque obligationem servandi Dei et Ecclesiæ mandata.

40. *Adulti qui numquam sui compotes* fuerunt, baptizari possunt, instar infantium, in fide Ecclesiæ, ex Christi benigna voluntate : amentes qui aliquando usum rationis habuerunt, vel sensibus destituti, baptizari pos-

(1) Lettre cxv. Vol. 37. *OEuvres de Bossuet.*
(2) Theol. Mor. vol. 3. tract. 8. disp. 1. c. iv. art. ii. (3) Ibidem, tract. 9. disp. ii. c. v. qu. 3.
(4) 27 Aug. 1838.
(5) Conc. Tol. iv. can. lvii.
(6) Cap. Majores, *de baptismo.*

sunt, si propositum baptismum recipiendi tunc foverint: secus, si nullum hujusmodi consilium habuerint: sed in re dubia, et vitæ discrimine, leve indicium voluntatis sufficit ut quis, quatenus valeat, subveniat periclitanti. S. Augustino visum est adulteros qui catechumenatum aliquando inierant, sed consuetudine prava irretiti distulerant baptismum, baptizandos esse in vitæ exitu, licet cordis dolorem indicare non possent. [1] Probavit S. Fulgentius baptismum Æthiopis, qui quum esset catechumenus, in extremo halitu, mente absentissimus, ablutus est. [2]

CAPUT VII.

DE ITERATIONE BAPTISMI.

41. Baptismus semel valide collatus a quocumque, *nequit* absque sacrilegio *iterari;* ideoque restitit S. Stephanus S. Cypriano et Episcopis Africanis baptizantibus iterum eos qui ab hæreticis baptizati fuerant. At si dubitetur utrum quis baptizatus fuerit, post inquisitionem diligentem, baptizatur sub conditione, prout jussit Alexander III. quod anno circiter 745, S. Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus, in suis statutis jam decreverat. [3] Si nihil suadeat baptismum jam susceptum esse, sine conditione ministratur: « Cum constiterit hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam cujus in se nullum scit esse vestigium. » [4] Sub conditione datur, si dubitetur utrum rite peractus sit, « ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. » [5] Hinc baptizantur jam plerumque a sectis conversi, nisi certo constet eos rite jam baptizatos esse: nam gravissimæ rationes dubitandi occurrunt, quum plurimi aquam leviter injiciant, et plerique ritum incuriose peragant, nullam virtutem in eo inesse agnoscentes. Cæterum iterum baptizandus non foret, etiam sub conditione, qui in adulta ætate baptizatus, meminerit ritus integre peracti, vel quem testis indubiæ fidei declarat fuisse rite baptizatum, vel qui alias noscitur baptismum suscepisse. Nec exigendum plerumque est a conversis ut baptismum iterum recipiant, si ipsis, sectæ cui adhæserant morum optime consciis, persuasum sit se rite baptizatos fuisse.

42. *Infantes expositi*, etiamsi baptismi privatim collati schedulam ferant, sub conditione plerumque baptizantur iterum; nec enim incerto testimonio de re tanti momenti fidendum est: « Placuit, » inquit Concilium Carthaginense VI. « de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari. [6] Quod « si non lateret qui chartulam scripserat, eidemque fides tuto præstari posset, tunc infantem ut baptizatum habendum, ac ne baptismo quidem initiandum sub conditione. » [7] Qui domi baptizati sunt ab obstetricibus aliisve, iterum bapti-

(1) L. *de adulterin. conjugiis*, c. xxvi.

(2) Ad Ferrandum diaconum, *de bapt. Æthiopis.* (3) Cap. ii. *de bapt.*

(4) S. Leo M. ep. xxxvii. ad Leon. Raven.

(5) S. Greg. M. l. xii. epist. xxxi.

(6) Cap. *Placuit*, dist. iv. *de consecr.* et in collect. Hard. tom. i. col. 987.

(7) Ita a S. Cong. Concilii die 15 Januarii 1724, decisum fuisse refert Benedictus XIV. in ep. ad Archiepiscopum Tarsensem.

zantur sub conditione, si certum non feratur testimonium de re rite peracta : nam certitudo quæritur, ubi salus periclitatur. Cæterum hærent aliquando qui baptizarunt, potius ex desiderio ministerii sacerdotalis, quam ex dubitatione vera : quapropter interrogandi sunt diligenter ; nec enim licet temere, et securitatis prætextu, baptismum sub conditione iterare, prout ostendit Benedictus XIV.: « sed tunc solum ea uti licebit, cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis fuerit baptizatus, nec diligenti præmissa indagine, potuit rei veritas innotescere, quemadmodum scite perpendit Sotus, *in 4 dist.* 3. *quæ est unic., art.* 9. §. *Circa hanc absolutionem*, ubi a sacrilegio non excusat, neque ab irregularitate absolvit sacerdotem sub conditione rebaptizantem, quem scit domi baptizatum, et nihil est quod collatum ei baptisma rationabiliter suspectum reddat. » [1] Id liquet ex pluribus S. Cong. decretis. [2]

43. Crescente in dies sectarum incuria et temeritate, mos inductus est in Anglia, ab anno præsertim 1773, baptizandi *quoslibet conversos* sub conditione, nisi certo constaret de baptismo prius valide suscepto. Idem apud nos obtinuit. Cæterum de rei veritate semper inquirendum : nec enim licet iterare quod semel rite factum est. Quandocumque autem dubium est, baptismus sub conditione est ministrandus, privatim tamen, ne sperni videatur prior actus. Id districte jussit Concilium Westmonasteriense anno 1852 ; quod et aqua lustrali fieri voluit ablutionem, cæremoniis omnibus omissis. [3]

CAPUT VIII.

DE SPONSORIBUS.

44. Sponsores in solemni baptismo *requiruntur*, teste Tertulliano, cujus rationem exponit S. Thomas Aquinas : « In spirituali generatione baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis et pædagogi, informando et instruendo eum, quasi novitium in fide, de his quæ pertinent ad fidem et vitam christianam. » [4] « Unus tantum, sive sit vir, sive sit mulier, » ita præscribit Concilium Tridentinum, « juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant. » [5] Absque sponsore baptismus privatim administrari potest, quamvis præstet eum habere : [6] sed in solemni administratione baptismi gravis culpa est eum omittere, quando haberi possit. [7] Etiam adulto opus est sponsore, quum infans in spiritu habeatur. Cæterum si nullus sit in loco Catholicus præter parentes infantis, vel si nemo velit sponsoris fungi officio, quia parentes ignoti sunt, vel viles, vel infans spurius est, videtur licere baptismum solemnem conferre, sponsore omisso.

45. Non oportet *baptizantem* sponsoris munere fungi, nisi alius præsto sit qui ejus nomine respondeat; quum baptizans a sponsore, juxta ritum Ecclesiæ, distinguatur : [8] nil autem vetat procuratorem constitui. Quoties deest procurator, qui baptizantis vices spondendo agat, non videtur hic munus sponsoris suscipere, licet ipse velit : nam voluntas hæc frustratur, dum sponsio revera non fit, et infans non

(1) L. *de Synodo diœc.* l. vii. c. vi.
(2) S. C. Congr. 27. Mart. 1683. S. C. Inq. 17. Nov. 1830. et 20 Julii 1840.
(3) §. xvi. *de Bapt.* n. 8.
(4) iii. p. qu. lxvii. art. vii. *Resp*
(5) Sess. xxiv. cap. ii. *de Ref. Matr.*
(6) S. Alph. l. vi. n. 147. (7) Ibidem, n. 159.
(8) Amort. vol. ii. p. 329.

levatur e sacro fonte. Id dicendum censeo, etiamsi baptizans ipse sibi respondeat spondendo, et manum apponat, dum baptizat infantem, eo animo ut sponsoris contrahat obligationem : nam ex Ecclesiæ instituto alius a baptizante qui sponsor sit, vel sponsoris vices agat, videtur requiri.

46. Sponsoris *munus*, quod sub gravi peccato implere tenetur, est baptizatum edocere fidei veritates et morum principia, et quæ ad pietatem pertinent, cæterum si parentes sint fideles, et copia sit disciplinæ christianæ, non erit facile damnandus peccati gravioris sponsor, qui hæc munia non obit, nisi noverit ea a parentibus negligi. « Ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, » animadvertit S. Thomas, « assumit sibi officium pædagogi : et ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret : sicut eo tempore et loco, in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura excusari, præsumendo, quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere. » [1] Excusatur etiam sponsor, qui munia obire non valet absque discordiæ et molestiarum periculo, ob parentum voluntatem adversam.

47. Nulla certa *ætas* in sponsore exigitur, quamvis juxta Rituale Romanum, in ætate pubertatis eum esse conveniat, sicut et confirmatum; et ante usum rationis nequeat omnino id sibi muneris assumere. [2] Homo haud baptizatus sponsor fieri nequit, quippe qui spiritu natus non est, ideoque patris munere fungi non valet : sed nec hæreticus admittendus est, quum id plane repugnet Ritualis Romani præscripto, et officio edocendi fidem et pietatem, et periculum subversionis infantis secum ferat. [3] Docet Rituale « ad hoc munus non esse admittendos infideles aut hæreticos : non publice excommunicatos, aut interdictos : non publice criminosos, aut infames : nec præterea qui sana mente non sunt : nec qui ignorant rudimenta fidei. » Ad vitandam gravem offensionem aliquando aperte non repellitur hæreticus qui se sistit sponsorem : attamen numquam tamquam sponsor admittendus est, sed admonendi sunt parentes Catholicum tantummodo eo munere fungi posse : quapropter omnino improbandus est mos aliquorum passim excipientium hæreticos ad illud munus, satis habentes si alteruter sponsor Catholicus sit : quod cum Ritualis præscripto et Concilii Baltimorensis I. decreto pugnat. [4]

48. Sponsores a parentibus *designandi* sunt; quod si parochus eos suo arbitrio mutet, peccat graviter, parentum jure lædendo, quamvis mutatio valeat. [5]

49. Ad munus sponsoris suscipiendum communissime censent doctores requiri *physicum contactum*, saltem per procuratorem, dum baptismus confertur, vel statim postea, levando infantem de fonte : nam jus quo impedimentum constituitur, ejusmodi vocibus quæ contactum significant utitur : [6] quapropter qui adstat et respondet, quin apponat manum, non censetur sponsor.

50. *Impedimentum cognationis spi-*

(1) iii. p. qu. lxvii. art. viii. *Resp.*
(2) Vide S. Alph. l. vi. n. 146.
(3) Ibidem, n. 156.
(4) Decr. xi.
(5) Vide S. Alph. l. vi. n. 146.
(6) Ibidem, n. 148.

ritualis contrahitur a sponsoribus sicut et a baptizante, quoad baptizatum ipsum et illius patrem et matrem.[1]

51. In privato baptismo, qui fit sine cæremoniis, non contrahitur impedimentum a sponsoribus, juxta sententiam communiorem et probabiliorem, judice S. Alphonso:[2] quia jus loquitur de suscipiente ex sacro fonte, quod intelligitur de baptismo solemni. Cæterum quandocumque fiunt cæremoniæ, videtur contrahi, quia baptismus est solemnis: quod autem persæpe apud nos, rure præsertim, non fiat apud sacrum fontem, non obstat. Baptizans autem contrahit cognationem etiam in privato baptismo.[3] Parentes tamen qui ex necessitate suos baptizant filios, immunes impedimento habentur: nam « inculpabile judicandum quod necessitas intulit. »[4] Ignorantia etiam eos excusat. Quod si temere baptizent suos infantes, peccant graviter: sed canonum antiquorum rigor mitigatus est, ideoque « sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere. »[5] Graviter prohibentur parentes prolem propriam suscipere, quum contrahatur spiritualis cognatio, quæ impedit usum matrimonii.[6] Si nullus alius sit qui munere illo fungatur, præstat absque sponsore baptizare.

52. In baptismo collato sub conditione, ubi « nulla urget ratio pro valore anterioris baptismi, » contrahitur cognatio, quia præsumptio favet secundi baptismi valori: secus videtur nonnullis, si præsumptio faveat priori, uti plerumque contingit, secundo collato ad majorem securitatem.[7]

53. Si ex errore quis susceperit alium pro alio, censet S. Alphonsus eum contrahere cognationem cum eo quem reapse suscepit, « nisi ille habeat expressam intentionem non tenendi alium, nisi quem intendit suscipere. »[8]

54. « Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti. » Ita decisum a S. Congregatione refertur: quod et congruum est rationi, quum alieno nomine agat.[9]

55. Jubet Concilium Tridentinum: « Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat. » . . . . « Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. »[10] Si nulli fuerint designati et plures accesserint, omnes cognationem contrahunt, juxta jus antiquum, quod hac in re immutatum non videtur.[11] Quod si designati non tangant, alii vero tangant, hi, non illi, contrahunt cognationem, jure antiquo etiam manente: quod si unus ex designatis tangat, aliusque haud designatus, ille, non hic, eam contrahit. Si plures quam duo fuerint designati, et omnes tangant infantem, omnes contrahunt; saltem si non constet quis prius tetigerit. « Si parochus admitteret plures patrinos quam duos, mortaliter peccaret, quia læderet præceptum Ecclesiæ in re gravi, impositum ne multiplicentur cognationes. Si vero plures patrini accedant a parentibus designati, bene poterit permittere (prout

(1) Trid. Sess. xxix. cap. ii. *de Ref.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 149.
(3) Ibidem.
(4) Cap. Ad limina, 7. *Causa.* xxx. q. i.
(5) Cap. Si vir. 2. *de cognat. spir.*
(6) i. et iv. *Causa* xxx. qu. i.
(7) S. Alph. l. vi. n. 151.
(8) Ibidem, n. 152. (9) Ibidem, n. 153.
(10) Sess. xxiv. cap. ii. *de Ref.*
(11) C. fin. *de Cogn. spir. in* 6.

ait Croix, n. 350) ut omnes tangant, modo externe designet unum et unam, quibus tantum tradat infantem, et illos solos adnotet ut patrinos, moneatque tantum eos cognationem contraxisse. » Ita S. Alphonsus. [1] Duos mares, vel duas fœminas ad sponsorum munus simul admittere videtur venialis culpa, si sint ejusdem sexus ac infans; secus mortalis; quum prohibitio facta sit ad impediendas cognationes nimias. [2] Si unicus sit sponsor, ratio sexus non habetur.

56. Excluduntur a sponsorum munere monachi, sanctimoniales et regulares omnes a sæculo segregati, quod etiam de iis qui sacris missionibus vacant, intelligitur; non autem de Episcopis ex ordine regulari assumptis; valide tamen, quamvis illicite, munus hoc omnes suscipiunt. Infames etiam, sicut et apostatæ repelluntur. [3]

57. « Nihil prohibet quin vir et uxor simul aliquem de sacro fonte levarent. » [4] Ita S. Thomas: sicque fert consuetudo, quamvis canones aliquando id vetuerint.

58. « Parochus graviter peccat, si ex negligentia frequenter omittat nomina baptizatorum referre in librum; tum ob legem Tridentinam in re gravi, et sub pœna gravi; tum ob incommoda et damna inde sequentia. » [5] Nomina etiam parentum et sponsorum referenda sunt. Monendi sunt patrini cognationis contractæ. Præscribit etiam Rituale ut matres moneantur ne cum infantibus decumbant ob suffocationis periculum: quod monitum ob mores hujus regionis haud facile fit.

CAPUT IX.

DE SOLEMNI BAPTISMO.

59. « Mortale est extra necessitatem baptizare . . . extra Ecclesiam, præter filium regis aut principis. » Ita Antoine. [6] Indulsit tamen Sedes Apostolica ut Episcopi et missionarii in hac regione judicio suo uterentur, « ut statuant quando sint urgendi fideles ut infantes ad Ecclesiam deferant, ut baptismus iis conferatur. » [7] In Synodo diœcesana Philadelphiensi prohibitum est « ne in civitatibus et oppidis in quibus Ecclesia aliqua erecta est, et pastor habitat, quis, nisi de vita periclitans, in privatis ædibus baptizetur: » [8] qua occurrente necessitate, omittendæ sunt cæremoniæ præviæ ablutioni, sed quæ sequuntur fieri poterunt, juxta plura S. Congregationis decreta. Missionariis relinquitur judicare quandonam rure degentes cogendi sunt ut infantes ad ecclesiam deferant.

60. Præter ablutionem formamque baptizandi a ministro adhibitam, « cætera omnia quæ in ritu baptizandi observat Ecclesia, magis pertinent ad quamdam solemnitatem sacramenti. Quæ quidem adhibentur sacramento propter tria. Primo quidem ad excitandam devotionem fidelium, et reverentiam ad sacramentum. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua, absque solemnitate, de facili ab aliquibus æstimaretur quasi quædam communis ablutio. Secundo ad fidelium instructionem: simplices enim, qui litteris non erudiuntur, oportet

(1) L. l. vi. n. 154.
(2) Ibidem, n. 155.
(3) Vide Rit. Rom.
(4) In iv. dist. xlii. qu. i. art. iii. qu. ii. ad 4.
(5) Busembaum apud S. Alph. l. vi. n. 159.
(6) Tract. de Bapt. qu. viii. *Nota*, citans *Clement. de bapt.*
(7) Can. xvi. Conc. Baltimorensis I.
(8) Const. vii. Syn. Diœc. Phil.

erudire per aliqua sensibilia signa : puta, per picturas et aliqua hujusmodi : et per hunc modum per ea, quæ in sacramentis aguntur, vel instruuntur, vel solicitantur, ad quærendum de his quæ per hujusmodi sensibilia signa significantur. Et ideo quia præter principalem sacramenti effectum, oportet quædam alia scire circa baptismum, conveniens fuit, ut etiam quibusdam exterioribus signis repræsentarentur. Tertio, quia per orationes et benedictiones, et alia hujusmodi, cohibetur vis dæmonis ab impedimento sacramentalis effectus. » Ita præclare tradit S. Thomas.[1]

61. Cæremonias a Baptismo ipso separare, etiam ad tempus, non licet, nisi gravis urgeat necessitas; ex mente enim et consuetudine Ecclesiæ conjunguntur : « mortale est » inquit Antoine loco superius laudato, « extra necessitatem baptizare sine solemnitate . . . . quia Ecclesia ob honorem sacramenti solemnitates graviter præcipit. »[2] Hinc non licet cæremonias baptismi differre ad tempus opportunius, ob magnam defatigationem, vel ob iter mox suscipiendum ad invisendum ægrotum, vel ob confessiones audiendas, vel ob negotiorum molem : sed nisi urgeat mortis periculum, vel gravis satis causa baptismus ipse differendus est, donec cæremoniæ possint perfici : « quia omissionem cæremoniarum solus casus necessitatis excusat. »[3] Utrum mortis periculum proximum sit, non debet nimis angi sacerdos, quum agatur de infantibus ægrotantibus, qui facile periclitantur. Supplendæ sunt deinceps cæremoniæ puero ad Ecclesiam brevi delato.[4]

62. Singulæ cæremoniæ servandæ sunt, nec aliqua consulto omittitur absque gravis peccati discrimine; nam videtur minister suum judicium Ecclesiæ jubentis auctoritati anteponere, et magis metuere cachinnos, vel censuram adstantium, præsertim hæreticorum, quam Præsulum suorum justam offensionem. Hinc missionarii Malabarici, qui aliquas omiserant, graviter reprehensi sunt, et jussi sunt « signanter salivam, sal et insufflationes, quæ ex Apostolica traditione Catholica Ecclesia recipit, et ob recondita in iis sacris cæremoniis divinæ erga nos bonitatis mysteria, sancte et inviolabiliter custodire. »[5] Concessa tamen iis est dispensatio ad decennium, quæ ad aliud decennium prorogata est, in casibus specialibus, non autem passim adhibenda : quæ nos minime spectat. Prædictas cæremonias omittere grave est peccatum : eas tamen non ita peragere oportet, ut offensioni sint vel irrisui; sed modeste et decenter juxta Ecclesiæ mentem.

(1) iii. p. qu. lxvi. art. x. *Resp.*
(2) Tract. *de Bapt.*
(3) S. Alph. l. vi. n. 119.
(4) In diœcesi Novariensi præcipitur ut intra novem dies deferatur.
(5) Vide Const. Clementis XI. quæ incipit : *Ex illa die*; et Benedicti XIV. *Ex quo singulari.*

TRACTATUS XVI.

DE CONFIRMATIONE.



1. *Confirmatio* est sacramentum a Christo institutum, quo baptizati muniuntur divini Spiritus gratia ad fidem firmiter tenendam, et fortiter profitendam. Materia ejus est « chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. » [1] Balsamum necessarium omnino esse plerique putant; sed contra sentiunt Barbosa, [2] Jueninus, et alii, quorum tamen sententia, licet probabili, uti non possumus, quum agatur de sacramenti valore. Indicum balsamum sufficere, post alios docet Benedictus XIV., imo cujuscumque regionis balsamum sufficit, [3] juxta S. Alphonsum, « modo sit in ea quantitate ut det sui odorem. » [4] Oleum olivæ requiri constat, non cetis, vel ex aqua oleosa extractum. Benedicendum esse saltem a sacerdote concedunt omnes : imo ex præcepto Ecclesiæ debet esse benedictum ab Episcopo. Utrum benedictio Episcopi pertineat ad essentiam sacramenti disceptatur : affirmat S. Thomas, sed negant probabiliter alii cum Barbosa, quum constet aliquando, licet rarissime, facultatem ei benedicendi a sancta Sede tributam sacerdotibus. Qui absque ea venia id aggrederetur, peccaret graviter, et probabilius nil conficeret. Græci plurimas alias rerum fragrantium species oleo admiscent; cavendum tamen monuerunt patres Synodi Zamosciæ, anno 1720, « ut maxima pars chrismatis semper sit oleum balsamo mixtum. » Significationem chrismatis pulchre explicat S. Thomas : « Gratia Spiritus sancti in oleo designatur : unde Christus dicitur esse unctus oleo lætitiæ, propter plenitudinem Spiritus sancti, quam habuit : et ideo oleum competit materiæ hujus sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios : — unde Apostolus dicit 2 Cor. 2. « Christi bonus odor sumus Deo. » [5]

2. S. Alphonsus ait : « Juxta nostram sententiam quod *materia totalis*

(1) Decret. pro Armenis.

(2) *De officio et pot. Ep.* p. ii. alleg. xxxi. 1.

(3) Not. clxxxiii. in fer. v. maj. hebd. S. Irenæus de balsamo a Valentinianis adhibito loquitur l. iii. c. 2. in quod animadvertit Wall, Anglicanus : « Note, that this is the first mention of chrism that is any where read of. And since I shall shew presently at ch. ix. that it was used by the Catholics from testimonies of near the same date as this; one may conclude that it came from some principle universally received by all Christians, Catholic or Heretic. » *History of Infant Baptism*, by W. Wall. p. ii. ch. v.

(4) S. Alph. l. vi. n. 162.

(5) iii. p. qu. lxxii. art. ii. *Resp.*

adæquata Confirmationis est unctio chrismatis manu Episcopi peracta, advertendum est de essentia sacramenti esse I. Ut unctio fiat *in fronte*, prout habetur ex cap. *unic. de Sacr. Unctione*, et ex decreto Eugenii IV. juxta communem sententiam, quam tenet Suarez, Coninch, Layman, et alii cum Salm. c. i. n. 24. II. Ut unctio fiat *in forma crucis*, juxta S. Thom. 3. p. qu. 72. art. 4. ad 3. quem communiter etiam doctores sequuntur apud Salm. ibidem num. 25. III. Ut unctio fiat *per manum ipsius Episcopi ministrantis*, prout docent Suarez, Castropalaus, La Croix et alii. »[1] Peccat Episcopus qui alio digito quam pollice dexteræ manus linit frontem chrismate, contra usum Ecclesiæ; sed a nonnullis a gravi culpa excusatur, imo ab omni, si digitus hic infirmus sit; valet quippe unctio alio digito facta, quum sit vera manus impositio, et usus non videtur sub gravi obligare : alii tamen communius affirmant eum graviter peccare.

3. Non valet unctio facta medio instrumento, « quia tunc deficeret immediata impositio manus ministri, quæ omnino requiritur; illa autem mediata impositio improprie impositio dicitur. » « Circa autem quantitatem chrismatis, ea sufficit et requiritur, quæ satis sit ad ungendam frontem confirmandi in figuram crucis. »[2]

4. *Forma* sacramenti, prout in decreto pro Armenis traditur, est : « Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Censet S. Alphonsus non valere, 1. si omittatur verbum *signo*, vel *confirmo*. 2. Si omittatur expressio SS. Trinitatis. 3. Si omittatur verbum *te*. 4. Si omittantur verba *signo crucis*, vel *chrismate salutis*. Cæterum sunt qui putant totam sacramenti essentiam in ea manuum impositione quæ fit dum Spiritus sanctus invocatur, manibus Episcopi erga confirmandos extensis, consistere; qui proinde formam in ipsa invocatione constituunt : nec enim Eugenii decretum instar definitionis editum est, sed instructionis causa, et forma et materia recensentur lato quodam sensu, prout in scholis plerumque intelligebantur. Horum tamen sententiam omnino falsam pronuntiat S. Alphonsus.

5. *Minister* ordinarius Confirmationis est solus Episcopus, prout definivit Concilium Tridentinum : [3] « legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum. »[4] Ea facultas plerumque conceditur Præfectis Apostolicis. Apud Græcos, sacerdotes passim Confirmationem ministrant, ex veteri more : sed « omnino in confesso est irritam nunc fore Confirmationem a simplici presbytero Latino, ex sola Episcopi delegatione, collatam, quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit. »[5]

6. « Episcopus confirmans in aliena diœcesi etiam subditos suos, incurrit suspensionem a Pontificalibus ipso jure, ex Trident. Sess. 6. c. 5. et Declaratione S. C. »[6] valet tamen Confirmatio. Alienos in sua diœcesi licet confirmare, si constet de Præsulis eorum consensu, vel ita ferat consuetudo, prout apud nos ferre videtur.

7. Certum est apud omnes Episcopum graviter peccare si diu, puta per

(1) L. vi. n. 164.
(2) Ibidem, n. 166.
(3) Sess. vii. can. vii.
(4) Decretum pro Armenis.
(5) Bened. XIV. *de Syn. diœc.* l. vii. c. viii. n. 7.
(6) S. Alph. l. vi. n. 171.

octo vel decem annos, negligat circumire diœcesim ad Confirmationis sacramentum administrandum : privat enim subditos auxilio maximi momenti : si autem impediatur senio, vel infirmitate, excusatur, sicut et qui ex justa causa differt per tres vel plures annos. [1] Moribundo petenti non est Confirmatio deneganda : sed non videtur esse gravis obligatio eam præstandi, quum consuetudo non ferat ut passim fiat : et grave nimis foret Episcopo singulis qui neglexerint sacramentum suscipere, in discrimine vitæ subvenire.

8. *Effectus* Confirmationis sunt gratiæ augmentum cum auxiliis specialibus, et character indelebilis. « Per sacramentum Confirmationis, » inquit S. Thomas, « datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, præter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in Baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem : prout scilicet secundum seipsum vivit. Sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei. Sicut patet ex exemplo Apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in cœnaculo perseverantes in oratione : postmodum vero egressi, non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei christianæ. Et ideo manifestum est, quod in sacramento Confirmationis imprimitur character. » [2]

9. Confirmationis *capaces* sunt omnes baptizati, etiam infantes, quibus olim passim conferebatur, qui tamen mos a Romana Ecclesia abrogatus est, testante Benedicto XIV. : [3] nunc autem nonnisi in vitæ periculo fit, vel grav admodum de causa, puta quod Episcopi qui eam administret copia non sit facile futura. « Expedit autem » inquit Antoine, « pueros tempestive confirmari antequam innocentia baptismali excidant. » [4] Septennii ætas plerumque expectatur. [5] Perpetuo amentes confirmari possunt, prout declarat Benedictus XIV.

10. Ex consuetudine Ecclesiæ *sponsor*, qui ipse fuerit confirmatus, adhibendus est; [6] et quidem sub gravi : attamen apud nos non consuevit adhiberi : præterquam in Ecclesiis Congreg.SS.R. Episcopus Buffalensis studet morem in suam diœcesim inducere. Contrahitur cognatio spiritualis inter sponsorem et confirmatum, ejusque parentes. Patrinus manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponit, qui mos ab eo qui in Pontificali præscribitur diversus est, sed a S. C. Rituum die 20 Septemb. 1749, probatus est. [7]

11. De *obligatione suscipiendi* Confirmationem disceptatur, multis negantibus fideles lege adstringi, qui tamen fatentur venialem admitti culpam, prætermisso tanto gratiæ subsidio. Constat Apostolos magnam ostendisse solicitudinem, ut singuli dono Spiritus Sancti per manuum impositionem munirentur : [8] quod et S. Cyprianus vehementer commendat : « Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se Christi gratiam possit. » [9] Equidem qui inter hæreticos versantur, plurimis fidei negandæ periculis obnoxii, vix possunt absque gravi culpa negligere subsidium quo infirmitas eorum roboretur. Antiquus

(1) S. Alph. l. vi. n. 175.
(2) iii. p. qu. lxxii. art. v. *Resp.*
(3) Constit. 129. *Eo quamvis.*
(4) *De Confirmatione.*
(5) Cat. Rom. *de Confirm.*
(6) Cap. Non plures. *de consecr. dist.* iv.
(7) 4056 in Laurinens.
(8) Act. xix. (9) Ep. lxxii.

theologus, Guido de monte Rochen, anno 1333 scripsit : « Si sine causa rationabili omittat ipsam suscipere, peccat mortaliter. »[1] Mortale quoque peccatum foret Confirmationem contemnere, vel parvi facere. Ante tonsuram Confirmatio suscipienda est, ex lege Tridentina, [2] quæ tamen plerisque non videtur obligare sub gravi : suscipere autem sacros Ordines, præsertim sacerdotium, Confirmatione neglecta, grave videtur, quum id exprobret Novatiano Cornelius. [3]

12. *Dispositiones* ad hoc sacramentum suscipiendum pro cujusque ætate et facultate variæ exiguntur : plenior quippe notitia rerum fidei ab adultis exigitur, quam a pueris ex infantia vix egressis. Qui peccata gravia admiserunt, nonnisi dolentes accedere debent, quos etiam oportet confessione et absolutione expiari, quamvis lege Ecclesiæ non præcipiatur, sed tantum in Pontificali commendetur : gravis autem foret culpa in animam peccato adhærentem Spiritum sanctum velle excipere. Graviter etiam peccaret parochus qui pueros absque discrimine ad Confirmationem mitteret, omissa instructione, et præparatione, quæ fit in confessione. Jejunium confirmandis commendatur, sed usus invaluit ut etiam post prandium conferatur. [4] Minime exigitur ut confirmati Eucharistia jam prima vice refecti fuerint; nec videtur vim ullam habiturum statutum diœcesanum id præscribens, quum generali disciplinæ non congruat. [5] Frons statim post Confirmationem abstergi apud nos solet, Pontificalis præscripto, quod liganda sit fascia linea, quæ per septem dies retinebatur, consuetudine abrogato. In librum referenda sunt a parocho confirmatorum et patrinorum nomina. Consueverunt confirmandi novum nomen assumere. Admonitio ne discedant antequam ritus totus absolutus fuerit, et benedictio ab Episcopo data, omittitur, quando magnus est concursus : nam non pertinet ad sacramenti essentiam. Ita post *Layman* et *Croix* notat S. Alphonsus. [6]

(1) *Manipulus curatorum* impressus Venetiis an. 1486. (2) Sess. xxiii. c. iv.
(3) Apud Euseb. l. VI. hist. eccl. c. xxxv.
(4) S. Alph. l. vi. n. 184.
(5) Bossuet *Œuvres* V. 39. l. xcv.
(6) L. vi. n. 188.



TRACTATUS XVII.

DE EUCHARISTIA.

PARS I.

DE SACRAMENTO.

CAPUT I.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ.

1. *Eucharistia* est sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini, ad animæ refectionem a Christo institutum. Materia necessaria hujus sacramenti est « panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. » [1] Panem a Christo adhibitum in conficienda Eucharistia constat ex Evangeliis : panis autem nomine intelligitur triticeus ; quoties enim de alia panis specie agitur, additur aliquid ad eam designandam. Hinc dicit Missale Romanum in rubricis : « Si panis non sit triticeus, vel si triticeus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacramentum. » [2] Eucharistia igitur nequit confici ex grano Indico, ex avena, hordeo, milio, oriza, amygdalis, pisis, fabis, aliisve fructibus vel leguminibus, vel ex pomis terræ. Quod si grana alterius speciei admixta sint in parva quantitate, Eucharistia potest confici, quamvis curandum sit omnino, ut purus sit et albus, ex solo tritico confectus : si immisceantur alia grana, adeo ut triticum non prævaleat, non erit idonea materia. Peccat qui materiam dubiam adhibet, v. g. siliginem, seu segale, et speltam : nam temere exponit se discrimini verba frustra proferendi.

2. Panis confici debet ex farina triticea aqua naturali diluta et igne cocta ; sic enim panis ordinarius conficitur. Quod si quis aquam rosaceam, vel aliam arte factam adhibeat, non videtur valere, nisi aquæ naturali copia longe majori immixta sit. Aqua maris est vera et naturalis aqua, ideoque panis ex ea farinæ immixta con-

(1) Decret. pro Armenis.

(2) *De defectibus.*

fectus, vera est materia Eucharistiæ. Si lac, vinum, vel alius liquor ab aqua diversus immisceatur farinæ, aqua naturali omissa, non fit materia idonea. Quoties liquor alius aquæ immiscetur, si hujus longe major copia sit, materia sufficiens erit, quamvis non possit absque peccato adhiberi. Butyrum, ova, mel, saccharum, non debent ullatenus tritico immisceri; sed si parva sint quantitate, non obstant quin panis habeatur, quoties ex tritico et aqua præcipue fit. Massa cruda non est idonea, quia non est panis ordinarius. Igne coctus sit panis necesse est : quæ enim frixa vel elixa sunt, panis nomine non veniunt. Hostiæ rubræ quales litteris, sigillorum instar, apponuntur, materia dubia sunt, ob cinnabaris admixtionem, quas idcirco adhibere, etiam necessitatis prætextu, grave foret peccatum. Panis mucidus, cujus sapor aliquatenus mutatur, corruptione jam incepta, non est idonea materia.

3. Ex usu Ecclesiæ *panis consecrandus* apud Latinos debet esse figura orbiculari et integra. Consuevit hostia major in sacrificio adhiberi : sed in necessitate culpandus non videtur, qui minori uteretur : non enim constat consuetudinem hanc adeo arcte obligare : imo juxta *Roncagliam* peccaret, si, necessitate dandi Viaticum urgente, negligeret eam adhibere. Consecrare hostiam enormiter fractam, vel maculatam, grave est peccatum : secus si macula, vel fractura levior sit. [1]

4. Panis, seu azymus, seu fermentatus, verus panis est, et adhiberi potest, pro vario Ecclesiarum ritu, a quo non licet, etiam necessitatis prætextu, discedere : quapropter Latini azymo utuntur, Græci fermentato : quod, sub pœna suspensionis perpetuæ a divinis, servandum jussit Benedictus XIV. [2] Hinc sacerdos, qui, deficiente azymo, consecravit in fermentato, privari jussus est officio et beneficio. [3] « Quare in hoc nulla dispensat necessitas, ne Viatici quidem pro infirmo consecrandi : nam ad tanti mysterii majorem reverentiam interest modo ac ritu convenienti semper confici. » [4] Cæterum si contingeret Græcum per loca Latinorum iter facere, et nullam sui ritus ecclesiam reperire, vel Latinum per Græci ritus regiones, communiter et probabilissime, teste S. Alphonso, [5] tenent theologi licere alterutro pane uti, azymo scilicet, seu fermentato : nam plerumque licet sequi mores et disciplinam regionis in qua quis versatur; et tamen ritum suæ ecclesiæ servare integrum cuique relinquitur, uti monet Leo IX. in epistola ad Michaelem Cærularium. [6]

5. *Vinum vitis* requiritur ad Eucharistiam conficiendam : nam ex genimine vitis Christus eam confecit : quapropter non valet consecratio liquoris alterius, etiamsi vini nomine veneat: « proprie autem, » inquit S. Thomas, « vinum dicitur quod de vite sumitur : alii vero liquores vinum dicuntur secundum quamdam similitudinem ad vinum vitis. » [7] In hac regione magna diligentia opus est ut quis vinum comparet, quum plerumque adulteratum sit, et magna copia veneat vini nomine, quæ ex aqua vitæ confecta est, vel ex saccharo, aliis rebus admixtis. Equidem aquæ vitæ vel sacchari admixtio, si non sit nimia eorum copia, non tollit vini naturam. Quod rure, vel in cauponis, prostat venale, plerumque dubia est, vel inepta materia : quapropter curandum

(1) S. Alph. l. vi. n. 204.
(2) Const. *Etsi Pastoralis,* an. 1742.
(3) Cap. ult. *de celebrat.*
(4) Antoine, tract. *de Euch.* c. i. qu. ii.
(5) L. vi. n. 203. (6) C. xxix.
(7) iii. p. q. lxxiv. art. v. *Resp.*

est sacerdotibus vinum a mercatoribus quibus fidere possunt, comparare. Liquor ex pomis, pyris, cerasis, moris, malisgranatis etc, est inepta materia: qualis etiam censendum est omphacium, succus scilicet ex uvis immaturis expressus, qui necdum habet naturam vini.

6. Acetum est ineptum Eucharistiæ, quia naturam vini acescendo amisit: quapropter si quis ex errore illud ad consecrationem usurpaverit, debet vinum exquirere, et consecrare, ut integritas sacrificii habeatur: hostiam quoque consecrare oportebit, si alia fuerit absumpta ante errorem detectum; quum utraque materia simul adesse debeat ad sacrificii perfectionem. Quod si dubitet utrum acetum sit, levis quidem scrupulus flocci faciendus est, sed ex probabili dubitatione vinum erit consecrandum sub conditione, ne sacrificium imperfectum forte sit. Peccat graviter, juxta Rubricas Missalis, sacerdos adhibens vinum quod cœpit acescere, vel corrumpi, vel aliquantulum acre est; sed si non sit notabiliter acidum, excusatur a pluribus qui illud, alio deficiente, adhibet. « Adduntque *Sporer* et *Mazzotta*, quod, urgente gravi necessitate, licitum esset uti vino adhuc notabiliter acescente, modo sit certum vinum. »[1]

7. Succus intra uvas contentus, aut vinum in pane, offa, vel alia re hujusmodi, non est idonea materia, quia cibi instar, haud potus, sumitur. Mustum, vinum scilicet ex uvis maturis recens expressum, est materia sufficiens: sed prohibetur, juxta plerosque, ex Ecclesiæ lege *sub gravi*, extra necessitatem, ob fæces admixtas: « prohibetur, » inquit S. Thomas, « ne mustum statim expressum de uva, in calice offeratur: quia hoc est indecens propter impuritatem musti: potest tamen in necessitate fieri. »[2]

8. In vino congelato minime licet consecrare, quamvis consecratio valeat; nec enim desinit esse verum vinum potabile, quum liquefieri possit. Quod si quis advertat esse congelatum, apponendi sunt panni calefacti quibus liquefiat: quod et post consecrationem licet ex Rubricis Missalis. In ecclesiis nonnullis, sæviente hieme, ignis in altari apponitur: quod ob necessitatem licere videtur; quamvis præstet totam domum calefacere, et ita altari servare decus.

9. *Aqua vino admiscenda* est: « Monet sancta Synodus (*Tridentina*) præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant, tum quod Christus Dominus ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur: et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicuntur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. »[3] Licet res levis in se sit illa aquæ admixtio, et ad valorem consecrationis non spectet, attamen sub gravi peccato præcipitur, ob maximas quas habet significationes. Modicissima aqua esse debet, juxta decretum pro Armenis: cavendum enim ne copia vini substantiam mutet:[4] sufficit quidem una vel altera gutta, et ad tertiam partem vini etiam generosi non debet pertingere, ne dubia sit materia. Admiscenda est ante oblationem; sed si qua forte contigerit eam tempore in Rubricis designato infusam non esse, potest ante consecrationem calicis infundi; minime vero, calice jam consecrato.[5]

10. Ex Rubricis Missalis hæc, post

(1) Apud S. Alph. l. vi. n. 207.
(2) *Ubi supra* ad 3. (3) Sess. xxii. cap. vii.
(4) C. xiii. *de celebr. Miss.*
(5) Missale Roman. *de defectibus.*

S. Alphonsum, descripsimus : « Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, sive super tabulam, lingua lambatur, et locus iste radatur quantum satis, et abrasio comburatur; cinis vero recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium, linteamina ter abluantur, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrario projiciatur. »

CAPUT II.

DE CONSECRATIONE EUCHARISTIÆ.

11. *Solius sacerdotis* est Eucharistiam consecrare : ut autem consecrari valeat, materia debet esse præsens, ita ut voces : *hoc*, *hic* veræ sint. « Requiritur ut materia consecranda in actu consecrationis sit coram sacerdote. » [1] At necesse non est ut materia videatur, vel tangatur : nam hostiæ plurimæ simul consecrari possunt, inferioribus a superioribus tectis ; sic et quæ continentur pyxide, vel ciborio, consecrantur etiam operculo haud remoto, quamvis removeri debeat, juxta Rubricam. Si post calicem lateat ciborium, consecrantur hostiæ quoties animus fuit consecrandi eas, quas idcirco posuerat ibi sacerdos, vel alius, eo sciente, quamvis tempore consecrationis instante, neglexerit educere ciborium, prout Rubrica præscribit, et oblitus sit illius : est quippe præsens materia, et intentio consecrandi virtute sua permanet. Non autem consecratæ habendæ sunt hostiæ sub corporali, vel quas post altaris chartulas latentes, vel in tabernaculo repositas a sacrista, haud novit adesse : nam animus ei non fuit eas consecrandi. Super corporale debent hostiæ consecrandæ apponi, seu in ciborio, seu extra illud, pro majori vel minori copia, et intentio sacerdotis debet dirigi ad eas omnes quæ ibi reperiuntur : quod si vellet consecrare hostias extra corporale positas, adjacentes tamen, videtur posse, quamvis graviter peccaret; sed quoties intentio ad eas non dirigitur, consecratæ non sunt habendæ. Hostiæ omnes consecratæ debent intra aram manere toto tempore sacrificii. [2] Cæterum mos relinquendi in altari thecam hostiarum est improbandus; quum nihil omnino apponendum sit in altari, quod ad sacrificium, vel altaris ornatum non pertineat. Graviter peccaret sacerdos, tentans consecrare hostias in mensa prope altare, quum ritui Ecclesiæ id foret penitus contrarium, et dubii valoris, quamvis putent nonnulli consecrationem in rem viginti passus distantem esse certam. [3]

12. Vini guttæ calici extrinsecus adhærentes non censentur consecratæ; nam intentio fertur ad vinum quod calice continetur, et grave foret peccatum eas velle consecrare : [4] de guttis lateri intus adhærentibus dubitatur; intentio quidem vini copiam continuam respicere videtur in qua ea sistere debet monentibus theologis, Benedictus XIV. tamen dicit tutius esse eas tamquam consecratas habere : quapropter præstat eas, post haustum sanguinem pretiosum, statim sumere ante ablutionem : sed angi quis nimis non debet. Vinum in phialis in altaris margine aliquando relictum, non habendum est consecratum; nec enim

(1) Missale Rom. *de defect.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 373.
(3) Ibidem, n. 213.
(4) Busembaum apud S. Alph. l. vi. n. 219.

aliquatenus illud complectitur intentione sacerdos : sed omnino cavendum ne phialæ in altari maneant, quum in mensa apponi debeant.

13. *Materia determinata* esse debet in quam dirigitur intentio sacerdotis : nam humano modo exercenda est potestas sacra. Cæterum opus non est ut sciat quis numerum hostiarum, vel alias specialiter designet quæ sint consecrandæ, dummodo quæ ante se positæ sunt, velit consecrare : « ideo quilibet sacerdos talem intentionem habere debet, scilicet consecrandi omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet. » [1] « Si putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. » [2] Igitur duæ habentur consecratæ, quia sacerdos voluit consecrare quam tenebat manibus materiam. Si posuerit hostias super patenam decem numero, uti æstimabat, quæ tamen erant undecim, omnes consecratæ habendæ erunt. Materia quæ sensibus percipi potest, consecrari valet, quum Christus nullam definierit quantitatem; sed consuetudo Ecclesiæ servanda est.

14. Utraque materia ex præcepto divino consecranda est : nam Christus jussit ut fieret quod ipse fecit, panem et vinum consecrans : quod et necessarium est ut sacrificii ratio in corporis et sanguinis oblatione seorsim facta habeatur, corporis a sanguine in cruce separatione *mystice*, uti aiunt, exhibita. Peccat idcirco graviter qui alterutram speciem absque altera consecrare aggreditur. Si igitur desit verum vinum, nequit sacerdos sacramenti confectionem tentare, ad populo satisfaciendum, vel ad succurrendum moribundo, vel alia quacumque ex causa, etiamsi mortem ei recusanti quis intentaret. [3] Censet *Lugo* sacerdotem frustra velle conficere sacramentum, alterutra materia, absque altera, consecranda, quia sacerdos non accipit potestatem conficiendi hoc sacramentum nisi sacrificando : sed hæc ratio subtilior videtur. Omnes conveniunt eum qui sacrificium conficere proponit utraque materia consecranda, corpus Domini sistere præsens, verbis in panem prolatis, antequam alteram materiam consecret; nam, uti animadvertit S. Thomas : « Statim dictis verbis consecrationis panis, hostia consecrata proponitur populo adoranda; quod non fieret, si non esset ibi Corpus Christi. » [4] Peracta hostiæ consecratione, si immineat mors ab incendio, vel ab hostium impetu, non culpatur sacerdos aufugiens, dummodo absit scandalum, et fidei contemptus. Si aquam, vel alium liquorem, in calicem immissum advertat post hostiæ consecrationem, et vinum habere nequeat absque gravissimo incommodo, vel scandalo, vel vitæ periculo, excusatur : quod enim sacrificium haud perficiatur, non sua culpa contingit : poterit igitur preces reliquas recitare, omissis quæ ad alteram speciem pertinent, et hostiam sumere, aliasque consecratas distribuere pro more : raro enim expedit populum de re hujusmodi facere certiorem. « Si post consecrationem corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit et Missa absolvenda, ita tamen ut prætermittantur verba et signa quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquandiu haberi possit, expectandum erit,

(1) Rubrica Missalis.
(2) Ibidem.
(3) S. Alph. l. vi. n. 197.
(4) iii. p. qu. lxxviii. art. vi. *Sed contra.*

ne sacrificium maneat imperfectum. »[1] Si vinum haberi possit, quærendum omnino est, et consecrandum : quod si error haud detectus fuerit, nisi absumpta hostia, panis cum vino consecrandus erit, ut constet integrum sacrificium : nisi alia hostia haberi nequeat, vel scandalum inde oriturum sit. Ad populi admirationem vitandam licebit genuflexiones, elevationes, aliosque ritus omittere, recitatis tantum quæ ad consecrationem spectant, verbis illis incipiendo : « Qui pridie etc. » et post verba consecrationis consumendo sacramentum. Si sacerdos deficiat sensibus, vel moriatur, statim post hostiæ consecrationem, alius sacerdos, etiam non jejunus, potest sacrificium prosequi, consecrando vino : perfectio enim sacrificii legi ecclesiasticæ jejunii prævalet. « Si obierit, semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequitur Missam, et super eumdem calicem repetat integram formam, ab eo loco : « Simili modo, etc. » Vel posset super alium calicem præparatum integram formam perficere et hostiam primi sacerdotis, et sanguinem a se consecratum sumere, et deinde calicem relictum semiconsecratum. »[2]

15. Dum plures sacerdotes ad eamdem materiam consecrandam concurrunt, uti fit dum ordinantur, omnes simul verba proferentes sacramentum conficiunt. Quod si unus ante alios ea proferat ex intentione consecrandi independenter ab aliis, ipse solus consecrat. Hinc monet S. Alphonsus sacerdotes novos debere intentionem consecrandi ita definire, ut velint consecrare una cum Episcopo, nec alias; et ut nolint calicem consecrare, si panem forte haud consecraverint.[3]

16. Quando dubitatur an hostiæ sint consecratæ, v. g. relicto ciborio extra corporale a sacrista, absumi poterunt a sacerdote, « post ablutionem, sed ante purificationem : quia reliquiæ sanguinis sunt certe Sacramentum, sed hostiæ illæ in ciborio sunt dubiæ. »[4] Consecrandæ autem non sunt, etiam sub conditione, quum sacrificio consecratione peracto, non liceat iterum consecrare : nec videtur S. Alphonso licere eas in alia Missa sub conditione consecrare, quum desit justa causa, quippe quas licet absumere.

17. Si contigerit hostias non consecratas consecratis misceri, omnes iterum sub conditione consecrandæ erunt : nam intentio quæ in non consecratas ferretur, non haberet definitam materiam.[5] Conditio autem illa mente concepta cum absoluta intentione consecrandi hostiam majorem, conjungi poterit.

18. Si hostiæ parvæ in fidelium communionem oblatæ non fuerint una cum hostia majori, plerumque non debent consecrari : sed si paulo post afferantur, licebit eas mente offerre, si æqua suadeat causa. Incepto canone vix licet, nisi plures alias privandi sint communione. Post consecrationem hostiæ majoris, jam nullatenus licet alias in eadem Missa consecrare. Si unus sit qui ad communionem accedit, poterit sacerdos ex hostia majori partem illi præbere, si alioquin diu expectare debeat communionem.[6]

19. Non debet nimia hostiarum copia consecrari, sed pro fidelium probabili numero : quæ autem in tabernaculo reponuntur, singulis hebdomadibus [7] sunt distribuendæ, vel absumendæ a sacerdote. Si minor sit numerus, poterunt hostiæ dividi in

(1) Rubrica Missalis.
(2) Rub. tit. x. n. 3.
(3) L. vi. n. 232.
(4) S. Alph. l. vi. n. 217.
(5) Ibidem, n. 216.
(6) Ibidem. n. 217. (7) S. Rit. Cong. 2450.

partes, non tamen adeo parvas ut fidelibus honeste dari nequeant : [1] et divisio apud altare plerumque facienda est.

20. *Forma Eucharistiæ* in Missali Romano habetur. In panem dicitur : « Hoc est enim Corpus meum : » in vinum : « Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Pleraque verba in Evangeliis reperiuntur; sed voces illæ : « enim » « et æterni » « mysterium fidei » « pro vobis, » ex veteri traditione derivantur. Nullam vocem ex forma præscripta licet omittere, quum Ecclesiæ consuetudo vim habeat legis obligantis sub gravi peccato; de re enim gravissima agitur, tanti sacramenti confectione : quapropter censet S.Alphonsus omissionem vocis « enim » non improbabiliter damnari de mortali. Quod si quis vocem aliquam omitteret, eo quod in narratione Evangelica non reperiatur, inanem mentis scrupulum, vel superbam opinationem judicio et auctoritati Ecclesiæ anteponeret, cum manifesta hujus injuria, quæ vestustissimam traditionem et morem hac in re servat : peccatum proinde foret grave. Cæterum valeret consecratio, omissis pluribus vocibus : nam hæ tantummodo, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, necessariæ sunt : « Hoc est Corpus meum : » « Hic est calix Sanguinis mei; » vel « Hic est Sanguis meus. » Quum verba proferantur a sacerdote Christi vices gerente, ipsa quæ Christus dixit, sacerdos profert : et proinde non valere censetur alia formula : « Hoc est Corpus Christi : » quia sacerdos Christi nomine non loqueretur. Sunt qui censent prævia illa verba : « Qui pridie quam pateretur, etc. » necessaria esse ad consecrationem; sed contraria verosimilior est sententia : peccaret tamen graviter qui ea omitteret, quum jubeat Rubrica ab iis initium ducendum quoties ob dubium consecratio est repetenda. Peccat etiam gravissime, juxta Rubricas, qui aliquid addit formæ, etiamsi significationem non mutet : in re enim tanti momenti vix datur levis materia.

21. *Qui formæ verba* ex linguæ vitio *mutat*, sensu integro servato juxta communem hominum æstimationem, conficit sacramentum. Hinc qui diceret : « Hic est Corpus meum; » voce « hic » pro pronomine demonstrativo utens, videretur conficere sacramentum; non item si adverbii instar eam adhiberet. Si *es* dicatur pro *est; colpus* pro *corpus*, vel *corpum; meus* pro *meum; calis* pro *calix; zanguinis* pro *sanguinis;* voces eædem habentur.

22. In consecranda Eucharistia *voluntaria animi distractio* peccatum grave est, quando scilicet quis advertit se distrahi, et nil curat animum ad rem tanti momenti revocare. [2] « Si celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate sacramenti, resumat formam. Si vero valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. » [3]

(1) Busembaum apud S. Alph. l. vi. n. 245.

(2) S. Alph. l. vi. n. 224.

(3) Rubr. tit. v. n. 2.

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA MINISTRANDA.

—

§. I. Qui possint ministrare Eucharistiam.

23. Ex consuetudine *cuicumque celebrandi habenti facultatem* licet communionem ministrare fidelibus ad eam accedentibus. Equidem Religiosis sub excommunicationis Papæ reservatæ pœna vetatur Viaticum præbere, cum id sit parochi munus : et plerisque in locis nequeunt fideles præcepto paschali, nisi in sua parœcia, satisfacere. Ubique licet sacerdoti cuicumque præbere Viaticum moribundo, si parochus absit, vel injuste renuat. Potest etiam sacerdos, alio deficiente, seipsum in mortis discrimine Viatico munire ; quod fecit olim missionarius Vincennopoli in Indiana, ad Ecclesiam lecto delatus, ut Corpus Domini suis manibus suscipere moriturus. Extra illud discrimen, solius devotionis causa, potest sacerdos Eucharistiam sumere : id enim nullibi vetitum legitur. [1]

24. « *Diaconus* præsente presbytero Eucharistiam charitatis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget. » Ita decrevit Concilium Carthaginense IV. [2] Gravis autem necessitas habetur, si nullus adsit sacerdos qui commode possit ministrare. In necessitate extrema, absque sacerdotis mandato, diaconus potest et tenetur succurrere moribundo, Viatico præstando ; quo in munere debet superpelliceo et stola transversa esse indutus.

25. Extra necessitatem constat non licere *laico* tangere corpus Domini ; vetus enim disciplina, juxta quam in manus communio dabatur, diu abrogata est : sed in mortis discrimine putat *Suarez* aliique, contra alios, licere clerico, vel laico, sibi sumere Eucharistiam : censet etiam laicum eo in discrimine posse aliis ministrare. *Habert* dicit Episcopum id in tempore pestis posse permittere. [3]

§. II. De modo ministrandi.

26. « Ministrare Eucharistiam sine lumine et solita confessione reputatur tantum veniale . . . ministrare autem sine stola et superpelliceo communiter censent doctores esse mortale ex genere suo . . . omissa tamen stola, dicit *Roncaglia* pluribus videri solum veniale. » [4] In necessitate licet deferre Eucharistiam ad infirmos sine lumine et vestibus sacris : quæ quidem consuetudo apud nos obtinuit, quum inter eos qui alieni a fide sunt, versemur : at reverenter deferenda est, in bursa circa collum pendente ad pectus, stola etiam sub vestibus delata, [5] servato, quatenus fieri possit, silentio : sed in itinere longinquo, quod plures dies exigit, et ubi occurrunt obvii quipiam, a colloquio abstineri nequit ; quamvis parce cauteque, et cum utilitate audientium, sermo sit habendus. Graviter enim peccat qui, tantum sacramentum deferens, colloquia inania miscet. Equidem declaravit S. Officium die 13 Aprilis 1665 non licere sacerdotibus Sinensibus in itineribus quæ longissima sunt secum deferre Eucharistiam, ne ea priventur. Verricelli [6] etiam censet eam non deferendam, nisi iter modicum sit, et unius diei. Cæ-

(1) S. Alph. l. vi. n. 238. (2) Can. xxxix.
(3) Apud S. Alph. l. vi. n. 237.
(4) S. Alph. l. vi. n. 241.
(5) Bened. XIV. *Inter omnigenas*, pro incolis regni Serviæ.
(6) De Ap. Miss. tit. 8.

terum ubi arcessitur sacerdos ad ministrandum moribundo longissime distanti, penes quem nulla est copia celebrandi, non damnamus eum secum deferentem Eucharistiam etiam plures dies. In ea ministranda stola saltem, sub gravi peccato, adhibenda est; sed et curandum ut superpelliceum indutus eam ministret, juxta Baltimorensis Concilii primi monitum. Si contigerit stolam domi ex oblivione relictam, vel in itinere amissam esse, necessitas moribundi videtur excusare sacerdotem præbentem Viaticum, præsertim si superpelliceum adhibeatur. Non licet sacerdoti in mari versanti secum deferre Eucharistiam, ut monialibus, vel aliis secum navigantibus eam in festis præbeat, vel ut periclitantibus vita subveniat : nam sacramento reverentia debita minuenda non est ob utilitatem fructumque paucorum. Idcirco rejecit omnino Alex. VII., die 13 Julii 1660, Lusitanorum preces, qui cupiebant eam in navibus a capellanis servari, ne rectores navium, nautæve in morte ea carerent.

27. Plerumque non licet sacerdoti pyxidem sacram palam deferenti, currere, vel equo vehi, quum id vix fiat salva sacramento reverentia; sed ex necessitate utrumque aliquando permittitur : quod eo magis dicendum de missionariis illud privatim deferentibus, prout apud nos. Nunquam deferendum est ad ægrotos venerationis causa, sed tantum ad eos qui illud suscepturi sunt.

28. Extra mortis periculum ad ægrotos, vel infirmitate laborantes, Eucharistia deferenda est tempore paschali, quando præcepto satisfacere cupiunt; sed et aliis temporibus anni eam præstari oportet pie desiderantibus.

29. Qui laborat podagra, vel alias habet pollicem et indicem dexteræ manus impeditos, non potest, juxta probabiliorem sententiam, Eucharistiam ministrare posterioribus digitis extra casum extremæ, vel gravissimæ necessitatis : nam pollex et index ex ritu Ecclesiæ ad id ministerii deputantur. [1] Quod si pollex adeo impeditus sit, ut nequeat sacerdos hostiam eo frangere, non poterit celebrare : nam non permittitur sacerdotium ei qui pollice nequit hostiam frangere. [2]

30. Eucharistia manu sacerdotis est ori suscipientis immittenda, quin instrumentum adhibeatur : cæterum grassante peste, censent nonnulli licere eam in cochleari præbere, quia « necessitas talis videtur excusare a solito ritu Ecclesiæ » : [3] imo moribundo, qui hostiam deglutire nequit, putant particulam cum vino in cochleari dandam. [4]

31. « Sacerdos podagra laborans potest deferri ad altare, ut ibi Eucharistiam administret, seclusa tamen alia prohibitione. » [5]

32. Grave est peccatum Ecclesiæ disciplinam, qua sub una tantum panis specie Eucharistia datur, violare; nam ordo in re maximi momenti turbatur, et hæresi eorum qui negant totum Christum sub alterutra specie contineri favetur. Equidem antiqua fuit disciplina utramque præbere; sed ob gravissimas rationes paulatim immutata est, quarum præcipuam refert S. Thomas : « Ex parte sumentium requiritur summa reverentia, et cautela, ne aliquid accidat quod vergat ad injuriam tanti mysterii. Quod præcipue posset accidere in sanguinis sumptione : qui quidem si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia crevit multitudo populi christiani,

(1) S. Alph. l. vi. n. 244.
(2) Cap. ult. de corp. vitiat.
(3) S. Alph. l. vi, n. 244. (4) Ibidem, n. 288.
(5) Busembaum apud S. Alph. l. vi. n. 244.

in qua continentur senes, et juvenes, et parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibeant; ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur. »[1] Invalescente jam apud omnes Ecclesias ritus Latini hac disciplina, non licet ab ea recedere, etiam ut Viaticum sub specie vini detur moribundo, qui non potest deglutire hostiam: nam generalis ordo est cujusque utilitati anteferendus.

33. « In Missis defunctorum quæ in paramentis nigris celebrantur, non ministretur Eucharistia per modum sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem a custodia. Potest tamen ministrari per modum sacrificii, prout est quando fidelibus præbetur communio cum particulis intra eamdem Missam consecratis. » Ita decrevit S. Cong. Rituum in *Aquensi,* Sept. 1741. Cæterum Bened. XIV. parvi fecit hanc distinctionem, et S. Cong. hæsisse videtur, re dilata. 12 Aprilis 1823 ad IX. et 23. Sept. 1837 ad III. Cæterum si celebrentur in paramentis violaceis, quod licere ex alio decreto die 21 Junii 1670, *in Pritana*, colligitur, poterit ministrari intra, et ante, et post Missam. Non licet eam ministrare in paramentis nigris ante vel post Missam defunctorum; sed iis depositis, stola alba, vel quæ colori officii illius diei conveniat, assumenda erit.

34. In Missis vivorum communio intra Missam danda plerumque est, nisi ob multitudinem communicantium postea danda videatur, ne molestiam et incommodum mora plurimis pariat.[2]

35. Si contingat hostiam decidere dum communio ministratur, Rubricæ præscribunt, ut, ea statim sublata, locus panno lineo operiatur, deinceps abluendus. Cæterum id sub gravi non censetur præscriptum, et ob turbationem populi vitandam aliquando absque culpa prætermittitur; cautela tamen adhibita ne particula, vel fragmentum in terra relinquatur. Si in pectus mulieris hostia deciderit, ei permittitur ut eam ipsa abstrahat, et in ciborio reponat.[3] Si intra claustrum decidat, sacerdote per fenestrellam ministrante, poterit monialis eam reverenter tollere et sumere.

36. Communio plerumque mane ministranda est juxta consuetudinem Ecclesiæ: sed ob specialem causam, nonnunquam sub vesperam jejunis datur, dum sacræ fiunt missiones, et magnus est populi concursus. Intempesta nocte eam dare non licet, extra casum necessitatis. Non licet eam dare in Missa Nativitatis Domini, quæ dicitur media nocte, ex decreto S. Cong. Rituum apud Benedictum XIV.[4] nec in die Parasceves ex decreto ejusdem die 19. Feb. 1622: in die autem Sabbati sancti nulla lege vetatur: quæ tamen nonnisi in Missa solemni eo die, vel postea, ministrari consuevit.

§. III. Quibus ministranda sit Eucharistia.

37. « *Fideles omnes* ad sacram communionem admittendi sunt, exceptis iis qui justa ratione prohibentur. *Arcendi* autem sunt publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores; nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet, et

(1) iii. p. qu. lxxx. art. xii. *Resp.*
(2) Vide Bened. XIV. *de Sacrif. Miss.* t. ix. l. iii. c. xviii. (3) S. Alph. l. vi. n. 250.
(4) T. ix. l. iii. c. xviii.

publico scandalo prius satisfecerint. Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverint, repellant : non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos præterire nequeant. » Ita jubet Rituale Romanum. De omnibus qui nominatim denuntiati non sunt, et qui censentur ad tribunal pœnitentiæ accessisse, præsumendum plerumque est eos emendasse mores, et satisfecisse scandalo : quapropter vix unquam repellendi sunt etiam qui noscuntur gravissime deliquisse. Quæ palam inter meretrices versantur, utique sunt arcendæ, quum ipsum consortium pravos prodat mores : non ita puella gravida, quæ ad confitendum accessit. Qui concubinas domi retinere noscuntur, sunt repellendi : non enim publicæ honestati, aut saluti suæ satis consulunt, consuetudine peccandi deserenda, nisi occasionem tollant. Qui usuras enormes consueverunt exigere, contra legis vetitum, et nulla suffragante causa, sacramento indigni manifesto sunt : sed quum ob temporum recentiorum consuetudines, et locorum in quibus versamur adjuncta, quæstio de usuris legitimis sit maxime implicata, non est facile repellendus qui prævia confessione accedit, quum censendus sit confessarii stetisse judicio : et sacerdos Eucharistiam ministrans dispensatoris, potius quam judicis, munere fungatur. Qui magi, vel sortilegi palam noscuntur, vel fatidici, utique repellendi sunt, quum sit vitæ genus, quod nulla ratio cohonestare valet. Blasphemi, qui Christi Domini divinæ auctoritati et fidei mysteriis publice detraxerunt, nonnisi humilis ac pœnitentis animi indicia præseferentes, sunt admittendi : sed quoties exterior corporis compositio animum denotat humilem, potest haberi veluti retractatio eorum quæ quis contumeliose protulit. Alii publici peccatores qui præsulum suorum resistunt legitimæ auctoritati, vel cum gravi offensione fidelium male se gerunt, indigni sunt qui ad Eucharistiam excipiantur : cæterum quandocumque ratio agendi, etsi iniqua, possit extenuari ex mentis errore, vel aliqua alia ratione, præstat neminem accedentem repellere, sed Dei et confessarii relinquere judicio. Occulti peccatores omnes censentur quorum crimina non innotuerunt in judicio, vel apud plerosque non sunt divulgata, ex re adeo nota, ut nulla possit tergiversatione celari.

38. *Qui bona gaudent fama*, et tamen larvam tantum pietatis gerunt, intus inhonesti, fraudulenti, et mendaces, non possunt prætermitti : nam « nec Christus Judam a communione removit. »[1] « Quia Christus, » uti animadvertit S. Thomas, « nobis debuit esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus magisterio, ut Judam occultum peccatorem, sine accusatore et evidenti probatione, ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum prælatis Ecclesiæ similia faciendi, et ipse Judas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi. Et ideo dicendum est, quod Judas cum aliis discipulis corpus Domini et sanguinem suscepit. »[2] Equidem magna foret rerum confusio, cum pacis pietatisque detrimento, si sacerdos judicis officio, dum distribuit Eucharistiam, fungi vellet, ex scientia occultorum criminum quemque pro sui animi conscientia repulsurus. « Si vero, » inquit S. Thomas, « non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari : cum enim quilibet Christianus ex hoc

(1) Cap. Si sacerdos, *de offic. jud. ord.*

(2) iii. p. qu. lxxxi. art. ii. *Resp.*

ipso quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam mensam, non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. »[1] In administratione publica hujus sacramenti fideles omnes censentur digni, nisi contrarium pateat. Id eo magis dicendum quoties indignitas accedentis ex confessione innotescit, qua nullo prorsus pacto uti licet, in pœnitentis gravamen, uti ex decreto Innocentii XI. constat. « Non nominatim potest eum removere a communione, » ita Jus habet, « licet sciat eum esse reum, quia non ut judex scit, sed ut Deus. »[2] Nullo idcirco prætextu aliunde quæsito potest denegari sacramentum; nec notitia extra confessionem habita uti ea occasione licet, nisi omnino certa : qua in re prudentia maxima et cautela opus est; adeo ut plerumque præstat nullam ejus habere rationem. Quotiescumque novit sacerdos extra confessionem alicujus indignitatem, quem publice ad sacramenta accessurum providet, expedit ut ab ejus audienda confessione abstineat, si alius præsto sit sacerdos, ne calumniandi, vel suspicandi, detur occasio. Non debet sacerdos Eucharistiam ministrans angi, si viderit juniores ætate, vel mentis infirmioris, accedere, quos ipse putat vix idoneos tanto sacramento suscipiendo : vel alios quos ignaros et haud rite paratos arbitratur, et quos ex ignorantia et errore accedere æstimat : nam præsumendum est omnes judicio confessarii habitos esse idoneos. Cæterum si hæreticos, vel pueros confessione haud expiatos, vel mentis prorsus non compotes inter communionem suscepturos videret, eos præterire debet.

39. *De amentibus* dicit S. Thomas : « Legitur in Concilio Arausicano : « Amentibus quæcumque pietatis sunt, conferenda sunt : » et ita est eis conferendum hoc sacramentum : quod est sacramentum pietatis. » Deinceps distinguit eos qui debilem usum rationis habent ab aliis qui eo semper caruerunt. « Aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter : uno modo, quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns, qui male videt : et quia tales possunt aliquam devotionem hujus sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis. Aut igitur numquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt : et sic talibus non est hoc sacramentum exhibendum : quia in eis nullo modo præcessit hujus sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis : et tunc si prius, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi : nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis. Unde in Concilio Carthaginensi legitur, (et habetur in Decretal. 26. qu. 2). « Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrænesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam : et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. »[3] Si autem constet in amentiam incidisse hominem peccato inhærentem, non erit ei danda : sed ne quidem aliis qui pie vixerunt, nisi in mortis articulo. Semi-fatuis autem dari potest in Paschate. Muti et surdi poterunt eam recipere sæpius,

(1) iii. p. qu. lxxx. art. vi. *Resp.*

(2) Cap. Si sacerdos, *de offic. jud. ord.*

(3) iii. p. qu. lxxx. art. ix. *Resp.*

si constet ex signis eos aliqualem ejus discretionem habere. Obsessis a dæmone, qui sunt sui compotes, et alias videntur dispositi, poterit sæpius præberi pro confessarii arbitrio.[1]

CAPUT IV.

DE SUSCEPTIONE EUCHARISTIÆ.

—

§. I. De obligatione suscipiendi Eucharistiam.

40. *Præceptum divinum* extat Eucharistiam sumendi: nam Christus dicit: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: »[2] quæ verba de iis qui norunt institutionem divinam, et valent ad sacramentum accedere, saltem intelligenda sunt. Equidem S. Augustinus,[3] post Innocentium I.,[4] tantam vim iis inesse agnovit, ut nequidem parvulos salutem assequi diceret, nisi Christo conjungerentur, quod in baptismo contingere agnovit, in quo votum quoddam Eucharistiæ suscipiendæ continetur: quæ ratio fuit veteris disciplinæ, juxta quam dabatur infantibus. S. Thomas tenet votum hujusmodi omnino requiri ad salutem: « Res alicujus sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti, ex ipso voto sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem hujus sacramenti, potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum: sicut et ante baptismum ex voto baptismi. Est tamen differentia quantum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitæ, et janua sacramentorum: Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitæ, et omnium sacramentorum finis. Per sanctificationes enim omnium sacramentorum fit præparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spiritualem vitam, perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam: non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione. Alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: et ideo ex hoc ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam: et sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius. »[5] Hinc alias dicit: « Hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus sacramenti, vel nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiæ, sicut parvuli. »[6]

41. In mortis verosimili discrimine est arctissima obligatio suscipiendæ Eucharistiæ: divinum quippe præceptum tunc maxime urget, eos præsertim qui eam nunquam susceperunt, vel in Paschate suscipere neglexerunt. Ita communiter theologi.[7] Hinc qui nuper ad fidem conversi sunt, non sunt ullatenus absque hoc necessario subsidio ex vita dimittendi, eo prætextu quod non sint satis de tanto mysterio edocti: si enim fidem, qua baptismus iis ministrari valeat, habeant, una cum aliquali notitia hujus sacramenti, poterunt eo muniri. Quod si baptismus iis haud satis edoctis,

(1) S. Alph. l. vi. n. 303.
(2) Joan. vi. 54.
(3) L. i. contra Julianum cap. i.
(4) Epist. ad patres Conc. Milev.
(5) iii. p. qu. lxxiii. art. iii. *Resp.*
(6) iii. p. qu. lxxix. art. i. ad 1.
(7) Vide Busembaum apud S. Alph. l. vi. n. 287.

vel dubie dispositis, ministretur, ut, quatenus fieri possit, iis consulatur, utique ab Eucharistia danda abstinere licebit. Homines ingenii hebetioris, et conditionis vilioris, quales sunt mancipia, non sunt absque Viatico dimittendi, quum et ipsi præcepto divino teneantur: eorum igitur saluti consulendum est eo præbendo, licet notitia haud adeo clara tanti mysterii imbuti sint, dummodo alias dispositiones necessarias habeant. Pueris doli capacibus, qui eam discernere valent, in mortis articulo Eucharistia danda est:[1] quo autem anno certo definiri nequit. Peccatoribus, etiam gravissimis, sub mortem pœnitentibus, est quoque præbenda, iis datis pœnitentis animi indiciis quæ ad absolutionem iis impertiendam in tanto discrimine sufficiunt: nam Ecclesia vult neminem fraudari tanto subsidio, qui plane indignus non sit. Capitis damnatis danda est Eucharistia, ex decreto S. Pii V. qui contrarium rejecit morem in Galliis vigentem. Qui bello est certaturus tenetur Eucharistiam prius sumere, si sit copia: item qui periculosæ navigationi se commissurus est, vel alii mortis discrimini: quod præsertim dicendum si tempore Paschæ non communicaverit. Mulier ante primum puerperium, quod cum vitæ periculo plerumque conjungitur, tenetur Eucharistiam suscipere.

42. *Extra mortis discrimen* sæpius in vita tenemur Eucharistiam suscipere: cibus enim animæ est, sine quo vivere non possumus. Ecclesiæ lex semel in anno obligat omnes qui ad annos discretionis pervenerint; sed et frequentius accedere tenentur qui norunt se alias suas cupiditates reprimere non posse. Rarissime tamen speciale peccatum admitti, frequentiore omissa communione, putat *Suarez*, quum alia sint infirmitatis remedia.

43. *Pueri* ad communionem accedere tenentur, quando cibum cœlestem discernere valent, quod circa annum decimum plerumque contingit: « quando jam pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus sacramenti, tunc potest eis hoc sacramentum conferri. »[2] Sed excusantur a violato præcepto, quamdiu iis non innotuit; quod ex parentum et parochorum studio pendet. Hos idcirco minus facile excusandos notat Benedictus XIV. si negligant pueros hanc obligationem edocere, eosque ad eam implendam disponere et urgere.[3]

§. II. De animæ præparatione.

44. Ad digne suscipiendum Eucharistiam anima debet *gratia sanctificante* ornari; probatio enim sui ab Apostolo requiritur, antequam quis accedat: « Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit Corporis, et Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit: non dijudicans corpus Domini. »[4] Equidem qui peccatum admisit fovetque, pœnitentia neglecta, injuriam facit Christo, dum eum suscipit in societatem veluti et consortium iniquum: proinde recte dicitur Corporis et Sanguinis Christi reus. Immane flagitium admittitur, dum quis plena animi deliberatione id aggreditur; sed et graviter peccatur quoties necessaria ad purgandam animam

(1) Vide Busembaum apud S. Alph. l. vi. n. 293. Vide et Bened. XIV. *de Syn.* l. vii. c. xii.

(2) S. Thom. iii. p. qu. lxxx. art. ix. ad 3.

(3) *De Synodo diœces.* l. vii. c. xii.

(4) 1. Cor. xi. 27.

omittitur diligentia. « Istud peccatum,» inquit S. Thomas, « in quibusdam potest esse gravius : sicut in his qui ex actuali contemptu, cum conscientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt: in quibusdam vero minus grave : puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt. »[1] Apostoli præceptum exigit ut accedens ad Eucharistiam prudenter sibi persuasum habeat se esse paratum : « unde in mero dubio negativo suæ dispositionis nemo potest communionem suscipere. »[2]

45. « Ecclesiastica consuetudo, » inquit Concilium Tridentinum, « declarat, eam *probationem necessariam* esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit; modo non desit illis copia confessoris. Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. »[3] Idem declarat et decernit canone undecimo, inculcans præceptum apostolicum, seu potius divinum. Copia confessoris deesse censetur, quando quis absque gravi incommodo vel damno, quod tamen confessioni non inhæreat, confiteri nequit. Deesse quoque copia confessoris videtur, si non adsit alius præter Episcopum, qui nolit eum confitentem excipere : vix enim expedit Præsulem sui subditi, quem forsan judicare debeat, nosse ex confessione animi infirmitatem. Si adsit sacerdos pravus, non videtur haberi copia confessoris : nam ei confiteri plerumque non oportet. Cæterum opus non est ut confessarius consuetus, vel pœnitenti gratior præsto sit.

46. *Urgens necessitas* in qua licet absque confessione celebrare, ea censetur quando dandum est Viaticum moribundo, nec suppetit hostia jam consecrata : vel quando celebratio Missæ nequit omitti absque gravi scandalo, vel infamia : vel quando populus sibi commissus carebit opportunitate implendi præcepti, nisi parochus celebret : vel quando post consecrationem meminit sacerdos peccati mortalis. « Si ante consecrationem recordetur sacerdos se esse in peccato mortali, aut se esse excommunicatum, vel suspensum, vel locum esse interdictum, si non timetur scandalum, debet Missam incœptam deserere. » Ita præscribunt Rubricæ Missalis. Plerumque id absque magna populi adstantis admiratione fieri nequit : sed si Missa solemnis sit, et præsto sit confessarius aliquis, debet eum accersere, et confessionem peragere, ea tamen ratione qua adstantes haud advertant : quod si id fieri nequeat, debet saltem animo conteri. Equidem numquam licet celebrare, nisi animo dolente ob peccatum, proposito emisso illud in posterum vitandi, et diligentiam idcirco in occasionibus tollendis adhibendi : nam sanctitas Sacramenti exigit ut animus purus sit contritionis vi, ad quam toto nisu voluntatis peccator tendere debet. Qui ob frequentes lapsus de efficacia doloris dubitat, debet plerumque a celebrando se abstinere, et animarum cura derelicta, saluti suæ prospicere. Sacerdos, curam animarum non gerens, non debet absque confessione celebrare, ut populo det copiam Missæ audiendæ : nec enim tenetur eam

(1) iii. p. qu. lxxx. art. v. *Resp.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 432.
(3) Sess. xiii. cap. vii. *de reali præsentia.*

præbere, licet ipse eadem careat, nemine adstante qui celebret.

47. *Sacerdos, qui celebravit absque confessione*, copia confessoris deficiente, « cum primum poterit, debet confiteri; »[1] nec sufficit ut occasionem opportunam expectet : nam præcepto Ecclesiæ tenetur; damnatæ quippe sunt propositiones sequentes : « Mandatum Concilii Tridentini sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum. » « Illa particula, « quamprimum, » intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur. »[2] Intra triduum plerisque videtur confessio facienda :[3] quod si ob itineris distantiam, et sacra munera, quæ differri nequeunt, v. g. moribundorum juvamen, nequeat fieri, oportet moras non nectere, sed primam occasionem arripere. Si eadem die qua celebravit, sit copia confessoris, postea defutura, debet ea uti.

48. Si sacerdos, qui adest, careat jurisdictione, vel quia non fuit approbatus ad confessiones audiendas, vel quia suspensus est, vel excommunicatus, non habetur copia confessarii. Si absit confessarius, sed adiri possit absque gravi incommodo, copia ejus censetur haberi : sed ex adjunctis rerum et personarum dijudicandum est quandonam grave foret incommodum.

49. *Qui peccatum reservatum admisit*, quin alias peccaverit lethaliter, non habet copiam confessarii, si non adsit qui possit tollere reservationem : quod si credat se attritionem tantum habere, plures censent eum debere accedere ad sacerdotem, ut peccata venialia vel præterita mortalia confitens, gratiam absolutionis assequatur; peccato reservato indirecte remisso, uti opinantur. Si aliis peccatis lethalibus se noverit irretitum, eum teneri omnino ad confessionem, sententia probabilior et communissima, teste et judice S. Alphonso, affirmat; quia præcepto divino confitendi ante communionem debet, quoad possit, satisfacere. Utrum teneatur ipsum peccatum reservatum tunc confiteri disceptatur, paribus utrinque rationibus : sed dubitari vix poterit eum teneri, quandocumque consuetudine peccata reservata admittendi irretitur, vel alias quando nonnisi peccato illo manifestando, nosci possit utrum sit idoneus absolutioni. Si quis ligetur excommunicatione reservata, quæ tamen publice haud innotuerit, eum communionem recipere volentem ad scandalum et infamiam vitandum, debere confiteri etiam sacerdoti carenti potestate absolvendi a censuris, contendit S. Alphonsus; quia iis in rerum adjunctis prohibitio Ecclesiæ ne accedat ad Sacramenta suspensa censenda est : cui proinde absolutio dari poterit, manente obligatione absolutionem a censura deinceps petendi.[4] Laici vix unquam ad Eucharistiam accedendi absque confessione urgentur necessitate : quod si postquam ad scamnum communicantium accesserint, recordentur peccati mortalis, cujus antea conscii non fuerant, licebit communicare, doloris actu elicito, una cum proposito confitendi, præsertim si absque nota inde recedere nequeat.[5] Si peracta confessione in memoriam cuiquam veniat peccatum grave omissum, quæritur utrum necessario debeat iterum se sistere coram confessore, antequam Eucharistiam suscipiat. Antoine,[6] allegans auctoritatem Hispanicæ Inquisitionis, affirmat, si absque gravi

(1) Rubr. Missalis.

(2) xxxviii. et xxxix. inter propositiones ab Alexandro VII. damnatas.

(3) S. Alph. l. vi. n. 266.

(4) Ibidem, n. 265. (5) Ibidem, n. 263.

(6) *De Euch.* c. ii. qu. iii. Resp. 2. *Nota.*

scandalo et infamiæ periculo possit fieri : sed salva decreti auctoritate, cujus verba non recitat, putamus obligationi posse deinceps satisfieri, quum peccatum cum cæteris remissum sit. Consulendum quidem est illud confiteri ante communionem, si commode fieri possit, nisi pœnitens inde sit scrupulis nimiis exagitandus, vel confessor ab aliis audiendis, qui magis indigent ejus opera impediatur. Ita sentit continuator Tornelii, cujus opinio S. Alphonso visa est omnino rationi consentanea. [1] Optimum est actum contritionis de peccato omisso elicere ante communionem, quamvis non videatur specialis obligatio, quum absolutione jam sit remissum. Ad satisfaciendum præcepto paschali non potest fieri communio absque confessione, ab eo qui sibi peccati mortalis conscius sit, quum lex non obliget cui debito modo satisfieri nequit. Cæterum alii aliud opinantur. [2]

50. *Magna animi devotione* suscipienda est Eucharistia, pro tanti Sacramenti dignitate et præstantia. Venialis videtur culpa accedere affectu ad venialia haud deposito, saltem si actu foveatur. « Peccata venialia, » inquit S. Thomas, « dupliciter accipi possunt : uno modo, prout sunt præterita : alio modo prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti : potest enim contingere quod aliquis post multa peccata venialia commissa, devote accedat ad hoc Sacramentum, et plenarie hujus Sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, sed in parte. Dictum est enim quod effectus hujus Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis : sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venialia mente distractus : non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis. » [3] Curandum est omnino ut mens ad Christum fide viva evehatur, eique cultus præstetur pro summa ejus majestate, precesque porrigantur ut omnis gratiæ tollatur obex.

§. III. De corporis munditie.

51. *Continentia in conjugibus* desideratur, juxta Pauli consilium, ut orationis causa ad tempus abstineant a consuetudine marita. [4] Triduum abstinentiæ consulit Catechismus Romanus : sed nocte prævia saltem abstinere se oportet, nisi alteri petenti mos sit gerendus : qua in re uxores maritis, præsertim acatholicis, obsequentes solicitiores esse non decet. Quæ frequentius accedunt ad communionem non debent voluntati maritorum repugnare, ne molestæ nimis illis evadant ; sed quæ raro, in præcipuis festivitatibus accedunt, poterunt preces adhibere, quin penitus recusent. Ipse qui petit ob prolis desiderium, non repellitur a communione : « Si quis, » inquit S. Gregorius Magnus, « sua conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia, utitur : ipse profecto de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo Corporis Dominici Sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio. » [5] Culpa autem censetur venialis eodem die ad Eucharistiam accedere, quo quis, vo-

(1) L. vi. n. 257.
(2) Ibidem, n. 261.
(3) iii. p. qu. lxxix. art. viii.
(4) 1. Cor. vii. 5.
(5) Causa xxxiii. qu. iv. §. vii. *Vir cum propria.*

luptatis causa, conjugio usus est. « Ita communiter, » ait Antoine, « ut constat ex Sanchez. » [1] Reddere autem post communionem nulla est culpa : imo petere nulla lege prohibetur, quamvis abstinere expediat.

52. *Qui pollutionem* admisit voluntariam, non debet eodem die ad Eucharistiam accedere, etiamsi contritione animi et absolutione deinceps assecutus veniam videatur : nam tanti Sacramenti reverentia vetat, ne quis recens a peccato patrato illud suscipiat. Hinc ait S. Thomas : « Non esse consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus et confessus, ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere. » [2] Equidem sacerdoti consuetudine mala haud irretito permitti poterit ut celebret, dummodo vere dolere videatur, quoties vix valet absque nota abstinere. Quæ absque culpa contingit pollutio in somnis, vel etiam vigili, non impedit communionem, nisi magna inde orta sit mentis perturbatio : quo casu oportebit plerumque abstinere. « Hoc tamen impedimentum quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta, ut Gregorius dicit, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit. » Ita S. Thomas. [3]

53. *Corpus a sordibus mundum* esse decet, ut quis ad Eucharistiam reverenter accedat, quamvis hæ non obstent, si evitari nequeant, vel tolli, ob nimiam paupertatem, vel gravem ægritudinem, vel si occultæ sint. Tempore menstrui fœminæ communicare non prohibentur. [4] Vestibus etiam nitidis indui oportet; qui enim sordidis et laceris accedit indutus, honori tanti sacramenti plane deest. Idem dicendum de accedente, barba neglecta, vel alias parum compto; nec tamen decet nimiam elegantiam affectare. Convenit deponere arma ante communionem, quamvis lege non præcipiatur. Sacerdos infirmus, vel alias impeditus a celebratione, communionem suscipit [5] stola indutus : quod etiam a suspenso videtur servandum, nisi scandalum inde oriturum prævideatur.

§. IV. De jejunio.

54. *Jejunium naturale*, ab omni prorsus cibo, vel potu, etiam instar medicinæ, a media nocte usque ad Eucharistiam susceptam, injungitur omnino ex consuetudine antiquissima, quæ ad Apostolos, Spiritu sancto auctore, merito refertur. « Numquid, » inquit Augustinus, « propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur ? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi : nam ideo per universum orbem mos iste servatur. » [6] Hujus disciplinæ occasionem ortam esse ex Corinthiorum excessibus, quos redarguit Paulus, verosimile est, uti animadvertit ipse Augustinus in verba illa : « Cætera autem cum venero disponam. » « Unde intelligi datur, (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) ab ipso ordinatum

(1) Antoine, tract. *de Eucharistia*, c. ii. qu. iii. Resp. 4. Vide et S. Alph. l. vi. n. 273.

(2) In iv. dist. vi. qu. i. a. iv. qu. ii. ad 2.

(3) iii. p. qu. lxxx. art. vii.

(4) S. Greg. Ep. ad Augustinum.

(5) S. Alph. l. vi. n. 276.

(6) Ep. liv. alias cxviii.

esse quod nulla morum diversitate variatur. »[1] Consuetudinem hanc vim legis habere constat ex communi fidelium sensu, et pluribus canonibus.[2] Nec datur materia levis in re tanti momenti; nam agitur de reverentia tanto sacramento debita: quapropter « neque post assumptionem aquæ, vel alterius cibi aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus. »[3]

55. *In vitæ discrimine*, sive oriatur ex morbo, vulnere, vel veneno, licet non jejunis suscipere Eucharistiam instar Viatici: nec opus est ut quis in ipso exitu vitæ positus sit; sed sufficit grave esse discrimen, et probabile esse eum amplius eam sumere non posse. Eo urgente periculo, jejunii obligationem solvi liquet ex perpetua consuetudine, quam agnovit Concilium Constantiense, hanc apponens exceptionem: « Nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia concesso, vel admisso. »[4] Hinc necesse non est expectare mediam noctem, ut periclitanti non jejuno detur communio, quum lege solutus habeatur:[5] sed qui in proximo mortis periculo non versatur, et potest absque gravi incommodo jejunus manere, tenetur, juxta S. Alphonsum; qui tamen monet non esse scrupulose procedendum.[6] Damnati capitis debent plerumque jejuni communicare: si tamen sententia statim sit executioni demandanda, possunt, soluto jejunio, necessario muniri Viatico:[7] quod et extendi potest ad eos, qui, ob mentis agitationem, nequeunt jejunium tolerare, supplicio imminente

56. *Infirmitas* de qua loquitur Concilium Constantiense, *gravis* intelligitur, cum mortis periculo conjuncta: ita enim habet consuetudo universalis. Igitur non licet ægrotanti non jejuno dare Eucharistiam si non sit probabile mortis periculum: quapropter qui diuturna ægritudine detinetur lecto, quin mors immineat, nequit post solutum jejunium communicare, etiamsi vix possit absque gravi incommodo, vel periculo, jejunare; sed differenda erit communio, donec aut viribus auctus jejunare possit, aut deficiens lege solvatur. Qui rure degit procul ab ecclesia, et aliquoties per annum sacerdotis copia fruitur, ad locum Missionis pergens, non potest jejunium solvere, licet nequeat jejunus iter peragere, et idcirco fere semper ab Eucharistia abstineatur: nam consuetudo Ecclesiæ adversatur, et semel admissa causa hujusmodi, lex jejunii subverteretur.

57. *Instar Viatici* moribundis datur, quando verosimile est eos amplius eam suscipere non posse: sed si supervixerint, quin discrimen evadant, possunt iterum refici, saltem post aliquot dies. Quantum autem intercedat necesse sit intervallum, nulla generali lege Ecclesiæ determinatur: quapropter arbitrio suo uti poterit sacerdos, ubi non obstat specialis lex loci, et pro desiderio suscepturi, libere eam impertiri, in frequentiorem moribundi communionem, juxta Ecclesiæ mentem, proclivis. Sunt qui singulis diebus eam dari posse censent.[8] Verba Ritualis: » Accipe Viaticum, » etc. omitti posse, et con-

(1) Ep. liv. alias cxviii.

(2) Cap. v. *de celeb.* Conc. Carth. iii. can. xxix. Tolet. vii. can. ii.

(3) iii. p. qu. lxxx. art. viii. ad 4.

(4) Constantiens., Sess. xiii.

(5) Antoine, *de Euch.* c. ii. qu. iv. *Observa* i.

(6) L. vi. n. 285.

(7) Ibidem. (8) S. Alph. l. vi. n. 285.

sueta verba substitui : « Corpus Domini, etc. » si infirmus magnam tristitiam ex morte imminente concepturus esset, post alios censet S. Alphonsus. [1]

58. *Semel autem in eadem die* communio suscipi potest, [2] nisi mortis periculum superveniat ei qui mane jam communicavit. Plurimi negant Viaticum præbendum eadem qua semel suscepta est Eucharistia die; [3] sed æquum videtur nemini in vitæ discrimine tantum denegare subsidium. Juxta S. Alphonsum tenetur ille, qui nullo in periculo mortis versans mane communicavit, Viaticum recipere, si mortis periculum deinceps contingat repentino aliquo casu, lapsu scilicet ex alto, vulnere, vel alia re hujusmodi: non enim instar Viatici Eucharistiam mane suscepit, et divino videtur adstrictus præcepto ad hoc munimen sibi iter facturo ad patriam, exquirendum; secus si ex morbo naturali periculum superveniat ipsi jam ægrotanti mane, et Eucharistia refecto, non moraliter censetur in periculo suscepisse. [4] Equidem poterit parochus pro arbitrio illud præbere, vel denegare, quin Episcopus in eum idcirco animadvertat : nec enim de re adeo controversa apud theologos Episcopus debet aliquid decernere. [5] Viaticum non est præbendum, quoties est periculum vomitus : in dubio autem reverentiæ Sacramenti consulendum est. Tussis vehemens non obstat Viatico recipiendo, dummodo species deglutiri possint : nam phlegma non ejicitur ex œsophago, per quem trajicitur cibus, sed ex aspera arteria, seu via respirationis ad pulmones. [6]

59. « Si deprehendat (*sacerdos*) post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, *reliquias aliquas relictas consecratas*, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant. » Ita præscribit Rubrica. Id etiam faciendum, etiam si sacerdos sit jam in sacristia, indutus tamen adhuc vestibus sacris, Benedictus XIV. censet. Quod si vestes deposuerit, reliquiæ illæ erunt reponendæ in tabernaculo, vel relinquendæ sacerdoti mox celebraturo absumendæ : quod si neutrum possit fieri, ipsi qui celebravit licebit eas sumere reverenter. Reliquiæ alterius Missæ absumi hac ratione nequeunt, si reverenter servari possint.

60. *Altera necessitas*, quæ juxta Concilium Constantiense excusat a lege jejunii naturalis servandi ante Eucharistiæ susceptionem, est si Sacrificium perficiendum sit, celebrante deficiente sensibus post consecrationem; permittitur enim alteri sacerdoti, etiam non jejuno, illud absolvere, ne mancum maneat. Si post consecrationem recordetur sacerdos se non esse jejunum, poterit absque peccato in sacro munere pergere; imo ad id tenetur, quum sacrificii perfectio majoris momenti sit quam jejunii lex : ante consecrationem autem si id memoriæ occurrat, recedere debet ab altari, nisi infamiæ vel scandali periculum sit. Si aquam solam in calice ex errore positam hauserit, debet vinum afferendum jubere, illudque consecrare, una cum hostia, ut perficiatur sacrificium, licet ipse jejunium aquæ haustu solverit. Qui ex errore ablutionem in Missa prima sumpserit in nocte Nativitatis, vel

(1) S. Alph. l. vi. n. 285.

(2) Cap. iii. *de celebr.* et cap. Sufficit, *de consecr.* dist. i.

(3) De Lugo apud Antoine tract. *de Euch.* c. ii. qu. i. *Nota.*

(4) L. vi. n. 285.

(5) Bened. XIV. *de Synodo*, l. vii. c. xi. n. 2.

(6) S. Alph. l. vi. n. 792.

alias, quando facta est ei facultas bis celebrandi, non potest iterum celebrare: nam jejunii lex obtinet. Quod autem populus careat copia præcepti implendi casu contingit, ideoque vacat culpa.

61. *Licet sacerdoti non jejuno* Missam celebrare ad dandum sibi Viaticum, si alterius sacerdotis qui illud ei det, non sit copia: præcepto enim divino tenetur illud suscipere in mortis discimine, et nequit alia ratione ei satisfacere. [1] Non autem id permittitur, ut alii det Viaticum: nam lege arctissima jejunii ob alterius necessitatem solutus nusquam declaratur, et moribundus excusatur a præcepto implendo, quando deest occasio.

62. Si quis mortis metu cogat sacerdotem non jejunum celebrare, hic excusandus plerisque videtur, quum lex jejunii vix possit cum vitæ discrimine obligare.

63. Quæ per modum salivæ sumuntur non obstant *jejunio naturali*. Si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem, nil obstat: secus si consulto. « Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem. » Ita habent Missalis Romani Rubricæ. Quod si ex industria deglutiantur reliquiæ cibi, plures censent eas obstare: at necesse non est eas ex dentibus extrahere diligenter, ne forte deglutiantur. [2]

64. Non obstat humor e capite, vel sanguis e naribus in os defluens, sed obstaret sanguis quem quis ex digitis sugeret. Culex, musca, vel aliud hujusmodi, cibi, potus, vel medicinæ non habet rationem. Saccharum, glycirriza, vel quid simile in ore liquescens, si in stomachum post mediam noctem transglutiatur, cibi vel potus instar habetur. Non obstat res gustata, quin deglutiatur, sicut matres solent potum infantibus dandum degustare, vel « coqui cibum et potum supra linguam ponunt solum ad probandum, et statim projiciunt. [3] »

65. Tabaci usus per nares, etsi olim graviter prohibitus intra quasdam Ecclesias, præsertim S. Petri, ob nauseam adstantium, jamdiu invaluit, et non obstat communioni, [4] dummodo quis ex proposito id in stomachum non trajiciat. [5] Fumus etiam tabaci ex consuetudine licet: ipsum autem folium dentibus mandere, ut virtutem expuendi phlegma ad stomachum immittat per nervos, non decet, quamvis lege non prohibeatur. Venialem autem culpam in ea agnoscit S. Alphonsus, si causa desit. [6]

66. « Sententia communis docet, minime frangi jejunium, si edantur res omnino indigestibiles, ut sunt capilli, ungues, metallum, vitrum, fila ex serico aut lana, ossicula fructuum omnino depurata: quia hæc nec nutriunt, nec rationem habent cibi; Ecclesia autem tantum prohibet, ne sumatur Eucharistia post cibum, aut potum, ut patet ex Concilio Toletano VIII. can. II. ubi dicitur: « Nullus post cibum potumque minimum sumptum Missas facere præsumat. » Ita S. Alphonsus: [7] « Secus vero dicendum — de rebus digestibilibus, quæ a stomacho alterari et in substantiam hominis converti possunt, prout sunt charta, palea, filum ex lino, pulvis medicinalis, cera. Idem

(1) S. Alph. l. vi. n. 286.
(2) Ibidem, n. 279.
(3) Antonin. 3 part, tit. xiii. cap. ix. §. 8.
(4) Bened. XIV. *de Synodo*, l. vii. c. lxiii.
(5) S. Alph. l. vi. n. 280.
(6) Ibidem. (7) Ibidem. n. 281.

dicunt probabilius — de terra seu creta, quam mulieres edere solent, cum in ea aliquid inveniatur a stomacho alterabile, et nutritivum. »[1] Id dicendum pariter de pulvere tabaci, quem mulieres nonnumquam dentibus conterunt, et in stomachum trajiciunt.

67. Jejunium a media nocte exigitur, scilicet a primo ictu horologii eam annuntiantis : quod si varient horologia, licet ultimum sequi, nisi constet de errore, vel illud plerumque errare noscatur. Si quis dubitet utrum post mediam noctem quid deglutiverit, censet S. Alphonsus eum posse communicare ; quia, quum prohibitio accedendi sit negativa, debet constare de comestione, vel potu, ut quis se habeat impeditum : quod saltem dicendum videtur, ubi nulla ratio probabilis suadet eum comedisse. « Nec refert, » inquit S. Thomas, « utrum post cibum vel potum assumptum dormierit, aut etiam digestus sit, quantum ad rationem præcepti. Refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter indigestionem, aut insomnietatem, ex quibus si mens multum perturbetur, homo ineptus fit ad sumptionem hujus Sacramenti. »[2] Sed qui facit quod in se est ad mentem componendam, non prohibendus est hujus Sacramenti subsidio.

§. V. De communionis adjunctis.

68. Post communionem convenit abstinere *ab expuendo*, per breve saltem spatium ; cæterum plerique dicunt nullum esse peccatum expuere, si nullum maneat in ore fragmentum. Tussis est etiam vitanda ; cæterum canalis per quem trajiciuntur species, diversus est ab eo a quo phlegma ejicitur, ideoque nemo angi debet qui nequit tussim vitare, dummodo possit trajicere species. Manducare, vel bibere statim post communionem, non oportet, excepta ablutione, quam præscribit Rubrica : propter reverentiam enim « debet esse aliqua mora inter sumptionem hujus sacramenti, et reliquos cibos ; »[3] sed medicorum judicio, species hostiæ parvæ statim desinunt, et majoris hostiæ et vini species nonnisi per dimidium quadrantis durant : ideoque necesse non est per longum temporis spatium abstinere a cibo. Plerumque quidem per quadrantem abstinere oportet ; sed si urgeat causa æqua, v. g. si ægrotus indigeat cibo, vel si abeundi sit necessitas, nulla est culpa aliquid comedere. Tempus autem aliquod gratiarum actioni, meditationi, precibusque impendere oportet, ut fructus communionis retineatur ; sed et sæpius per diem gratiam nobis datam in mentem revocare.[4]

69. Præcipuus *Eucharistiæ effectus* est animæ nutrimentum, quæ scilicet gratiæ majoribus donis proficit et roboratur, ut opera vitæ elicere queat, et salutem adipisci : « Caro enim mea » inquit Christus, « vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. »[5] « Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius, qui dixit : « Qui manducat me, et ipse vivet propter me : » et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. »[6] Illa liberatio contingit iis qui ex animo deflent culpas illas leviores, et divinum auxilium implorant, qui et gratia

(1) S. Alph. l. vi. n. 281.
(2) iii. p. qu. lxxx. art. viii. ad 5.
(3) Ibidem, ad 6.
(4) Vide S. Carol. Acta par. iv. in instruct. Euch.
(5) Joan. vi. 56.
(6) Conc. Trid. Sess. xiii. c. ii.

muniuntur qua evitent mortalia, si Christo intus habitanti obtemperent. « Ambrosius dicit in libro de Sacramentis, quod iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res autem hujus Sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quem peccata venialia solvuntur. Unde manifestum est, quod virtute hujus Sacramenti remittuntur peccata venialia. »[1] Pœnæ quoque remissio quædam pie suscipientibus Eucharistiam conceditur. « Ex vi quidem sacramenti directe habet illum effectum, ad quem est institutum. Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, et ad membra ejus : sicut et nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ : inde est quod ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ : non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis et fervoris. »[2] Sed et peccati mortalis consequitur aliquando in Sacramento veniam, qui absque conscientia et affectu illius accedit : « forte enim primo non fuit sufficienter contritus : sed devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis quæ contritionem perficiet, et remissionem peccatorum. »[4] Concupiscentia etiam minuitur iis qui devote suscipiunt Eucharistiam, et pius animi affectus fovetur. Pignus denique est præcipuum vitæ æternæ : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam ; et ego resuscitabo eum in novissimo die. »[5]

70. *Communionis frequentia* maxime laudanda est, si studium ad animum tanto hospiti parandum adhibeatur ; quapropter quotidie eam suscipiendam ea conditione suadet S. Thomas : quum enim dixisset ex parte sacramenti, cujus virtus est animæ salutaris, expedire ut quotidie sumatur, adjunxit. « Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Unde Augustinus, cum dixisset, « Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit ; » subjungit : « Sic vive ut quotidie merearis accipere. » Sed quia multoties in pluribus hominibus multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum. Unde in libro de ecclesiasticis dogmatibus dicitur : « Quotidie Eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero. »[6] Rem confessarii judicio remisit Innocentius XI.[7] Paucis qui ferventiores sunt, et nullo detinentur impedimento, permitti potest quotidie accedere : sed conjugibus invitis accessus frequens non debet concedi. Semel in hebdomada iis qui nullo tenentur affectu ad peccatum veniale, concessit S. Franciscus Salesius accedere. Plerisque qui peccata mortalia vitant, semel saltem in mense

(1) S. Thom. iii. p. qu. lxxix. art. iv. *Resp.*
(2) Ibidem art. v. *Resp.*
(3) Ibidem, art. iii. *Resp.*
(4) Ibidem, iii. p. q. lxxix. art. iii. *Resp.* 3.
(5) Joan. vi. 55.
(6) iii. p. qu. lxxx. art. x. *Resp.*
(7) Vide Decretum S. C. anno 1679, eo probante editum.

accedere tuto permittitur : sed vigilandum ne cupiditatum servi hoc sacramentum frequentent, morum emendatione neglecta : damnata quippe est propositio : « Frequens confessio et communio etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. »[1] Sed et rigor quorumdam damnatus est : « Similiter arcendi sunt a communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers. »[2]

(1) Prop. lvi. inter damnatas ab Innoc. XI.

(2) Prop. xxiii. ab Alex. VIII. damnata.



PARS II.

DE SACRIFICIO.

CAPUT I.

DE SACRIFICII NATURA.

71. Fuse probavimus in Missa offerri Deo verum Sacrificium, et quidem præstantissimum, quum Christus Dominus sit sacerdos, et victima, Patri suo perpetuo offerens corpus et sanguinem suum, quæ in cruce semel sunt cruento modo immolata. *Latriæ* summum est genus, quod in hoc sacrificio fit, tanta victima in divinæ majestatis cultum oblata : *Eucharistia* est, seu gratiarum actio ob dona innumera nobis indignis collata : *hostia* est *propitiationis* ad placandum Deum nostris sceleribus infensum : *impetrandi* virtute præstat : nec enim Deus quid nobis per Filium suum petentibus denegabit. Propitiationis vis in corpore tradito pro nobis, et sanguine fuso in remissionem peccatorum sita est. Peccata igitur remittuntur, gratia qua quis se eorum pœniteat concessa : sed fieri potest ut huic resistat, et se fructu sacrificii fraudet.

72. *Sacrificium* a S. Alphonso, post alios, definitur oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei, in signum supremi dominii, ex legitima institutione. [1] Immutationem in Missa mysticam plerique habent, quæ in consecratione contingit : panis scilicet et vini consecratione, Corpus et Sanguis Christi fiunt præsentia, conjuncta quidem, quum integer Christus sub alterutra specie sit, sed *concomitantia*, uti loquuntur theologi, non vi verborum : horum enim virtute corpus tantummodo sub specie panis fit præsens, sanguis sub specie vini : quapropter in sola consecratione totam Sacrificii Missæ essentiam reponunt : sed Bellarmino et S. Alphonso, cum aliis, placuit communionem sacerdotis ad sacrificii essentiam referre, ut destructio sit victimæ, speciebus consumptis. Consentiunt omnes eam ad sacrificii integritatem pertinere : quapropter jubet Rubrica Missalis : « Si sacerdos graviter infirmetur, aut moriatur post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato, Missa per alium sacerdotem expleatur ab illo loco ubi desiit. »

73. *A solis sacerdotibus Christi nomine* Missa offerri potest ; sed a fidelibus omnibus quodammodo offertur : nam eorum vices sacerdos gerit. Quibusdam specialiter applicatur, iis præsertim qui id subsidii sibi quærunt. Ad-

(1) L. vi. n. 304.

stantes etiam specialiter eam offerunt, precibus et mente cum sacerdote conjuncti.

74. « Certum est posse offerri hoc Sacrificium *pro omnibus fidelibus baptizatis vivis*, etiam infantibus, vel energumenis, vel peccatoribus non excommunicatis, quoad fructum tantum impetrationis. Pro excommunicato vitando tamen licite sacerdos potest offerre Missam privatim, quatenus est opus proprium suæ privatæ personæ, non autem nomine Ecclesiæ, vel ut minister Christi, ex c. II. *de sent. Excomm.* »[1] Pro excommunicato tolerato probabilius censet S. Alphonsus licere orare et offerre, quia indulsit Concilium Constantiense ut cum iis communicare, etiam in divinis, liceret. Pro infidelibus ipsis offerri posse sacrificium putat, post Bellarminum et Lugonem, quia sic Christo pro omnibus oranti sacerdos adsimilatur : sed minime est publice offerendum pro iis qui ab Ecclesiæ communione alieni sunt hæresis professione. »

75. *Pro defunctis rite offertur*, juxta Apostolorum traditionem, iisque certo prodest; magnum quippe est animarum juvamen, uti animadverterunt olim S. Cyrillus et S. Chrysostomus : sed quousque singulas juvet, inter arcana divina est. Quæ dicitur Missa de Sanctis, potest in defunctorum utilitatem offerri, pari fere cum fructu : « ex parte sacrificii oblati Missa æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur; et hoc est præcipuum quod fit in Missa : sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen hic defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit Missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti cujus suffragium in Missa imploratur. » Ita S. Thomas.[2]

76. Hoc sacrificium *impetrat* persæpe gratiam pœnitentiæ : « hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. »[3] Pœnas vero peccatorum hominibus justis pro quibus offertur, censetur per se remittere; quippe, docente S. Thoma, « in quantum est Sacrificium, habet vim satisfactivam. »[4] Adauget gratiam, auxilia suppeditando ad actus perficiendos quibus gratia accrescit : et plurima bona spiritualia, et etiam temporalia, quatenus animæ prosint, impetrat.

77. *De Missæ virtute* audiendus est S. Thomas : « In Missa duo est considerare, scilicet ipsum Sacramentum, quod est principale, et orationes quæ in Missa fiunt pro vivis et mortuis. Quantum ergo ad Sacramentum, non minus valet Missa sacerdotis mali, quam boni : quia utrobique idem conficitur Sacramentum. Oratio etiam quæ fit in Missa, potest considerari dupliciter : uno modo in quantum habet efficaciam ex devotione sacerdotis orantis : et sic non est dubium, quod Missa melioris sacerdotis magis est fructuosa : alio modo in quantum oratio in Missa profertur a sacerdote in persona totius Ecclesiæ, cujus sacerdos est minister : quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet : sicut supra dictum est de ministerio Christi. Unde etiam quantum ad hoc est fructuosa, non solum oratio sacerdotis peccatoris in Missa, sed etiam omnes ejus orationes, quas facit in ecclesiasticis Officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ, licet orationes ejus privatæ non sint fructuosæ, secundum illud Proverbiorum XXVIII :

(1) L. vi. n. 398.

(2) iii. p. Suppl. qu. lxxi. art. ix. ad 5.

(3) Conc. Trid. Sess. xxii. cap. ii.

(4) iii. p. qu. lxxix. art. v. *Resp.*

« Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. »[1]

78. *Infinitum esse valorem* sacrificii pro nobis a Christo in cruce oblati constat : quod idem ac Missa est quoad victimam et sacerdotem præcipuum : « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. »[2] Disputant tamen theologi, utrum certus quidam gradus satisfactionis in singulis sacrificiis applicandus a Christo definitus sit, vel redemptio copiosa sit applicanda, nullo limite apposito, præter eum qui ex hominum capacitate finita oritur. Quidquid sit, non licere hac uti sententia ad pecunia emungendos fideles, constat ex decretis S. Congregationis et Summorum Pontificum postea referendis.

CAPUT II.

DE CELEBRANDA MISSA.

—

§. I. De celebrandi obligatione.

79. *Tenentur sacerdotes*, juxta plerorumque sententiam, divino præcepto ad celebrandum : « Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis. »[3] Jussit etiam Christus Apostolis : « Hoc facite in meam commemorationem. »[4] Lugo quidem hoc præceptum contendit eo præcipue spectare ut sacrificium semper celebretur, quod libenter concedimus ; sed singulos teneri aliquoties inde colligi potest, præsertim quum id sit præcipuum munus ad quod constituti sunt. Equidem qui negligit celebrare servi pigri instar est, in sudario reponentis talentum.

80. *Difficile est definire quoties* quis celebrare teneatur. S. Thomas ait : « Unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum. . . . Unde sacerdoti etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare : sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt. »[5] S. Hieronymus, juxta aliquos, noluit unquam tantum offerre Sacrificium ; quod tamen non potest suffragari his qui ex incuria, vel animo curis mundanis distento, hoc detrectant : quapropter doluerunt Patres Lateranenses sacerdotes quosdam vix quater in anno celebrare. S. Congregatio Concilii, Novembris mense, 1696, ita censuit : « Qui sine justa causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri. » Dies nullos in quibus id muneris necessario explendum sit, definivit : ideoque probabile putat S. Alphonsus quibuslibet diebus posse satisfieri.[6] Concilium Tridentinum Episcopi solicitudinem in eo adhibendam voluit ut sacerdotes frequenter celebrarent : « Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. »[7]

81. *Qui curam habent animarum* celebrare tenentur diebus saltem Dominicis, et festis de præcepto, quum debeant iisdem diebus offerre Missam

(1) iii. p. q. lxxxii. art. vi. *Resp.*
(2) Conc. Trid. Sess. *ubi supra.*
(3) Heb. v. 1. (4) Luc. xxii. 19.
(5) iii. p. qu. lxxxii. art. x. *Resp.*
(6) Lat. iv. cap. *Dolentes*, de celebr.
(7) Sess. xxiii. c. xiv.

pro populo sibi commisso : non enim permittitur per sacellanos Missam applicare, nisi in casibus veræ necessitatis, et ex canonica causa, uti liquet ex responsione S. Cong. Interpretum Concilii Tridentini 11. Martii 1843. Si Missam *ex fundatione*, uti aiunt, dicendam omittat parochus, graviter peccabit, nisi curet eam ab alio celebrandam. Quod si vix unquam intra hebdomadam celebret, suo officio deerit, quum pio fidelium desiderio haud satisfaciat; sed non audeo damnare eum qui alias est labe immunis, et opportunas præbet occasiones fidelibus Sacramenta suscipiendi. Cui fideles commissi sunt per regionem late dispersi, quorum plurimi nequeunt diebus Dominicis et festis accedere, debet aliquoties saltem per annum eis facere copiam sacri ministerii.

82. *Sacerdotes qui curam animarum non habent*, non videntur teneri ad celebrandum singulis diebus Dominicis et festis solemnibus, nisi specialiter jusserit Episcopus ob graves admodum causas, Concilii Tridentini monitis inhærens Omnibus sacerdotibus suadendum est ut quotidie celebrent, pie tamen et reverenter, animo a sordibus peccati mundo : nam sic Deo redditur summus honor, nomine ejus inter gentes ab ortu solis usque ad occasum celebrato, et gratia auctus proficit qui tantam offert victimam : nil tamen vetat aliquoties ex humili sui sensu se abstinere. Episcopi præsertim debent nullum diem absque Missæ celebratione, vel saltem auditione transire. [1]

§. II. Quandonam celebrare liceat.

83. Quolibet die celebrare licet, excepta feria sexta in Parasceve, in qua mors Christi commemoratur solemniter, ideoque sacrificium, quod in ejus memoriam offerri jussum est, non convenit offerri. « Hoc autem sacramentum,» inquit S. Thomas, « est figura quædam et exemplum Dominicæ Passionis : sicut dictum est. Et ideo in die quo ipsa Passio Domini recolitur, prout gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti. » [2] Feria quinta in majori Hebdomade, et sabbato, unica dicitur Missa, conventualis, scilicet, seu parochialis, quam solemniter cantari convenit, quamvis omissa illa solemnitate, sacerdos in sua missione, seu parœcia, possit celebrare, deficientibus ministris.

84. *Sæpius in eadem die* Missas celebrare olim licuit : quod tamen prohibuit Innocentius III. [3] excipiens tantum necessitatis causam et diem Natalem Christi Domini, in qua ter celebratur, pro sacerdotum pio arbitrio. In Hispanica et Ulyssiponensi ditione, ter etiam in Commemoratione fidelium defunctorum, ex speciali indulto et consuetudine, celebrare licet. Solet fieri facultas Episcopis hujus regionis concedendi potestatem sacerdotibus bis celebrandi, « ex gravissimis tamen causis, et rarissime; » causa autem æqua est, si quis duas congregationes, seu parœcias, invisat, vel quod fidelium multitudo tota nequeat simul congregari. Non videtur causa sufficiens plerumque, quod quidam communicare velint, qui vix possunt manere jejuni ad tempus consuetum celebrandæ Missæ : iis enim communio extra Missam dari poterit, si hostiæ consecratæ in ciborio sint. In indulto Apostolico « serio ipsius (*Episcopi*) conscientiæ injungitur, ut paucis duntaxat, iisque maturioris prudentiæ, ac

(1) Cap. ult. *de privileg.* in 6.
(2) iii. p. q. lxxxiii. art. ii.
(3) Ex cap. iii. *de celebrat.*

zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet. » Quando bis celebrandum est, idem adhibendus est calix, magna etiam diligentia totus absorbendus sanguis in Missa priori. [1] Quod si ob loci distantiam, calix vix possit deferri, permisit S. Congregatio Rituum ut alter usurpetur. Jubet tamen ut sanguine absorpto purificentur digiti in vase congruo, et calici imponatur patena, quæ post ultimum Evangelium recitatum tollenda erit, ut si gutta aliqua ad fundum calicis descenderit, absorbeatur ea ex parte ex qua antea Communio sumpta est. Tunc calix aqua purificandus erit, quæ in vas reponatur, et Purificatorio linteo. Aqua illa servanda erit in crastinum, vel, si id fieri nequeat, gossypio aut stupa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit exsiccanda, relinquatur, vel dimittatur in piscinam.

85. « *Missa privata*, saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest. » Ita habent Rubricæ Missalis. Apud nos ex indulto speciali dici potest una hora ante auroram, vel post meridiem. In necessitate, ad dandum Viaticum morituro communiter dicunt theologi licere media nocte celebrare. In nocte Nativitatis licet Missam solemnem celebrare; sed « non licet in media nocte Nativitatis Domini celebrare successive alias duas, et communionem sacram exhibere. » [2] Missæ privatæ ea nocte non permittuntur.

86 Omni die, præterquam in feria sexta Hebdomadis majoris, Missam solemnem, seu conventualem, celebrare licet: Missæ autem privatæ prohibentur in Cœna Domini et Sabbato sancto, uti liquet ex pluribus decretis relatis a S. Alphonso. Indulsit autem Clemens XI. ut occurrente festo Annuntiationis B. M., in die Cœnæ Domini, Episcopus quasdam Missas privatas, ut populus præcepto satisfacere posset, concederet celebrandas ante Missam solemnem. Si autem occurrat in Sabbato sancto, transfertur ad feriam secundam post Dominicam in Albis, juxta decreta S. Congr. [3] Licet etiam ex Episcopi venia Missam privatam in die Cœnæ Domini celebrare, ut communio detur infirmis.

CAPUT III.

DE LOCO IN QUO CELEBRETUR.

87. *Non* licet Missam celebrare *nisi in Ecclesia consecrata*, vel in oratorio Episcopi auctoritate benedicto: [4] attamen indulgetur missionariis ut quocumque in loco decenti celebrent, in altari portatili: qua facultate uti vetuit Concilium Baltimorense I. « in ædibus privatis, nisi in stationibus, et in iis ædibus quas Ordinarius designaverit; aut dum, actu, missionis exercitiis, procul ab aliqua Ecclesia, dant operam: » [5] quapropter in urbibus, (vel oppidis,) in quibus erectæ sunt Ecclesiæ, ea non licet uti. Ad dandum Viaticum infirmo rure degenti procul ab Ecclesia, poterit aliquando Sacrum apud eum celebrari, si alias ad eum deferri nequeat: » [6] sed consuetudo celebrandi apud ægrotos, vel in domibus ubi defuncti est cadaver, vel in ædibus novis, non est probanda. Quod si ad Ecclesiam difficilis sit aditus, hiemali præsertim tempore, Episcopi venia quærenda erit antequam sacerdos in domo

(1) Decr. 11. Martii 1858.
(2) S. C. Rit. 18. Dec. 1702.
(3) Vide S. Alph. l. vi. n. 350.

(4) Cap. xxx. de consecr.
(5) Can. xxiii.
(6) Cong. de P. F. 14 Dec. 1668.

sua vel aliena celebret; quæ danda vix erit ob Sacrificii reverentiam; sed si data fuerit, curandum ut in loco decenti celebretur: nec enim in viliori domus parte, nec in cubiculo, ubi aliqui dormire consueverunt, celebrandum est plerumque Sacrificium. Ob necessitatem celebratur sæpe in tuguriis, vel casis operariorum, ubi deest locus opportunior: sed raro, et nonnisi magna adhibita cautela, id facere decet, ne in dedecus sacrorum mysteriorum vergat. Si diruta sit Ecclesia, licet extra celebrare, et ubi nulla est, celebratur ubicumque, uti in castris, vel litore maris. [1] In navibus celebrare est prohibitum, [2] nisi ex speciali Papæ indulto, quo nonnisi magna adhibita cautela uti oportet.

88. *In hæreticorum vel schismaticorum Ecclesiis celebrare* non licere censuerunt quidam theologi congregationis particularis habitæ Romæ 7. Maji 1631: indulsit tamen Clemens XI. ut in Ecclesiis catholicorum Rhetiæ ab hæreticis occupatis missionarii aliquando celebrarent. Equidem de Ecclesiis agebatur quæ solemniter consecratæ fuerant, altari ad Sacrificii celebrationem in iis erecto. Apud nos nulla est inter hæreticos Ecclesia consecrata; quamvis Episcopales ritu quodam et precibus dicent suas ædes, et mensam habeant, quam altaris nomine in loco superiori nonnulli jam, veteris moris æmuli, erigunt. In nulla autem ecclesia hæreticorum, vel schismaticorum, celebrandum putamus, quum id vix fieri possit, servata Sacrificio reverentia, et in hæresis patrocinium cedere possit, quod tanto munere dignata sit. Igitur si Ecclesia catholica desit, in ædibus privatis celebrare præstat: quod si locus desideretur amplior, ob fidelium multitudinem, aula publica, seu curia, seu schola, uti oportebit: minime vero theatro, Liberorum Muratorum ædibus, vel cubiculo diversorii in quo choreæ haberi solent.

89. *Graviter peccat qui* Missam celebrat *in Ecclesia polluta*, vel interdicta, vel exsecrata, quum ob tanti sacrificii reverentiam lege ecclesiastica vetetur: sed nullam contrahit censuram. Ecclesia autem pollui censetur violenta sanguinis humani effusione, [3] qualis est gravi vulnere inflicto, sed vix polluitur sanguine e naribus, licet pugno, extracto. Polluitur homicidio voluntario et injurioso, [4] licet sanguis haud fundatur, uti si quis stranguletur: non autem homicidio quod caret culpa, v. g. quod fit a mente capto. Si quis vulneratus fugiat ad Ecclesiam, ibique, copia sanguinis fusa, moriatur, non polluitur Ecclesia, quia vulnus in ea acceptum non est: e contra si vulneratus in ecclesia ab homine extra posito, telo jacto, vel catapultæ explosione, foras prodiens moriatur, Ecclesia habetur polluta. Seminis humani voluntaria effusione, licet alias licita, qualis in conjugio est, polluitur Ecclesia: nam « cujuscumque semine » pollui dicitur in jure. [5] Sed non habetur polluta, nisi factum sit notorium. [6] Polluitur sepultura excommunicati nominatim denuntiati, [7] non autem sepultura hæretici tolerati, quæ tamen vetatur etiam sub excommunicationis pœna, « usque ad satisfactionem idoneam. » [8] Mos igitur qui alicubi inductus est hæreticorum cadavera in eodem tumulo cum catholicis sibi sanguine conjunctis sepe-

(1) Cong. de P. F. 29 Jan. 1667.

(2) Apud Philippum de Carboneano in app. Antoine *de Euch.* §. iv. Resp. 1.

(3) C. xx. *de consecr.* dist. 1.

(4) Cap. iv. *de consecr.*

(5) C. ult. *de consecr. Eccles.*

(6) S. Alph. l. vi. n. 364.

(7) Cap. vii. *de consecr. Eccles.*

(8) Tit. ii. cap. ii. *de hæreticis* in 6.

liendi, juri canonico plane adversus est, et quantocius emendandus. Quod si pars cœmeterii consecrata servetur solis Catholicis sepeliendis, pars altera relicta sepulturæ familiarum mixtarum, prout prope urbem S. Ludovici, ex rei necessitate poterit forsan tolerari. Consuevit ubique pars servari sepeliendis infantibus haud baptizatis, aliisque sepultura ecclesiastica indignis. [1] Polluitur per sepulturam infidelis non baptizati : [2] imo, juxta plurimos, infantis qui absque baptismo decessit : aliquibus negantibus, « quamvis omnes fateantur esse mortale illos ibi sepelire, et inde cadavera illa, si possint, extrahenda esse. » [3] Apud nos nemo in Ecclesiis sepelitur, præter sacerdotes, qui aliquando sepeliuntur prope altare : sub altari quippe nemo omnino sepeliendus est, quum reliquiis Sanctorum ille servetur honor. « Si sub altari, vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est illic celebranda Missa, donec alio transferantur. » [4] « Notat tamen Croix, l. VI. p. 2. n. 2067. quod si cadavera sint humata profunde in cella aliqua, sub alto fornice constructa, non videtur prohiberi super illam dici Missam : tunc enim cadavera videntur satis separata ab altari. » [5] Si cœmeteria etiam Ecclesiis adjacentia polluantur, non ideo polluta habetur ecclesia. Si Ecclesia e contra forte aliqua polluta fuerit, cœmeterium pollutum censetur, quia « accessorium naturam sequi congruit principalis. » [6]

90. *Cœmeteria polluuntur* eisdem rationibus quibus Ecclesia, et mortale habetur peccatum in iis jam pollutis sepelire mortuos absque prævio reconciliationis ritu. Si infantes haud baptizati sepeliantur, optandum eos inde extrahi, ut alibi sepeliantur ; sed quum res paucis plerumque innotescat, vix cœmeterium censendum erit pollutum ; nam causa notoria, quæ nulla tergiversatione celari poterit, requiritur ut hæc inducatur labes. Præterea Goussetius censet eos infidelium nomine vix venire.

91. *Ecclesia polluta non habetur*, si sanguis semenve fundatur supra ejus fornicem vel tectum, vel in cameris vicinis, vel in turri, vel in subterraneo specu, quod cœmeterium non sit, vel secundum multos in sacristia. Idem dicendum videtur si contingat in sacello inferiori, quod apud nos alicubi habetur : attamen dicit Antoine de capellis, si quid in iis contingat, pollutam habendam Ecclesiam : « quia sunt partes Ecclesiæ, et ad Sacrificium destinatæ sunt : » [7] quod de sacellis intra Ecclesiæ ambitum videtur intelligendum.

92. *Ecclesia* consecrata, si polluta deinceps fuerit, *reconcilianda* est ab Episcopo, ritu in Pontificali præscripto : [8] si benedicta tantum fuerit, prout apud nos plerumque fit, sacerdoti potest reconciliationis munus committi.

93. *Ecclesia exsecrata* habetur, si parietes majori ex parte destruantur, vel omnis eorum crusta, aut major pars simul auferatur : [9] secus si paulatim reficiantur. Si tectum corruat, non ideo exsecrata censetur Ecclesia : nam parietes præcipuæ sunt ædificii partes. Si tota ecclesia nova fiat, partibus per temporum intervalla restauratis, non amittit consecrationem :

(1) Scavini, Theol. Mor. t. 2. tract. iv. disp. iii. c. viii. art. i.

(2) C. xxvii. et xxviii. *de consecr.* dist. 1.

(3) Antoine, *de Euch.* c. iii. qu. vii. n. 5.

(4) Decr. S.C. 10 Nov. 1599.

(5) S. Alph. l. vi. n. 569.

(6) Reg. xlii. juris in 6.

(7) *Tract. de Euch.* c. iii. qu. vii. n. 5.

(8) Cap. ix. *de consecr. Eccl.*

(9) Can. xx. *de consecr.* dist. Cap. *Ligneus*, de consecr.

» quia quæcumque pars accedens manet consecrata, cum magis dignum trahat ad se minus dignum. Idque procedit etiamsi adsit animus totam Ecclesiam destruendi . . . . quia intentio illa non officit quin consecratio perduret. »[1]

94. « Ecclesia pollui non censetur per desolationem, exercitum hæreticum, spurcitiam hominum, vel animalium istic stabulatorum, etc. etsi deceat et praxis habeat, ut per Episcopum, vel saltem sacerdotem cum aliqua cæremonia reconcilietur et abluatur : quod in simili casu intellige de altari. »[2]

95. Quum res semel Deo dicata non debeat ad usus profanos adhiberi, vetus Ecclesia, quæ solemniter consecrata est, non debet ad alium usum converti : ipsa etiam ligna, si diruta sit, non sunt vendenda, vel ad profanum usum adhibenda. « Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio. »[3] De lapidibus Ecclesiæ dirutæ idem asserunt nonnulli. Quum Ecclesiæ pleræque apud nos sint tantum benedictæ, non videtur juris dispositio eas respicere : attamen non convenit eas vendi, vel ad usum alienum converti ; quod si in scholam catholicam convertatur vetus Ecclesia, erecta ampliori, non audemus id damnare.

CAPUT IV.

DE IIS QUÆ AD CELEBRANDUM REQUIRUNTUR.

—

§. I. De altari.

96. *Altare lapideum* omnino requiritur ad sacrificii licitam celebrationem : nec unquam licet absque eo celebrare, etiam ad dandum ægroto Viaticum, vel ad præbendam fidelium multitudini copiam implendi præcepti. « Quod quidem, » inquit S. Thomas, « competit et significationi hujus sacramenti : tum quia altare significat Christum : dicitur autem 1 Cor. x. « Petra autem erat Christus : » tum etiam quia corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad usum sacramenti : lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri ubique. »[4] Quod si quis illius oblitus fuerit, vel alias eo careat, populum monere oportebit defectus, ne ex Missa haud celebrata scandalum oriatur.

97. *Consecratum* sit ab Episcopo necesse est, qui lapidem fragilem nequaquam debet consecrare : quod si altare frangi contigerit, ita ut pars integra non sufficiat hostiæ et majori parti calicis capiendæ, alio lapide, hujus saltem amplitudinis, opus erit, qui pari ratione ab Episcopo consecretur. *Portatile* dicitur altare hujusmodi, quod in mensa repositum, fit sacrificii locus : sed *fixum* altare in ecclesiis præstat habere, et quidem ex lapide integro mensa confecta, et solemniter consecrata. Opus non videtur ut altaris fundamentum ab ima terra extruatur, vel ut totum fiat ex lapide. Sufficit ut mensa seu tabula lapidea sit, vel etiam ut lapis ligno inclusus sit, et ut altare ligneum cum sacro lapide parieti colligatum amovibile non sit, et altaris portatilis non præseferat imaginem.[5] Quod si a basi vi avellatur, vel admodum frangatur, ut pars integra non sufficiat calicis majori parti capiendæ cum hostia, jam non habetur consecratum.[6] Quando in ec-

(1) S. Alph. l. vi. n. 368. (2) Ibidem.
(3) Cap. Ligna, *de consecr.* dist. i.

(4) iii. p. qu. lxxxiii. art. iii. ad 5. (5) Decr. die 5 Dec. 1661. n. 1992. (6) Cap. iii. *de consecr.*

clesiis altare fixum non est, curandum ut ara « in eo inserta » habeatur, ad fusionis periculum vitandum : quod tamen nequit fieri ubique in missionibus.

98. *Reliquiæ in altari* ex Ecclesiæ consuetudine requiruntur, ut Sanctorum cum Christo societas designetur, et veteris moris Sacrum celebrandi in Martyrum sepulchris servetur monumentum : attamen indulget nobis Sedes Apostolica facultatem celebrandi « sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum. » « Altare portatile tunc consecrationem amittit, quando frangitur vel loco movetur repositorium reliquiarum ; » [1] altare vero fixum, quando amovetur a stipite : nam lapidis cum stipite conjunctiones in quatuor angulis inunguntur. Vacante Sede, fit potestas delegatis ab Episcopo ante obitum, « in casu necessitatis consecrandi calices, patenas, et altaria portatilia sacris oleis, ab Episcopo tamen benedictis. »

§. II. De altaris ornatu.

99. In altari *tres mappæ lineæ* ab Episcopo, vel sacerdote, cui ea communicata est facultas, benedictæ, debent esse, quarum superior ad terram usque ex utroque latere pertingat, duabus brevioribus, vel uni duplicatæ superposita. Ita præscribit Missale Romanum. Igitur emendandus est mos quorumdam mappis utentium quæ in domo in qua rure celebrant reperiuntur, unica breviori mappa benedicta corporali supposita : vel quæ ex lino, vel saltem ex cannabe, non sunt confectæ. Venialis saltem est culpa tres mappas non adhibere : mortalis, omnes omittere, nisi gravis excuset necessitas. Nulla est culpa uti mappis non benedictis in necessitate.

100. *Duæ saltem candelæ ex cera* requiruntur ; quatuor accendi possunt si celebret Episcopus : sed sacerdotibus, etiam vicariis generalibus, id non permittitur. Sex in Missa solemni adhibentur. Uti candelis ex sebo, vel oleo extra necessitatem, theologi communiter censent esse mortale : attamen ex adipe ceti, prævia quadam purificatione, candelæ apud nos plerumque adhibentur, dictæ idcirco *spermaceti*, quas S. Cong. de Prop. Fide missionariis in Oceania permisisse constat : [2] sed diligentia in eo desideratur ut habeantur, quum purius sit lumen, et sacrificio convenientius : non audeo autem damnare morem necessitate inductum. Oleum alicubi usurpatur, candelarum formis ex ligno infusum ; quod tamen ab Ecclesiæ more legeque est alienum, ideoque emendandum. *Stearinas*, ex sebo per calcem purgato confectas, tolerare Episcopo Massiliensi hodierno, Mazenod, permisit, exceptis functionibus quæ proprius respiciunt Sacramentum, aut in quibus Ecclesiæ preces ceram exprimunt. [3] Martinuccius, cæremoniarius Pontificius, censet non licite *gas* oleo substituere. [4]

101. *Crux inter candelabra* ponenda est juxta Missalis Rubricas, ut Christi crucifixi mors pro hominum salute sacerdoti et populo in memoriam revocetur. Porro ex Benedicti XIV. epistola ad Episcopos ditionis Ecclesiasticæ, liquet celebrationem Missæ non permitti « in iis altaribus quæ careant imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius sacerdotis et populi as-

(1) Decr. S. C. Rit. 5 Martii, 1603.
(2) Decr. 2 Sept. 1850.
(3) Apud Scavinium, Theol. Mor. Vol. 3. tract. 9. adnot. 2.
(4) Annali delle Scienze 1845. Vol. 22.

sistentis oculos effugiat. »[1] « Crux parva cum imagine crucifixi posita super tabernaculum, in quo asservatur inclusum sanctissimum Sacramentum in altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia crux in medio candelabrorum. »[2] In Missionibus tamen necessitas facit ut crux adhibeatur non admodum magna; sed curandum ut quatenus fieri possit, sit populo conspicua : nam prælaudatus Pontifex decrevit : « sine imagine Crucifixi, quæ pendeat e cruce, rem divinam fieri non posse, nisi necessitas intervenerit. » Damnandus nobis non videtur Missionarius, qui crucis parva imagine coronæ B. Virginis appensa in necessitate utitur : sed oportet hanc præcavere necessitatem. Si nulla omnino reperiri possit crux, videtur excusare necessitas, quando fideles alioquin Missa carerent. Si crucifixi imago in tabula majoris altaris sit depicta, vel Crucifixi statua, cruce altera opus non est, quamvis laudabiliter adhibeatur. Exposito SSmo Sacramento crux poni, vel omitti, poterit, pro ecclesiarum more.

102. *Missale* sub gravi peccato adhibendum est : temere enim quis memoriæ fideret in tanti mysterii celebratione. Communissima est sententia sacerdotem qui certo novit se haud facile memoria lapsurum excusari, si deficiente Missali, celebret : sed plerumque liber apponendus est ne fideles mirentur. Qui debilioris est visus, aliquando dispensationem accipit celebrandi, appositis conditionibus; « quod non sit omnino cæcus, et memoriter non recitet. » Cæco vix unquam facultas celebrandi conceditur. Pulvinus supponendus est Missali, qui tamen in missionibus haud facile haberi potest.

103. « Altare *pallio* quoque ornetur, coloris quoad fieri potest diei festo, vel Officio convenientis. » Ita præscribit Rubrica : quapropter id sub peccato veniali requiri censet S. Alphonsus :[3] quod tamen apud nos fere nusquam adhibetur. Ubique fere negligitur, si altare ex marmore sit.

104. « Parentur *ampullæ vitreæ* vini et aquæ cum pelvicula et manutergio. » Vitreæ ampullæ argenteis sunt anteferendæ, quum vinum ab aqua facilius in iis distinguatur. In missionibus vasa quæcumque adhibentur.

105. *Velum et bursa*, intus habens corporale plicatum, adhibenda sunt : quapropter culpandi sunt qui omittunt alterutrum, vel corporale extra bursam deferunt.

106. *Corporale lineum* mundum rite benedictum necessarium est, quod commode possit hostiam cum calice continere : nam jure canonico statutum est esse celebrandum Sacrificium « in puro linteo ab Episcopo consecrato . . . sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit. »[4] Palla pari de causa linea esse debet; quapropter S. Rituum Congregatio sæpius vetuit sericas vel alterius materiæ adhibere; « in Sacrificio Missæ non adhibenda est palla a parte superiori drappo serico cooperta; »[5] quem tamen rigorem nuper mitigavit, permittens iis uti, quæ non habent mortuorum symbola in parte superiori. Benedicenda est palla instar corporalis.[6] Purificatorium lineum quoque sit necesse est : quod non indiget benedictione. Corporalia, pallæ et purificatoria, sunt omnino a subdiaconis

(1) Tom. ii. Bull. p. 125.
(2) S. Rit. Cong. an. 1663.
(3) L. vi. n. 393.
(4) Can. xlvi. dist. 1. *de consecr.*
(5) Decr. S. C. die 22 Jan. 1706.
(6) S. Alph. l. vi. n. 387.

aut aliis clericis lavanda, antequam laicis tradantur, quibus secundam et tertiam lotionem facere permittitur, et aqua lotionis in sacrarium projicienda est.

§. III. De sacris vasibus.

107. *Calix et patena consecrata* requiruntur : « calix autem debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum patena intus inaurata. » Cogente paupertate stanneus permittitur, sed ligneus vitreusve omnino prohibetur : « quia scilicet lignum porosum est, et sanguis consecratus in eo remaneret : vitrum autem fragile est, et posset fractionis periculum imminere.» [1] « Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat : de ære aut orichalco non fiat calix : quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat : nullus autem in ligneo aut vitreo calice præsumat Missam cantare. » [2] Licet igitur stanneo calice uti, quapropter Missalis Romani Rubricæ notant inter defectus : « si non adsit calix cum patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea, non ærea, vel vitrea. » [3]

108. Consecratione nova opus est, si calicis cuppa a pede divellatur : secus si pes sit tornatilis : item, si cuppa inaurata sit iterum, adeo ut superficies nova sit : [4] non item si inauratio per longum usum deperdita sit : habetur enim adhuc consecratus.

109 *Vas in quo reponitur Eucharistia ægrotis ministranda* benedictum esse debet speciali forma in Rituali Romano præscripta, ob tanti Sacramenti reverentiam. [5] Ciborium etiam et circulus, seu lunula, ubi reponitur hostia consecrata populo exponenda, eadem ratione benedicenda sunt. [6]

110. « Sacra vasa non ab aliis quam a sacratis Deoque dicatis hominibus tractentur. » [7] Ita in jure statuitur. Peccatum est grave si quis præter sacerdotem vel diaconum ea tangat, dum Corpus vel Sanguinem Domini continent ; [8] veniale si reverenter tangantur vacua : sed absque culpa in necessitate tanguntur, vel venia ab Episcopo data. Invaluit alicubi mos ut ab inservientibus Missæ tangantur. Sacristis aliquando fit licentia ea tangendi ob quamdam necessitatem, sed non licet eam cæteris absque discrimine concedere : et quatenus fieri possit, soli sacerdotes, vel sacri ministri debent ea tangere. Iis qui in seminario degunt, sacros Ordines nondum adeptis, plerumque indulgetur ut ea tangant, ob causam aliquam æquam. Mos autem parandi in altari calicem, ante sacerdotis accessum, emendandus est, quum hic eum debeat secum deferre, juxta Missalis præscriptum.

§. IV. De vestibus.

111. *Vestes benedictæ* requiruntur, amictus scilicet, alba, cingulum, manipulus, stola, et casula. Corporalia, pallæ, et purificatoria e linio, vel cannabe omnino esse debent : sed et alba, amictus, tobaleæ, et mappulæ ejusdem materiæ sint, oportet. [9] Quod si desit aliqua, omittenda est Missa, nisi gravis urgeat causa, v. g.

(1) S. Thom. iii. p. qu. lxxxiii. art. iii. ad 6.
(2) Can. xlv. dist. 1. *de consecr.*
(3) *De defectibus in ministerio.*
(4) Vide S. Alph. l. vi. n. 371.
(5) S. Thom. iii. p. qu. lxxxiii. art. iii.
(6) S. Alph. l. vi. n. 385.
(7) *De consecr.* dist. 1. c. xli. In sancta hac.
(8) S. Alph. l. vi. n. 382.
(9) S. C. R. die 15. Maji 1819. n. 4413.

ut populo fiat copia præcepti implendi: in qua rerum conditione celebrari poterit, si minor tantum vestis desideretur, v. g. amictus, vel cingulum. Mortale est peccatum celebrare absque stola, manipulo, alba, vel casula, juxta communem sententiam. [1] Nunquam licet etiam metu mortis absque ulla veste sacra celebrare, quum præstet sacrificium prorsus omittere, quam parum decore conficere. Vestes amplius benedictæ non censentur, si adeo lacerentur ut idoneæ non sint usui destinato: non autem si paulatim reficiantur. Color vestium juxta Rubricas Missalis servandus est, sub veniali saltem culpa: mortale foret eum negligere cum gravi populi offensione, v. g. nigras vestes adhibere in festis præcipuis: Missionarii autem plerumque non possunt varietatem colorum servare, ideoque facile excusantur. Cæterum vestes quæ varios habent colores, [2] vel flores, vel quæ flavi sint coloris, non probantur. Non licet Missas defunctorum dicere, nisi in vestibus nigris aut violaceis.

112. *Immunditles notabilis* in vestibus, vel aliis rebus ad sacrificium adhibitis vix potest a peccato gravi excusari: « Præcipimus, » inquit Concilium Lateranense IV. « ut oratoria, vasa, corporalia, et vestimenta munda et nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis. » [3] Animadvertit etiam Missale Romanum: « Paramenta non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, et decenter munda, ac pulchra. » [4] Quæ vetustate facta sunt inepta, sunt incendio consumenda: [5] nec enim licet ad usus profanos ea convertere: nam « semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum. » [6] « Corporale tum amittit benedictionem, cum redditur ineptum diminutione vel fractione ad decenter continendum calicem cum patena; Alba, cum ab ea manica abscinditur; cingulum, cum ita rumpitur, ut neutra pars cingere possit; Stola, cum non potest humeros operire; et idem dicendum, si aliqua ejus pars scinditur, quamvis statim sarciatur, quia jam suam formam amisit. » [7]

CAPUT V.

DE MODO CELEBRANDI.

—

§. I. De sacerdotis habitu.

113. « Jure canonico *vetatur velato capite* altario Dei assistere: » [8] pileolo idcirco non licet uti, absque pontificia venia, prout decrevit Urbanus VIII. Solet tamen alicubi usque ad Præfationis initium gestari, deinceps nonnisi post communionem resumendus. Capillitium adscititium, nonnisi ex eadem venia permitti posse in Sacro conficiendo declarat Benedictus XIV. [9] Innocentii XII. referens decretum.

114. *Nudis pedibus* celebrare *indecens est*, et si absit necessitas, culpa saltem venialis: sed sufficit ut quis crepidis sit indutus. Qui opus habet baculo dum celebrat, potest eo uti, juxta Croix aliosque. Qui nequit celebrare nisi utroque brachio altari innixus, excusatur si ex devotione

(1) S. Alph. l. vi. n. 377.
(2) Dec. 4506. 4520.
(3) Cap. ult. *de custod. Eucharistiæ*.
(4) Ritus servandus in cel. Miss. §. i. num. 2.
(5) *De consecr.* dist. i. c. xxxix. *Altaris pallæ*.
(6) Reg. li. juris in 6.
(7) S. Alph. l. vi. n. 372.
(8) C. lvii. dist. 1. *de consecr.*
(9) *De Syn. diœc.* l. ix. n. 35.

celebret.[1] Qui crure amisso, vel alias deformis horrorem incuteret, debet abstinere a publica celebratione.

§. II. De ritibus.

115. *Preces dum vestes induit* sacerdos, recitandæ sunt, prout præscribit Missale Romanum : quas omittere venialem culpam non excedit, vel nulla forsan est culpa, quum Rubricæ extra Missam præcepti vim non habeant :[2] quæ autem proponuntur recitandæ pro opportunitate sacerdotis, tamquam præparatio ad Missam, videntur arbitrio cujusque permitti. Hymnus « Benedicite » cum Psalmo « Laudate » et precibus in gratiarum actionem, recitandus est statim post Missam ex præscripto Missalis, quod negligere levis videtur culpa.

116. *In Missa celebranda ritus omnes* in Missali Romano præscripti diligenter et accurate servandi sunt, quin quid addatur vel omittatur : ita enim præcepit S. Pius V. Concilium Tridentinum quoque injunxit Episcopis curandum ne sacerdotes vel « ritus alios aut alias cæremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti et laudabili usu receptæ fuerint. »[3] Omnes igitur Rubricæ intra Missam servandæ, obligant sub gravi, vel levi culpa, pro rerum natura.[4] Levis quidem est culpa in re parva deficere; sed graviter peccatur, quoties quid magni momenti negligitur, vel adjicitur. In Canone præsertim omissio, vel additio, gravem facile inducit culpam. Quotiescumque animus est novum inducendi ritum, more Ecclesiæ posthabito, gravis est culpa; quæ ab iis admittitur, qui quæ secreto dicenda sunt, alta voce proferre affectant : quapropter in eos qui ritum Romanum damnant, anathema tulit Concilium Tridentinum : « Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; anathema sit. »[5] Mos apud nos inductus hymnum : « Veni sancte Spiritus, » ante concionem canendi tolerari poterit, vix autem decet ut sacerdos genuflexus maneat dum canitur.

117. *Grave est peccatum* adeo incuriose vel festinanter Sacrum peragere ut fidelibus offensioni sit et scandalo. Hinc qui intra quadrantem horæ Sacrum absolvunt, vix possunt gravi peccato immunes haberi, quum tam brevi temporis spatio nequeant preces integras recitare, ritusque reverenter perficere.[6]

118. *Missa semel inchoata* ad finem usque perducenda est : grave enim est peccatum tantum munus imperfectum relinquere. « Nullus » inquit Concilium Toletanum VII. « absque proventu patentis molestiæ, minister, vel sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. »[7] Si quis post consecrationem recedere cogatur ob gravem ægritudinem, debet, si valeat, redire, ut perficiat Sacrificium ; si non possit, curandum est ut sacerdos alius, etiamsi non jejunus, perficiat. Recedendum est, si absque scandalo fieri possit, quoties quis ante consecrationem peccati mortalis sibi fit conscius, non tamen superveniente inani mentis scrupulo. « Quod si timeatur incursus hostium, vel allu-

(1) S. Alph. l. vi. n. 402.
(2) Ibidem, n. 399.
(3) Sess. xxii. in dec. *de observ. et evit. in cel. Missæ.* Vide rituum plerorumque explicationem apud S. Thom. iii. p. q. lxxxiii. art. iv. *Resp.*
(4) S. Alph. l. vi. n. 399.
(5) Sess. xxi. can. ix.
(6) S. Alph. l. vi. n. 400.
(7) Causa vii. qu. i. n. 16. *Nil contra ordinis statutum.*

vionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa; post consecrationem vero sacerdos accelerare poterit sumptionem sacramenti, omissis omnibus aliis. »[1] Etiam post hostiam consecratam, licebit aliquando recedere, vino haud consecrato, quando necessitas hujusmodi cogit: nam non tenetur ad sacrificium perficiendum cum tanto sui discrimine.

119. *Missa ad breve tempus interrumpi* potest ut morituro dentur Sacramenta necessaria : quod intelligendum est de eo qui in exitu vitæ manifesto versatur : nec enim ob discrimen quodcumque, præsertim incerto nuntio, licet ab incepto desinere. Concio etiam laudabiliter ex vetustissimo more post Evangelium habetur, commendantur fidelium precibus defunctorum animæ, et annuntiantur festa et jejunia. Cæterum vitanda sunt omnia quæ possunt sacrificii dignitati detrahere, ideoque quæ res amissas spectant, vel sæculi negotia, licet cum Religionis utilitate aliquatenus conjuncta, non sunt facile immiscenda. Ob Confirmationis ministrationem vix interrumpenda est Missa, quum præstet eam antea vel postea dare.

120. *Qui ordinarias Missæ partes omittit*, scilicet Confessionem in principio Missæ, Epistolam, Evangelium, Collectas principales, Offertorium, Præfationem, fractionem hostiæ, et illius immissionem in sanguinem, peccat mortaliter, juxta communem sententiam. Quod si quis ex errore aliam pro alia Epistolam Evangeliumve recitaverit, non debet omissa recitare, ne ordo sacrificii turbetur; facile autem error hic vacat culpa, vel nonnisi venialis est. Epistolam vel Evangelium haud recitare privatim in Missa solemni, non videtur gravis culpa, cantantur quippe a subdiacono et diacono; culpa tamen omnis non caret, quum Rubrica præscribat celebranti ea privatim recitare.

121. *In Canone quid mutare vel omittere* consulto, gravis plerumque est culpa : est enim solemnis maxime oratio et ritus. Qui igitur omittit quamlibet orationem, vel verba mutat, cum sensus detrimento, graviter peccat. Idem dicendum de omissione orationis Dominicæ, vel *Agnus Dei*, vel *Libera nos*, vel *Domine, non sum dignus*, vel *Quid retribuam*, vel nominum plurium Sanctorum. Qui omittit purificare patenam et calicem graviter peccat.

122. *Qui omittit Kyrie eleison* videtur nonnisi venialiter peccare, nisi scandalum præbeat : ob quod etiam facile peccatur graviter, omittendo Evangelio S. Joannis sub finem, quamvis per se leve sit. Veniale est omittere Psalmum *Judica*, vel unam ex tribus collectis principalibus, vel alias collectas principali adjectas.

123. *Veniale est* omittere signum crucis super aquam, ablutionem digitorum in Missa, unam vel alteram crucem super oblata, tunsionem pectoris, aut lotionem manuum.

124. « *Mutilare autem verba*, aut syncope intermediare, salvo sensu et secluso scandalo, non est plus quam veniale : »[2] nullum vero peccatum est, si ex defectu naturali contingat, cui tamen emendando oportet.

125. *Veniale est* peccatum aqua in calice purificando uti: nam « semper sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum. »[3] Sed ob vini penuriam id aliquando licebit, vel etiam si sacerdos abstemius vix possit vinum

(1) Missale Rom. *de defectibus* x. 2.
(2) S. Alph. l. vi. n. 407.
(3) Can. iii. Ex parte v. *de cel. Miss.*

bibere. In abluendis digitis vinum etiam est adhibendum, sed ob æquam causam sola aqua uti quis poterit.

126. *Unico haustu* divinum potare sanguinem præstat, calice semel ori admoto, et mora quadam facta ut attrahantur reliquiæ. Monuit autem S. Pius V. ut vinum ad purificationem tantum adhibeatur, quantum in consecratione, et per eamdem partem calicis infundatur, qua haustus est sanguis.

127. Partes *extraordinarias* Missæ, quæ scilicet nonnisi in quibusdam diebus adjiciuntur, omittere plerumque est veniale : v. g. *Gloria*, *Credo*, specialem Præfationem, speciale initium Orationis : *Communicantes*, aut *Hanc igitur* : sed scandali vel contemptus ratione posset fieri mortale. *Gloria* semper dicenda est in Missis votivis pro re gravi, et publica causa.

128. *Lavare manus* ante Missam quisque sub veniali tenetur. Mortale foret eam celebrare manibus valde immundis : post Missam manus non sunt necessario lavandæ.

129. *Distractio voluntaria* præsertim in Canone recitando, et sub consecrationis tempus, facile est grave peccatum Peccatur quoque graviter ita se gerendo in tremendo hoc munere, ut fidelibus pariat gravem offensionem.

130. *Addere aliquid Missæ* animo novum inducendi ritum, peccatum mortale est. Qui autem ex pietatis studio, haud secundum scientiam adderet collectas ex Missali, vel *Credo*, vel *Symbolum*, venialis culpæ reus plerumque foret. Qui in Missa mortuorum recitaret *Gloria*, mortaliter peccaret, nisi ex animi simplicitate excusaretur. Prohibetur addere nomen alicujus Sancti in Confessione, vel in Canone, vel in Litaniis publicis. In Oratione *A cunctis*, nomen Sancti cui dicata est Ecclesia adhibendum est. [1]

131. *Collecta* ex Præsulis jussu dicenda, quarto loco dicitur, [2] quando tertia ad libitum præscribitur.

132. *Exposito SSmo Sacramento*, adhuc in festo duplici, potest de eo fieri commemoratio, ex decreto S. C. Rituum : Præfatio autem communis, vel festi quod celebratur, tunc dicenda est.

133. *Quæ dicenda sunt secreto*, sacerdos debet ita pronuntiare, « ut ipsemet se audiat, » juxta Rubricas. Quod si verba consecrationis ita proferat, ut ne ipse quidem se audire possit, peccat graviter : exponit quippe temere sacramentum periculo, ne irritum sit, quum, juxta Palai sententiam, verba haud audita non sint oratio vocalis. Cæterum si verba audiri possint, licet ipse, surdus factus, ea non audiat, non est culpandus. Submisse dicere quæ alta voce sunt dicenda, plerumque veniale est : gravius peccatur alte dicendo quæ sunt secreto recitanda, præsertim si id ex affectato quodam pietatis studio proveniat, uti in more erat Jansenianis : sed quod nullum hujusmodi pravum principium habet adnexum, labe mortali caret.

134. *Ministro Missæ inserviente* opus est, eoque masculo : nam vetatur mulieri ad altare accessus : « Nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare. » [3] Cæterum Missionariis indulgetur ut absque ministro celebrent, si nullus præsto sit. Quod alicubi consueverint moniales, vel sorores Charitatis, a choro vel alio loco longinquo respondere, tolerari posse videtur. Est

(1) S. C. R. 4299. 15.

(2) 2. n 3665. (3) Cap. 1. *de cohab. cler.*

peccatum mortale, teste S. Alphonso, si mulier porrigat urceolos, vel alias apud altare ministret.

§. III. De Missarum discrimine.

155. *Rubricæ de Missis dicendis* servandæ sunt, quapropter indubium videtur eum graviter peccare qui ordinem turbat, Missam quæ festo duplici præscribitur, pro alia temere mutans. Equidem Missæ quæ dicuntur *votivæ*, scilicet pro devotione cujusque dicendæ, prohibentur in diebus Dominicis, et in omni festo duplici, et intra Octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in die Cinerum, in Hebdomada majori, et in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, ex decreto S. Cong. Rituum 28 Augusti 1627; item infra Octavam Corporis Christi, ex decreto 21 Junii 1670, approbato a Clemente X., Missæ defunctorum iis diebus pariter prohibentur: sicut et in ecclesiis in quibus expositio fit SS. Sacramenti per 40 horas, vel festum duplex celebratur, etiamsi ex voluntate testatoris celebrandæ forent. Vide decretum 27 Aprilis 1797. In aliis temporibus permittuntur, sed plerumque Missa cum Officio concordare debet. Videtur grave peccatum Missas defunctorum diebus vetitis, præsertim solemnioribus, celebrare. Vide decretum S. C. 5. Augusti 1662. In professione Regularium non licet, die vetito, Missam votivam de Spiritu sancto celebrare; id enim prohibitum a S. C. 24 Julii 1683.

156. *Missæ votivæ* permittuntur diebus vetitis ob publicam necessitatem. Missa defunctorum in die obitus, præsente cadavere, potest dici, adhuc Dominicis, et festis duplicibus, ex decreto S. C. 23 Maji 1603, exceptis vero festis 1 classis ex decreto 5 Julii 1698. Quando notitia primum habetur mortis alicujus procul defuncti, Missa *de Requiem* celebrari potest, etiam in die festo, non tamen de præcepto: quo occurrente, differenda est ad sequentem diem, ex decreto 4 Maji 1686. Hæc autem omnia decreta intelligenda sunt de Missis solemnibus, non privatis, ex decreto 10 Januarii 1693. Missæ anniversariæ in die obitus, relictæ ex testatorum dispositione, possunt celebrari in die festo duplici, non de præcepto, ex decreto 2. Novembris 1662. Missæ in die tertio, septimo, et trigesimo, eodem gaudent privilegio. Parochianis petentibus sæpius per annum pro aliquo defuncto in die anniversaria obitus, indulgeri posse, cantando Missam *de Requiem*, declaravit S. Cong. 19. Junii 1700. Quod si contingat in die festo de præcepto, poterit pridie cantari, vel in diem posterum differri, ex decretis 23 Maji 1603, et 5 Julii 1698.

§. IV. Decreta specialia.

157. Quædam specialius notanda duximus in lectorum utilitatem. « Sacerdos, *qui celebrat Missam conventualem*, in qua chorus tenetur cantare Symbolum, non potest illam prosequi tempore quo a choro Symbolum cantatur: » ex decreto S. Cong. 17 Dec. 1693. Ita refert S. Alphonsus. Decisio hæc nos vix respicit, quum apud nos chorus non teneatur cantare, sed munus sponte peragat. Sed inde colligitur non oportere ut sacerdos prosequatur Missam, dum Symbolum in choro canitur.

158. *Inferioribus Episcopo* non permittitur sumere de altari paramenta pro Missa, ex decreto 7 Julii 1712: sed si urgeat necessitas, potest sacerdos ex angulo altaris ea sumere; quod tamen vitari facile potest mensa ad latus altaris ponenda.

159. « Non licet in Ecclesiis in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebratio Missæ in Cœna Domini: nec ejus asservatio in sepulchro, »

ex decreto 24 Junii 1659. « Non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica, et Episcopi facultas intervenerit » declaravit Benedictus XIV. 16 Aprilis 1746, et Regulares adstringi hac in re Episcopi auctoritate constat ex decreto S. C. Concilii 17 Augusti 1630.

140. « Eucharistia *in Ecclesiis quæ parochiales non sunt*, retineri non potest absque Apostolico indulto, vel consuetudine immemorabili, quæ hujusmodi indulti præsumptionem inducit. » Ita declaravit Benedictus XIV. in Bulla : *Quamvis justo* etc. data 30 Aprilis 1749. In Ecclesiis monialium viventium in clausura permittitur, ex decreto S. C. Concilii in Ulyssiponensi anno 1585. Sed jam ubique fere in ecclesiis omnibus retinetur. Jus retinendi claves tabernaculi pertinet ad parochum, et non permittendum est monialibus, vel laicis, neque in feria quinta Cœnæ Domini. Ex speciali S. Sedis indulto conceditur sororibus Charitatis aliisque feminis pium institutum professis, quæ orphanotrophiorum, nosocomiorum, et ædium aliarum curam gerunt, ut Eucharistiam in sacello suo habeant, lucerna coram ardente, et clavi sacerdoti tradita.

141. In communione danda monialibus non est danda benedictio cum pyxide a fenestrella, sed tantum dextera manu. Sacerdos descendens ab altari cum pyxide debet per anteriores gradus, non per laterales descendere, ex decreto S. C. Rituum die 15 Septembris 1737. Vetuit Concilium Tridentinum ne Eucharistia intra chorum sanctimonialium servaretur. [1]

142. Districte vetuit S. Cong. Rituum 24 Martii 1657 in Ecclesiis cantiones, vel quorumvis verborum cantum materno idiomate : quod tamen in plerisque Germaniæ Ecclesiis, et apud nostrates sæpe adhibetur. Ut modum poneret usui invalescenti, quem vix poterant tollere, Patres Baltimorensis III. Concilii statuerunt « carmina vernaculo idiomate, inter Missarum solemnia, vel Vesperas solemnes, decantare non licere. » [2] Igitur omni studio curandum est, ut ea omittantur in solemnioribus muneribus, quamvis haud facile definiverim gravem esse culpam ea in choro decantare, consuetudine hactenus non abrogata. S. Cong. ipsa permisit ut post Benedictionem SSmi quædam vernacula lingua canerentur : [3] quæ tamen noluit cani, exposito Sacramento.

CAPUT VI.

DE MISSA APPLICANDA.

143. Ex veteri more oblationes in Missa faciendi, manavit consuetudo eleemosynam tribuendi sacerdoti ea conditione, ut specialiter applicaret Missam juxta intentionem dantis : nam præter utilitatem toti Ecclesiæ et sacerdoti ipsi ex sacrificii oblatione obvenientem, specialis provenit fructus ei pro quo offertur. Id Dei in antiqua lege institutis concordat, quo exemplo usus est Apostolus, ut ostenderet fideles debere sacris ministris præstare necessaria vitæ subsidia : « Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? » [4] Lege autem, vel consuetudine, eleemosyna illa definitur, quæ apud nos dimidio nummo argenteo, quinquaginta scilicet obolis, constat. « Sacerdos, » inquit S. Thomas, « non accipit pecuniam ut pretium consecrationis Eucharistiæ : hoc

(1) Sess. xxv. c. x. de Regularibus.
(2) Decr. VIII.
(3) Die 3 Aug. 1839. in Bobiens. ad 2. (4711.)
(4) 1 Cor. ix. 13.

enim simoniacum; sed quasi stipendium suæ sustentationis. »[1]

144. Si quis consuetudinis optime conscius, pecuniam det ampliorem, censetur eam liberaliter donare: »[2] sed peccat contra justitiam sacerdos qui eam exigit, et excessum tenetur restituere.[3] Regulares etiam Episcopi statuto, quo eleemosyna definitur, stare coguntur.[4] Prohiberi potest ab Episcopo ne minor accipiatur, ne vilescat sacrum ministerium; vel ne major exigatur:[5] sed non potest prohiberi ne major accipiatur a sponte dante.[6] Qui ampliorem accepit eleemosynam, non potest alteri minorem dare ut Missam celebret, reliqua parte sibi retenta; id enim vetuit Urbanus VIII. Constitutione: *Cum sæpe*; quapropter damnata est propositio: « Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. »[7] Quod si donator omnino voluerit eas ab ipso cui dedit eleemosynam celebrari, erit mortale ejus voluntatem negligere.[8]

145. Non licet eleemosynam accipere ob Missam quam quis obtulit pro eo qui proxime eleemosynam offerret: nam id vetitum est a S. Congregatione, auctoritate Pauli V: sed qui Missas celebraret pro quodam determinate, noscens stipendium deinceps sibi offerendum, satisfaceret, et illud retinere posset. Injustum foret a pluribus eleemosyna accepta, unicum pro omnibus offerre sacrificium, eo prætextu quod infiniti sit valoris; nam ex Ecclesiæ mente et ex dantium intentione, totus fructus specialis sacrificii singulis seorsim est applicandus: quapropter damnata est propositio: « Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre, neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram. »[9] Damnata est etiam altera propositio: « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem: idque post decretum Urbani VIII. »[10] S. Congregatio, etiam probante Urbano VIII. declaravit: « Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis, susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere. »[11]

146. Missarum mercimonia, qua quis eleemosynas colligens ubi majores dantur, Missas alibi minori stipendio celebrari curat, sub excommunicationis pœna laicis, suspensionis vero reservatæ Pontifici, clericis et sacerdotibus vetatur.[12]

147. Eleemosynas ab hæreticis non licet accipere ea conditione ut Missam pro iis offeramus, quum foret quædam in sacris communio:[13] pro iis autem

(1) 2. 2. qu. x. art. ii. ad 2.

(2) *De Syn. diœc.* l. vi. c. ix. n. 2.

(3) Ibidem, c. viii. n. 9. Vide et Conc. Tolet. anno 1324. c. vi. apud Harduin. t. 7. col. 1849.

(4) S. Cong. Conc. 15. Jan. 1693. in una *Romana*, l. xvi. decret. p. 138.

(5) Ibidem, 16 Julii, 1689.

(6) Ibidem, 16 Januarii, 1749. l. xviii. decr. p. 575, *a tergo*.

(7) IX. inter damnatas ab Alexandro VII.

(8) Vide S. Alph. l. vi. n. 321.

(9) X. inter damnatas ab Alexandro VII.

(10) VIII. — Ibidem.

(11) In Bullario tom. iv. p. 91.

(12) Bened. XIV. Const. xxii. *Quanta cura*, tom. i. Bullarii p. 55.

(13) Amort. v. 3. p. 309. Vide P. Philippum a Carboneano *app. ad tract. de Euch.* Antoine §. iv. qu. 5.

licet orare in Sacrificio celebrando, ut fidei lumen accipiant, et salutem. Pro decedentibus apud sectas absque ullo indicio desiderii communionis Ecclesiæ non videtur licere Sacrificium offerre, quum suffragiorum privatio excommunicatis irrogetur.

147. *Si quis eleemosynam acceperit* ut offerat Sacrificium pro felici partu, vel re alia quæ imminet, non satisfacit obligationi, celebrando post rei eventum: peccat idcirco graviter fide fallenda, et tenetur restituere eleemosynam, etsi deinceps celebraverit.[1] Si tempus celebrandi a dante eleemosynam definiatur, v. g. quodam die festo, peccat qui in alterum diem differt. Si nullum adsignetur tempus, nec res urgeat, intra modicum tempus obligationi satisfacere oportet: gravis enim est culpa celebrationem diu differre, puta ultra mensem.[2] Dilatio mensis habetur gravis in Missa pro defunctis celebranda. Voluntas dantis eleemosynam semper attendenda est; aliquando enim datur præcipue ad subveniendum sacerdoti, et onus celebrandi non adeo stricte imponitur.

148. *Etsi eleemosyna data modica sit*, quam injuste auferre non foret mortale, peccatum tamen grave admittitur Missa omittenda: quia ea conditione est accepta, ut Missa celebretur, ideoque ex justitia obligatio contracta est: gravis autem est injuria aliquem Missæ fructu injuste privare. Ita sentit S. Alphonsus, qui tamen excusat a mortali qui negligit celebrare Missam quam liberaliter promisit, nulla accepta eleemosyna, quia hujusmodi promissio non videtur graviter obligare. « Omnes autem conveniunt peccare graviter, qui omittit Missam debitam ex voto, aut præcepto Prælati; quia nemo dubitare potest hanc esse materiam gravem in voto, vel præcepto. »[3]

149. *Si quis exigua acceptarit stipendia*, sive ab uno, sive a pluribus, scienterque sese obligarit ad quemdam numerum Missarum celebrandum, tenetur eas celebrare, juxta decretum S. Congreg. Concilii, confirmatum ab Urbano VIII. « S. Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. »

150. *Pacta de Missis celebrandis*, ob justum stipendium juxta consuetudinem probatam, nihil habent per se vitii, sed evitanda est diligenter omnis species turpis lucri. Si testator reliquerit legatum, conditione adnexa offerendi Missas pro ejus anima, intentio ejus investiganda est: si enim sibi visus sit proposuisse præcipue communitati, vel sacerdoti subvenire, Missarum numerus arbitrio eorum permissus censebitur: secus si suæ saluti præsertim voluerit consulere Missarum celebratione: tunc enim Missarum numerus juxta consuetum stipendium definiendus erit, nisi aliud Episcopo, habita ratione morum regionis, videatur.

151. *Qui eleemosynam accepit, debet* Missam celebrare pro defunctis, vel votivam, vel alias, prout petivit donator; quod si obstent Rubricæ, debet eum monere. Cæterum justa de causa poterit a petitione aliquatenus recedere, voluntatem petentis æque interpretans. « Cum multæ Missæ votivæ sint acceptæ, et non sufficiant dies non impediti, possunt applicari Missæ currentes, ut declaravit S. C. 19. Maji 1614. » Equidem voluntas Ecclesiæ præferenda est voluntati dan-

(1) S. Alph. l. vi. n. 517.

(2) Dec. S. Cong. Conc. 17. Julii 1655, apud Bened. XIV. *Notif.* lvi.

(3) L. vi. n. 317.

tis eleemosynam, qui sacrificii fructum percipiet, licet preces diversæ sint. [1]

152. *Reductio numeri Missarum* quæ in testamento præscriptæ sunt, vel in fundatione impositæ, nonnisi auctoritate Pontificis fieri potest. [2]

153. Applicatio Missæ facienda est vel ante Missam, vel ante consecrationem, vel in ipsa consecratione : cæterum habitualis intentio videtur sufficere, adeo ut qui per mensem celebret, ex intentione prævia applicandi Missas illas cuidam, revera satisfaciat, licet in ipsis nil de eo cogitet. Sed si quis nullo prævio proposito emisso, nonnisi post consecrationem cogitet de Missa applicanda, jam non poterit eam applicare : vel saltem non censendus est satisfecisse oneri. Non sufficit intentio cuidam ex pluribus Missam applicandi, sed determinari[3] debet persona, quamvis necesse non sit ut nomine innotescat.

(1) Vide S. Alph. l. vi. n. 422.

(2) Ex decr. S. C. Concilii probante Urbano VIII.

(3) S. Alph. l. vi. n. 335.



TRACTATUS XVIII.

DE POENITENTIA.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA.

1. *Pœnitentiæ virtus* in ea animi dispositione posita est, qua homo de peccato admisso dolet ob Deum offensum, illudque in posterum vitare proponit, et pro viribus satisfacere. Sacramentum Pœnitentiæ est ritus a Christo institutus, quo peccata post baptismum admissa pœnitentibus remittuntur, sacerdotis opera. « Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus. » Ita docet Concilium Tridentinum. [1] « Necessarium est, » inquit S. Thomas, « ad salutem peccatoris quod peccatum removeatur ab eo : quod quidem non potest fieri sine Pœnitentiæ Sacramento, in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem sacerdotis simul cum opere pœnitentis, qui cooperatur gratiæ ad destructionem peccati Sicut enim dicit Augustinus super Joannem : « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. » Unde patet quod Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium ad salutem post peccatum : sicut medicatio corporalis, postquam homo in morbum periculosum inciderit. » [2]

2. *Materia hujus Sacramenti* qualis in baptismo nulla est; sed actus pœnitentis ejus rationem obtinent, et quasi materia habentur, et partes pœnitentiæ, juxta definitionem Tridentinam : « Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur. . . .; anathema sit »[3]« In illis Sacramentis,» inquit S. Thomas, « quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia et Matrimonio Sicut etiam in medicinis corporalibus quædam sunt res exterius adhibitæ, sicut emplastra et electuaria : quædam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quædam. » [4] Animi dolor, et confitendi et satisfaciendi propositum imo et confessio quædam, ad essentiam Sacramenti spectant, sed satisfactio ipsa nonnisi ad integritatem.

3. « *Materia proxima* hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis : cujus *materia* sunt peccata, de quibus dolet,

(1) Sess. xiv. cap. ii.
(2) iii. p. qu. lxxxiv. art. iv. *Resp.*
(3) Sess. xiv. can. iv.
(4) iii. p. qu. lxxxiv. art. iv. ad 1.

et quæ confitetur, et pro quibus satisfacit. Unde relinquitur, quod remota materia pœnitentiæ sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda et destruenda. » Ita S. Thomas. [1] Materia *necessaria* dicuntur peccata mortalia, post baptismum admissa : materia *sufficiens* sunt peccata venialia, vel peccata mortalia jam remissa. Quæ ante baptismum sunt patrata, lavacro abluuntur : quod si pœnitentis animi defectu id non contingat, pœnitenti deinde remittuntur vi baptismi : « Fictio, » inquit S. Thomas, « non removetur per baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem : qua remota, baptismus aufert culpam et reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, et etiam simul existentium cum baptismo. » [2] Ipsam fictionem quæ in baptismo suscipiendo admittitur, necessariam esse pœnitentiæ materiam plerique putant, quum consummetur peccatum ipso fingentis in Ecclesiam ingressu : sed constat quæ præcesserunt peccata non esse Sacramenti Pœnitentiæ materiam. Venialia dicuntur materia sufficiens, quia possunt virtute clavium remitti : nam peccata omnia remittendi data est a Domino potestas : sed non necessaria materia, quia non excludunt hominem a regno cœlesti ; et multis aliis rationibus eorum veniam licet consequi. Quæ antea remissa sunt pœnitenti peccata, sunt materia sufficiens, quia iis iterum defletis, confirmari potest venia jam data, pœna remitti, et gratia amplior conferri. In mortis discrimine, quando confessionem moribundus nequit facere, vel doloris aliquod indicium dare, absolvitur aliquando, quamvis omnis actus sensibilis pœnitentis desit ; sed « præsumitur velle et petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, quamvis tunc ista signa confessarius non percipiat : sufficiunt enim talia signa in tanta necessitate, saltem ex prudenti dubio præsumpta, ad dandam absolutionem sub conditione. » [3]

4. *Forma Sacramenti Pœnitentiæ* sunt verba sacerdotis quibus absolvit pœnitentem a peccatis : scilicet : « Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Præclare, pro more, S. Thomas ait : « Hoc Sacramentum perficitur per ea quæ sunt ex parte sacerdotis : unde oportet, quod ea quæ sunt ex parte pœnitentis, sive sint verba, sive sint facta, sint quædam materia hujus Sacramenti : ea vero quæ sunt ex parte sacerdotis, se habeant per modum formæ. Cum autem Sacramenta novæ legis efficiant quod figurant, oportet quod forma Sacramenti significet id quod in Sacramento agitur, proportionaliter materiæ Sacramenti. Unde forma Baptismi est : « *Ego te baptizo :* » et forma Confirmationis est : « *Consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis,* » eo quod hujusmodi Sacramenta perficiuntur in usu materiæ. In Sacramento autem Eucharistiæ, quod consistit in ipsa consecratione materiæ, exprimitur veritas consecrationis, cum dicitur : *Hoc est Corpus meum.* Hoc autem Sacramentum, scilicet Pœnitentiæ, non consistit in consecratione alicujus materiæ, nec in usu alicujus materiæ sanctificatæ, sed magis in remotione cujusdam materiæ, scilicet peccati : prout peccata dicuntur esse materia pœnitentiæ : ut ex supra dictis patet. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur : *Ego te absolvo :*

(1) iii. p. qu. lxxxiv. art. ii. *Resp.*
(2) Ibidem, qu. lxix. art. x. ad 2.
(3) S. Alph. l. vi. n. 482.

nam peccata sunt quædam vincula, secundum illud Proverbiorum V.: «Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur. » Unde patet, quod hæc est convenientissima forma hujus Sacramenti : *Ego te absolvo.* »[1]

5. *Quod autem auctoritatem divinam sibi sacerdos usurpare videatur*, a peccatis absolvendo, explicat Angelicus Doctor : « Solus Deus per auctoritatem, et a peccato absolvit, et peccatum remittit : sacerdotes tamen utrumque faciunt per ministerium : in quantum scilicet verba sacerdotis in hoc Sacramento instrumentaliter operantur in virtute divina, sicut etiam in aliis Sacramentis. Nam virtus divina est, quæ interius operatur in omnibus sacramentalibus signis, sive sint res, sive verba. . . . Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, scilicet ut dicatur, « *Ego te absolvo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti :* » vel per virtutem passionis Christi. »[2] « Cum dicit : Ego te absolvo, ostendit hominem absolutum, non solum significative, sed etiam effective. Nec tamen loquitur quasi de re incerta : quia sicut alia Sacramenta novæ legis habent de se certum effectum ex virtute Passionis Christi (licet possit impediri ex parte recipientis) ita etiam in hoc Sacramento. Unde Augustinus dicit in libro de adulterinis conjugiis : « Non est turpis, nec difficilis, post patrata et purgata adulteria, reconciliatio conjugii, ubi per claves regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. »[3]

6. Utrum verba : « *a peccatis tuis* » necessaria sint ut valeat forma, disceptatur inter theologos ; quorum utraque sententia est probabilis ; sed tutiorem sequi necesse est, quum agatur de valore sacramenti. Si pronomen *te* omittatur, valere formam : « absolvo a peccatis tuis, » plures, aliis negantibus, affirmant. Quæ sequuntur voces : « in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » plerisque non videntur necessariæ ; sed omitti nequeunt absque culpa, saltem veniali.

7. Rituale Romanum præscribit *absolutionem dandam* post pœnitentiam adsignatam, et acceptatam, hac præcipue forma :

« Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, *suspensionis*, (*si pœnitens sit clericus*) et interdicti, in quantum possum et tu indiges. » *Deinde :* « Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. »

Præmittitur plerumque : Misereatur tui etc. » « Indulgentiam, absolutionem etc. » Sequitur autem oratio quæ incipit : « Passio Domini nostri Jesu Christi etc. » In brevioribus et frequentioribus confessionibus hæc licet omittere. Periculo mortis instante dici potest : « Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris etc. »

8. *Communiter dicunt theologi* omnes illas preces, exceptis verbis : « Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen ; « posse absque culpa omitti, [4] quum de iis tantum dicat Concilium Tridentinum eas Ecclesiæ more laudabiliter adjungi. [5]

9. « Dextera versus pœnitentem elevata » profert sacerdos verba : « Misereatur tui etc. » et absolutionis quæ

(1) S. Thom. iii. p. qu. lxxxiv. art. iii. *Resp.*
(2) Ibidem, ad 3. (3) Ibidem, ad 5.

(4) S. Alph. l. vi. n. 430.
(5) Sess. xiv. cap. iii.

15.

sequitur formam, sed manum non imponit : nam « ad hoc Sacramentum non requiritur manuum impositio. »[1] Emendandus idcirco est quorumdam mos manus capiti imponentium.

10. *Conditio nulla* temere adjicienda est formæ; sed simpliciter est proferenda, nisi gravissima suadeat ratio : nam in ritu ab Ecclesia præscripto non est facile quid mutandum. Equidem si dubitet sacerdos utrum vivat peccator, absolvere poterit, conditione animo concepta, vel voce prolata : « Si tu es capax, absolvo te etc. » nam animæ discrimen facit ut liceat quacumque ratione subvenire periclitanti. Multi etiam, cum S. Alphonso, putant absolvi posse pueros de quibus dubitatur, utrum peccati malitiam satis noverint, et de eo rite doleant : quod licere non tantum in mortis discrimine, et dum urget præceptum Paschale, sed et sæpius, ne pueri careant Sacramenti gratia, dicunt;[2] sed apponi nequit conditio, quæ ipsi absolutioni necessario inhæret, nempe : « si rite es dispositus; » nam Ecclesia utique in forma præscripsit quidquid generatim proferendum est, cui proinde nihil licet adjungere.

11. *Sub conditione futura* non licet absolvere : v. g. absolvo te, dummodo restitueris rem alienam; vel dummodo deserueris pravam consuetudinem : nec valet hujusmodi absolutio, quum sacerdos suspendat vim ejus usque ad rem eventuram, qua eveniente absolutio nequit vim obtinere, quum jam præterierit.

12. *Causæ justæ absolutionis*, adjecta conditione de præterito, vel præsenti, impertiendæ, sunt I. Si sacerdos dubitet utrum jam absolutionis verba protulerit, necne : tunc enim absolvere debet, conditione mente concepta, « si te non absolverim, te absolvo. » II. Si sacerdos dubitet utrum habeat jurisdictionem in pœnitentem, et res urgeat : tunc enim poterit absolvere sub conditione : « Si valeam, » monito tamen pœnitente ut sibi certius in posterum consulat, quærendo confessario, cujus jurisdictio sit certa : v. g. si dubitet, utrum habeat jurisdictionem. III. Si urgeat necessitas suscipiendæ Eucharistiæ. De peccatore qui facile relabitur in peccatum, censet S. Alphonsus eum non esse plerumque absolvendum, nisi specialia præbeat doloris indicia : aliquando tamen absolvi sub conditione posse, si timendum sit, ne dimissus absque absolutione suæ salutis curam penitus abjiciat, et in vitiis tabescat.[3]

CAPUT II.

DE CONTRITIONE.

13. *Contritio definitur* « animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. »[4] Vim vocis pulchre explicat S. Thomas : « ille qui in suo sensu perseverat, rigidus et durus, per similitudinem vocatur : sicut durum in materialibus dicitur, quod non cedit actui : unde et frangi dicitur aliquis, quando a suo sensu divellitur. Sed inter fractionem et comminutionem, sive contritionem, in rebus materialibus (unde hæc nomina ad spiritualia transferuntur) hoc interest. . . . . quod frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur : sed comminui vel conteri, quando ad partes minimas reducitur quod in se solidum erat. Et quia ad dimissionem

(1) S. Thom. iii. p. qu. lxxxiv. art. iv. *Resp.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 432.
(3) L. vi. n. 432.
(4) Conc. Trid. Sess. xiv. c. iv. *De Pœnit.*

peccati requiritur, quod affectum peccati homo totaliter dimittat, quem per quamdam continuitatem et soliditatem in suo sensu habebat : ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem. »[1]

14. *Perfecta* dicitur contritio, quoties ex Dei dilectione propter se oritur : *imperfecta*, si ex suppliciorum metu, vel peccati turpitudine concipiatur : quæ tamen odium peccati et propositum novæ vitæ includere debet, ut valeat ad veniam in sacramento impetrandam. Contritio perfecta, quæ votum sacramenti necessario includit, etiam ante illud susceptum veniam impetrat et gratiam pœnitenti : nam tota animi afflictione eum quærenti Deus eam pollicitus est. Sic populo Israelitico, in gentes omnes ob crimina dispergendo, dixit olim Moyses : « Cum quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ. »[2] Hinc Concilium Tridentinum agnovit contingere posse ut venia impetretur, antequam Sacramentum actu suscipiatur, non tamen absque ejus voto : « Docet etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, prius quam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. »[3] Damnata idcirco est Baji assertio : « Per contritionem etiam cum charitate perfecta conjunctam, et cum voto percipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti. »[4] Utrum autem charitas ipsa perfecta esse debeat, specie et gradu, controvertitur : plerisque opinantibus veram charitatem, quantumvis remissam, et gradu veluti minimam, veniam peccatorum afferre ; dicente Christo de singulis eum diligentibus : « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo.»[5] S. Thomas dicit : « Charitas non potest esse cum peccato mortali. »[6] Contritio igitur ex charitate, qua quis Deum amplectitur, veniam assequitur ante Sacramentum susceptum, quod tamen pœnitens in animo habet deinceps suscipere Anima ad Deum conversa, statim fit propitius : « Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum. »[7]

15. *Contritio*, *quatenus generatim intelligitur*, est omnino necessaria ut quis veniam peccatorum assequatur : nec enim Deus ignoscit peccatori quem delicti haud pœnitet : « Fuit autem, » inquit Concilium Tridentinum, « quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. »[8] Equidem, Christo monente, interitus manet haud pœnitentes : « Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. »[9] Hinc prædicavit : « Pœnitentiam agite. »[10] Animi quidem mutatio vi vocis μετανοέω indicatur ; sed et dolor de Dei offensa, cum conversione ad eum, cum ea necessario conjungitur : « Pœnitemini igitur » inquit Petrus, « et convertimini, ut deleantur peccata vestra. »[11] In dilectione Dei includitur peccati odium, quod tamen oportet elici, animo illud de-

(1) Suppl. iii. p. qu. i. art. i. *Resp.*
(2) Deut. iv. 29.
(3) Sess. xiv. cap. iv. *De Pœnit.*
(4) Prop. lxxi.
(5) Joan. xiv. 21.
(6) 2. 2æ. qu. xlv. art. iv.
(7) Zach. i. 3.
(8) Sess. xiv. cap. iv. *De Pœnit.*
(9) Luc. xiii. 3.
(10) Matth. iv. 17. (11) Act. iii. 19.

testante. « Impossibile est, « ait Origenes, « lapidei cordis aliquem et penitus non sentientem delictum suum, et ante vultum Dei superbientem, misericordiam consequi. »[1]

16. *In mortis articulo contritio perfecta* est elicienda, ex communiori sententia; oportet enim tunc saluti quam maxime consulere, ne quid forsan desit. In periculo mortis verosimili eadem ratione animæ est consulendum. Si nullum immineat periculum, peccati tamen reus est, qui diu differt admissa detestari, et ex animo ad Deum converti : nam communis vitæ conditio periculo haud vacat, et injuriam novam irrogat Deo, qui diu negligit gratiam ejus quærere, tantum bonum parvi faciens : quapropter Spiritus sanctus interitum ei intentat : « Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. »[2] Dilata conversione est periculum in peccatum relabendi : nam, ut sapienter monet S. Gregorius M. « peccatum quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. »[3] Cæterum certo statui nequit quando quis novi peccati reus sit ob neglectum contritionis eliciendæ, quum plurimum pendeat ex indole et lapsus periculo : quo enim quis proclivior est ad lapsum, eo magis tenetur pœnitentia cavere ne cadat. « Puto » inquit S. Alphonsus, « nullo modo excusari a mortali qui existens in mortali per notabile tempus differret pœnitentiam : tum quia peccaret contra præceptum charitatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcumque obstringit — tum quia insuper peccaret contra charitatem erga seipsum, cum se exponeret proximo periculo novarum culparum tentationibus succumbendi. »[4] Tempus autem ex speciali fragilitate uniuscujusque pendere indicat, rudesque plerumque a novo peccato excusari, quia animum non advertunt ad obligationem dolendi de admissis. Tenetur certe ad contritionem eliciendam, qui sibi conscius peccati mortalis, debet Sacramenta ministrare, vel vivorum Sacramentum suscipere : item qui nequit tentationes superare, nisi contritione : item quando tenetur charitatis actum elicere : nam si peccatum memoriæ occurrat, cum animi detestatione et dolore rejiciendum est.

17. *Ad venialium peccatorum remissionem animi pœnitentia* opus est; nam ipsa ratio suadet non dimitti peccatum ei cui non displicet illud admisisse. Hinc Augustinus ait : « Nec quemquam putes a quocumque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire. »[5] Cæterum pro minori delicti gravitate levior animi displicentia sufficit : « Non tamen, » inquit S. Thomas, « sufficit habitualis displicentia quæ habetur per habitum charitatis, vel pœnitentiæ virtutis : quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiratur quædam virtualis displicentia : puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quicquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se hæc commississe, etiam si actu de illo non cogitaret. »[6] Sed fieri potest ut quis quarumdam culparum veniam dolendo impetret, quin omnes ei remittantur, quum possit magis minusve acceptus Deo esse.

(1) Hom. v. in Ezech.
(2) Eccl. v. 8.
(3) L. xxiii. mor. cap. ix.
(4) L. vi. n. 437.
(5) Ep. xlviii.
(6) iii. p. qu. lxxxvii. art. i. *Resp.*

18. *Quoties quis accedit ad absolutionem impetrandam venialium tantum* delictorum reus, debet de uno saltem dolere, ut sit locus veniæ indulgendæ : secus frustra proferentur sacerdotis verba, et injuria gravis, uti plerique censent, fiet Christo, cujus institutum nullum fit et inane : non enim dimittitur peccatum nisi pœnitenti. Cæterum opus non est, juxta plerosque, ut singula peccata levia detestetur : nam unum absque altero remitti potest, quum charitas ea non necessario excludat. De multitudine et frequentia peccatorum venialium poterit etiam quis dolere, eaque minuenda proponere, vel graviora et magis voluntaria vitare. « Pœnitentia de peccatis mortalibus, » inquit S. Thomas, « requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis; sed ad pœnitentiam venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur : debet tamen habere propositum se præparandi ad venialia minuenda. » [1]

19. *Contritio necessaria* ad veniam et justitiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, debet esse *formalis*, *interna*, *supernaturalis*, *universalis*, *efficax*, et *summa*. *Formalis* contritio est peccati detestatio, quæ actu elicitur, animo illud aversante : *virtualis* contritio in charitate necessario includitur; nec enim quis poterit Deum vere diligere, quin peccatum odio habeat. Sic et propositum non peccandi in charitate includitur : sed qui ad Sacramentum accedit, debet illud elicere, sicut et peccatum detestari. *Interna* contritio omnino est : animi quippe est dolor, hortante Propheta, ut corda præ vestibus scindamus pœnitendo : « Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra : » [2] « Sacrificium Deo » ait Psaltes, « spiritus contribulatus. » [3] *Supernaturalis* debet esse contritio, ex Spiritus sancti inspiratione concepta, ob rationes fide innotescentes : [4] nec enim ignoscit Deus peccatori dolenti humanitus ob incommoda et mala quæ sibi evenerunt; facile autem contingit ut ex malis peccati effectibus pœnitentiæ supernaturalis nascatur occasio. *Universalis* sit oportet, omnia respiciens peccata gravia, quæ pœnitens admisit. « Falsam pœnitentiam esse constat, » inquit Concilium Lateranense II., « cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est : « Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus : » scilicet quantum ad vitam æternam; sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit. » [5] Singula peccata speciali dolore detestari necesse non est; imo nec expedit quæ lubrica sunt animo revolvere : sed omnia prorsus rejicienda sunt, et quæ animum magis devinctum tenuerunt, summo odio prosequi oportet [6] Si quis peccato graviori admisso, illud confiteatur cum vera detestatione et dolore, haud sibi conscius alterius peccati etiam mortalis, quod animo fovet, quærunt theologi utrum Sacramentum Pœnitentiæ suscipere dicendus sit : seu, uti scholastici loquuntur, utrum Sacramentum hoc validum esse possit, et informe. Plerique id affirmant, quia confessio, dolor, et absolutio habentur, quæ ad valorem Sacramenti videntur sufficere :

(1) iii. p. qu. lxxxvii. art. i. ad 1.
(2) Joel. ii. 13.
(3) Ps. l. 19.
(4) Vide Conc. Trid. Sess. vi. c. iii.
(5) Cap. xxii.
(6) S. Alph. l. vi. n. 438.

quod autem gratiæ obex ex peccato alio oriatur, facit Sacramentum informe. Dolor igitur universalis esse debet, adeo ut homo omne peccatum a se projiciat et detestetur. quo casu nulli dubium Sacramenti fructum haberi, licet peccatum memoriæ non occurrat. *Efficax* contritio sit necesse est, quatenus animum avellat a peccato, et paret ad omnia facienda quibus lapsus vitetur: nec enim sufficit animi displicentia quæ cum peccati affectu conjuncta est. Hinc Vates hortatur: « Projicite a vobis omnes iniquitates vestras in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum. »[1] *Summa* debet esse contritio, adeo ut homo peccatum præ alio quovis malo detestetur, et animo paratus sit illud numquam admittere, etiamsi oporteat idcirco gravia quæcumque tolerare: « Convertimini ad me, » inquit Deus, « in toto corde vestro. »[2] Attamen necesse non est ut vehementior sit doloris sensus, qui plerumque ex rebus quæ sensus afficiunt facilius oritur; sed sufficit ut animi judicio et æstimatione peccatum malo quovis alio gravius habeatur, quod voluntas proinde præ cæteris malis aversatur et rejicit. S. Thomas rem dilucide explicat: « In contritione est duplex dolor. Unus est in ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, qui nihil aliud est quam displicentia præteriti peccati: et talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores: quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet: finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur: et ideo peccatum quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet. Alius dolor est in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore: vel ex necessitate naturæ, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum: vel ex electione, secundum quod homo pœnitens in seipso hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat. Et neutro modo oportet, quod sit maximus dolor: quia vires inferiores moventur vehementius ab objectis propriis, quam ex redundantia superiorum virium. Et ideo quanto operatio superiorum virium est propinquior objectis inferiorum, tanto magis sequuntur eorum motum: et ideo major dolor est in sensitiva parte ex læsione sensibili, quam sit ille, qui in ipsa redundat ex ratione. Et similiter major, qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione considerante spiritualia. Unde dolor in sensitiva parte ex displicentia rationis proveniens de peccato, non est major dolor aliis doloribus, qui in ipsa sunt. Et similiter nec dolor, qui est voluntarie assumptus: tum quia non obedit affectus inferior superiori ad nutum, ut tanta et talis passio sequatur in inferiori appetitu, qualem ordinat superior: tum etiam quia passiones a ratione assumuntur in actibus virtutum secundum mensuram quamdam, quam quandoque dolor (qui est sine virtute) non servat, sed excedit. »[3] Hinc contritio debet esse summa *appretiative*, non *intensive*, uti loquuntur scholæ Doctores. Plorat mater infantis mortem præ peccato admisso, quæ tamen noluerit peccando vitam ejus servare. Opus tamen non est, nec plerumque expedit, speciales eventus ponderare, deliberantes utrum ærumnas graviores pati parati simus, potius quam peccatum admittere:[4] tanta enim est rerum sensus afficientium vis, et mentis infirmitas, ut periculum sit con-

(1) Ezech. xviii. 31.
(2) Joel. ii. 12.
(3) Suppl. iii. p. qu. iii. art. i. *Resp.*
(4) Vide Busembaum apud S. Alph. l. vi. n. 433.

sensus in peccatum, ne calamitate aliqua premamur : quem tamen forsan haud præstaremus, gratia adjuti ad discrimen imminens declinandum. « Nullus in mente sua debet sibi ponere talem quæstionem : nec etiam alicui alii, quia istud esset se vel alium ponere in tentationem : et mens humana est multum infirma ex parte sensualitatis, quæ semper refugit mortem et mala temporalia seu corporalia — quare nemo debet se ponere in tali perplexitate, nec confessor debet hoc interrogare. »[1] Non oportet omnino apud se statuere peccatum præ inferno fugere : nam repugnat ordini divinæ providentiæ : infernus enim est pœna peccati, et animam in peccato firmatam necessario exhibet : nemo igitur posset infernum eligere absque peccato. Aliquando vehementia doloris animum valde contritum indicat : sicuti contigit meretrici scelera ad pedes Domini deflenti. Spes veniæ cum contritione conjungenda est;[2] dolor enim qui spe caret, instar est animæ cruciatus quo torquentur damnati.

20. Ut Sacramentum Pœnitentiæ suscipiatur, contritio, quatenus generatim intelligitur, necessaria est, adeo ut nequeat suscipi, si hæc desit, licet quis putet se vere animo esse contritum. Qui igitur bona fide accedit, dolore necessario carens, a sacrilegii quidem crimine excusatur, sed nullum suscipit Sacramentum.

21. *Utrum fidei et spei actus, una cum contritione*, eliciendi sint necessario, dum quis ad Pœnitentiæ Sacramentum se disponit, disputatur. Non facile ostenditur speciali aliqua lege quemque teneri ad eos ea occasione eliciendos; sed oportet ut ex fide et spe moveatur ad veniam in Sacramento quærendam : nec enim ex motu naturali et humano salutaris contritio haberi potest. Utriusque virtutis actus ipso contritionis sensu contineri liquet; ideo enim quemque pœnitet delictorum, quod Deum vindicem agnoscat, eumque pœnitenti propitium fore speret. Igitur optimum est fidei speique actus speciales elicere, dum quis contritionis motum excitare studet; sed animo nemo est angendus iis haud specialiter elicitis.

22. *Gravis* diu fuit inter theologos *controversia*, utrum attritio, dolor scilicet ex timore pœnarum conceptus, sufficeret ad veniam in Sacramento assequendam. Peccati detestationem omnino requiri omnibus res est explorata; nemo enim veniæ idoneus est, qui animo adhæret peccato, adeo ut illud vellet patrare nisi pœnæ peccantem manerent : sed fieri potest ut affectum peccandi deponat, ex ipso suppliciorum metu, et toto animo a peccato abhorreat, quod Deus judex justus adeo detestatur, et punit. Plerique theologi tenent attritionem sufficere ut quis in Sacramento veniam impetret : nam affectu peccandi deposito, obex tollitur : quapropter Sacramenti gratia suum effectum consequi poterit. Id ex doctrina Tridentina sequitur : « Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat (*sancta Synodus*), non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorum ne-

(1) **Manipulus Curatorum Tract. ii. c. ii.**

(2) **Conc. Trid. Sess. xiv. cap. iv.**

queat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. »[1] Equidem ex historia Concilii constat vocem *sufficit* deletam esse patrum quorumdam rogatu, et loco ejus *disponit* positam, ne controversia de attritionis sufficientia dirempta supremo judicio videretur : sed sermonis contextus ostendit de dispositione proxima agi, quæ in Sacramento gratiam impetrat. Quod autem Concilium de baptizando dicat eum Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipere, non officit attritionis sufficientiæ, sive in baptismo, sive in pœnitentia : nam qui, etiam ex gehennæ metu, peccatum detestatur, et peccandi affectum deponit, incipit Deum ita diligere, quum ad eum tamquam justitiæ auctorem et datorem convertatur. Favet huic sententiæ S. Thomas : « Si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione et absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret. »[2] Equidem flagrante in scholis controversia, vetuit Alexander VII. die 5 Maji 1677, sub excommunicationis pœna Sedi Apostolicæ reservata, ne quis audeat alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem alicualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem. »

23. Ad praxim quod attinet, censemus *nemini denegandam absolutionem, qui attritus est :* nam injuria ei fieret, nullum certum obicem gratiæ Sacramenti objicienti ; et tutiori sententiæ de iis quæ spectant ad valorem Sacramenti non est inhærendum cum proximi detrimento, cui sententia maxime probabilis, imo juxta plerosque, certa, favet. Equidem ita fere omnes confessarii agere consueverunt. Attamen Rituale Romanum præscribit confessario ut pœnitentem « ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conetur : » quapropter diligentia in eo desideratur, uti adnotat Benedictus XIV.

24. *Contritio concepta ex pœnarum metu* intelligitur a nonnullis de pœnis temporalibus prout infliguntur a Deo, scelerum vindice : sicut Ninivitas pœnituit, urbis eversionem a Deo irato metuentes : constat autem non sufficere eam quæ ex hujusmodi pœnarum metu, prout in se sunt, oritur, nec enim qui carcerem, infamiam, suppliciumve timet ob crimen patratum, idoneus est veniæ, quamdiu Deum ultorem in his omnibus non spectat. Curandum est omnino ut peccator pœnas inferorum præsertim consideret, ne de dolore, utrum sit supernaturalis, dubitari queat.

25. *Contritio præmittenda est absolutioni*, quum hæc nonnisi pœnitenti danda sit. Præstat ut confessioni præcedat, ut hæc inde prodeat : sed qui absque animi dolore efficaci retulit confitendo peccata, idoneus est veniæ, si peccatis recensitis ea ex animo detestetur : quod ex mox laudatis Ritualis verbis colligere est. Cæterum requiritur, ex communi theologorum sententia, ut confessio ad absolutionem impetrandam fiat, ideoque ex quodam doloris sensu, vel eo animo ut dolor deinceps excitetur : nec enim peccatorum relatio in colloquiis consuetis sufficit ut quis absolvatur, licet in tribunali dicat, se de iis quæ ita retulerat ex animo dolere : nam accusatio

(1) Sess. xiv. cap. iv. *De Pœnitentia.*

(2) Suppl. iii. p. qu. xviii. art. i.

sacramentalis requiritur.[1] Cæterum si confitendo agnoscat se reum omnium quæ in colloquio exposuerat, sufficere forsan poterit, quamvis præstet ea iterum in tribunali referre, nisi difficultatem nimiam experiatur. Contritio quæ diu præcessit confessioni, vix pars Sacramenti haberi potest : sed quæ elicita est animo confitendi, videtur sufficere, licet nonnisi post diem unum alterumve confessio fiat. Expedit quidem dolorem ante confessionem, vel saltem ante absolutionem iterum excitare : angi tamen animo non debet pœnitens qui peccata dolenter refert, licet verbis actum contritionis non eliciat; non enim doloris verba, sed ipse pœnitendi animus ad Sacramentum requiritur. Debet contritio ad Sacramentum referri, ut pars ejus habeatur; quapropter pœnitentis animus ad confessionem dirigendus est : cæterum nonnulli censent dolorem, qui ad confessionem non fuerit relatus, sufficere. Si quis post confessionem statim recordetur peccati, illud contritione animi iterum deflendum erit, ut absolutionem novam possit recipere, nova materia allata. Id minime necessarium putat nonnemo; sed tutior in re sacramentali sequenda est sententia, ne valor sit dubius.

CAPUT III.

DE PROPOSITO.

26. ***Propositum non peccandi de cætero*** requiri in pœnitente constat ex Concilio Tridentino.[2] Illud includi necessario in ipso contritionis motu omnes facile concedunt; nec enim eum vere pœnitet admissorum, qui ea in posterum vitare non sibi proponit : sed utrum speciale propositum eliciendum sit disputatur. Placet nobis sententia S. Alphonsi, propositum eliciendum esse si de futuro occurrat cogitatio,[3] nam securitati suæ et valori sacramenti consulendum est tutiori ratione : sed si quis vere doluerit, et peccata confessus absolutionem receperit, non putamus eum animo angi debere, etsi existimet se propositum specialiter haud elicuisse : nam in vera contritione necessario inest, et verosimiliter elicitum fuit, licet ejus non recordetur. Qui autem novit se propositum haud elicuisse, quo etiam caruisse verosimile est, uti ex facili lapsu suspicari licet, debet saluti suæ consulere, confessione iteranda.

27. *Firmum sit propositum* necesse est; nempe pœnitens debet omnino animo ita esse dispositus, ut nullius mali timore, nullius boni cupidine, velit in posterum peccare lethaliter. Necesse quidem non est ut certo sibi persuadeat, se nunquam relapsurum; sed debet id sibi proponere, et in animo habere, omnia adhibere subsidia quibus peccatum evitet. Quod si existimet se certo relapsurum, vix necessarium propositum habere censendus est : nam vel non proponit adhibere fragilitatis remedia, vel Deo adjutori non fidit. Fieri quidem potest ut suæ fragilitatis conscius, vel ex mentis infirmitate, vix audeat sibi polliceri in bono proposito perseverantiam : quæ mentis dubitatio non videtur obstare, si velit remedia fideliter adhibere, et Dei auxilium enixe petat.

28. *Universale debet esse* propositum.[4] Equidem qui non vult omnia peccata lethalia vitare, Dei offensam non odisse convincitur : idcirco non tantum ea quæ admissa deflet pœnitens, quæque majus periculum illi

(1) S. Alph. l. vi. n. 445. et n. 502.
(2) Sess. xiv. c. iv. *De Pœnit.*
(3) L. vi. n. 450.
(4) *Supra* n. 18.

afferunt, specialiter vitanda proponere sibi debet, sed quæcumque Deo displicent, quæ tamen sigillatim non oportet menti exhibere, ne tentationi detur locus.

29. *Efficax debet esse* propositum, ideoque ad illud executioni demandandum, pœnitens paratus sit necesse est omnia usurpare adminicula, et subsidia, quæ *media* dicuntur, quibus peccatum vitetur : non enim serio dolere videtur, qui non vult id facere, sine quo vix possit in bono proposito constans esse et fidelis. Igitur consortia malorum vitanda sunt, libri pravi destruendi, preces frequentandæ, sacræ lectioni et meditationi vacandum, aliaque pro uniuscujusque conditione et fragilitate facienda sunt, vel fugienda. At ex lapsu deinceps secuto certo concludi nequit propositum non fuisse efficax; tanta enim est hominis fragilitas, ut facile a bono avertatur, et ruat in pejus, cupiditate impellente. « In quorumdam corda, » inquit S. Gregorius M. « venit Deus, et mansionem non facit; ad perpetranda peccata redeunt, ac si minime planxissent. »[1]

30. *Periculum peccati fugiendum* est, ideoque propositum illud respicere debet : nam « qui amat periculum, in illo peribit. »[2] Cæterum non omne fugiendum est periculum; secus oporteret ex hoc mundo exire : sed illud quod *proximum* habetur, quod, scilicet, spectata humana fragilitate, verosimilem lapsus occasionem præbebit. *Formale* a S. Alphonso vocatur « illud quod est proxime conjunctum cum peccato, ita ut homo in eo constitutus probabiliter peccabit, sive in peccatum consentiet : et hoc periculum semper vitandum est. Intelligendum tamen hoc, (ut bene advertit Croix, l. v. n. 204) si periculum sit consensus, non autem simplicis tentationis, aut motuum. *Materiale* vero est illud, quod cum peccato non est proxime conjunctum, sed tantum remote, ratione necessitatis, et mediorum quæ homo adhibet ad peccatum vitandum; unde tunc accidet quod occasio de se sit proxima, et periculum remotum : prout evenire potest in chirurgo, qui in medendis partibus secretioribus puellæ utique esset in occasione proxima peccandi, sed ratione necessitatis, et officii, si debitas adhibeat cautiones piarum cogitationum, precum, protestationis de non consentiendo, bene poterit a culpa excusari; quia tunc, divina adjuvante gratia, periculum fit remotum et materiale. »[3]

31. *Periculum proximum peccandi vitandum* est, licet quis hactenus in eo non lapsus fuerit, vel etiamsi semel, vel bis, in eo extiterit victor : si enim per se plerumque inferat ruinam, nemo nisi temere in id se ingerit. Hinc puella quæ a domino vehementer tentata restitit, debet quantocyus ejus deserere domum, ne forte novæ tentationi cedat : nisi ipsa virtute robusta eum ita repulerit, ut persuasum habeat eum in posterum nil hujusmodi ausurum. Qui vehementem libidinem in se accendi experitur, quoties alicujus fruitur conspectu, debet ejus consortium vitare, quamvis hactenus libidini haud cesserit. In probabili lapsus discrimine saluti suæ consulendum est : quod si urgeat aliorum necessitas extrema, iis subveniendum, etiam cum sui periculo; nam charitas id exigit, et necessitas facit periculum remotum. Si lapsus sit probabilior, saluti propriæ consulendum est juxta Tournelium : sed S. Alphonsus censet ex necessitate periculum etiam eo casu fieri remotum,

(1) Hom. xxx. in Evang.

(2) Eccl. iii. 27. (3) L. vi. n. 452.

ideoque adhibita majori cautela, et precibus ad Deum fusis, licere se aliorum causa tanto objicere discrimini.[1] Hæc in parochis et missionariis præcipue locum habent.

CAPUT IV.

DE CONFESSIONE.

—

§. I. DE CONFESSIONIS NATURA.

32. *Confessio*, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinet, est suorum peccatorum accusatio facta sacerdoti, jurisdictionem habenti, ad obtinendam eorum veniam, vi potestatis clavium a Christo Ecclesiæ concessæ. Sexdecim ejus dotes recensentur, quæ memoriæ causa sic enuntiantur :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda et discreta, lubens, verecunda,
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.[2]

33. Igitur oportet ut *peccata exponantur verbis simplicioribus*, omni fuco carentibus, et humili quidem animo. *Pura* debet esse confessio, quæ ad rem non pertinent evitatis. *Fidelis* sit necesse est, procul dolo omni et arte verborum, quibus veletur delictum. *Frequenter* confiteri consilii est; semel in anno necessarium, ex Ecclesiæ præcepto. *Nuda* dicitur confessio, quæ res prout sunt refert : quæ tamen *discreta* esse debet et *verecunda*, ne quid turpe vel noxium proferatur; ipsa enim flagitia quæ quis admiserit, vocibus verecundis indicanda sunt. *Lubens* confessio est, quam sponte quis peragit : quæ enim extorquetur aliquando a noxiis delicti confessio, omnino differt a sui accusatione, quam pœnitens facit, Deo ut obtemperet. *Integra* est, quoties nil omittitur quod lex divina declarari jubet : *secreto* fit, nemini scilicet, præter sacerdotem quis tenetur sua revelare delicta, quæ æterno silentio servanda sunt. Lacrymas effundere, dum quis confitetur, necesse non est; sed ex vero animi dolore confessio prodire debet; pœnitens quippe plangere peccata censetur : vel saltem dirigi debet confessio ad veniam impetrandam, quæ sine dolore non potest haberi. *Celeriter* peragenda est : nec enim moras nectere juvat, prolixa rerum enarratione; sed paucis plerumque verbis quæ admisimus declaranda sunt. *Fortis* habetur, qui pœnæ formidine haud deterretur a delictis declarandis. *Accusat* se peccator, quæ in sui excusationem quodammodo cedunt reticens. Denique animum paratum habere oportet ad ea exequenda quæ sacerdos jusserit, in peccatorum expiationem. Confessio autem ita facienda est ut intelligatur : nec enim confiteri dici posset qui surdo, linguæ prorsus ignaro, dormitanti, vel alias haud advertenti ad dicta, referret peccata : cæterum pœnitens nimis angi non debet, verens ne haud satis intelligatur.

34. *Confessionem divino jure præcipi* alias ostendimus, quod Tridentina Synodus perspicuo docet. « Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ.... universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus

(1) L. vi. n. 453.

(1) S. Thom. Sup. iii. p. qu. ix. art. iv.

post baptismum lapsis jure divino necessariam existere : quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint : qui, pro potestate clavium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, nec æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. » [1] Equidem in epistola antiquissima Barnabæ adscripta confitendi peccata lex inculcatur : « Confiteberis peccata tua. » [2]

35. *Diligens præmittendum* est conscientiæ *examen*. Concilium Tridentinum docet « oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri. . . . . Constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit. » [3] Diligentia hæc ea intelligitur quæ in rebus gravissimis [4] adhiberi solet, et proportionem servat cum tempore quod ab ultima confessione elapsum est, et negotiorum quibus pœnitens implicatus est, mole, et cautela in iis gerendis servata. Quod ad rudes litterarum, et alios parum edoctos attinet, indigent maxime sacerdotis opera, qui eos prudenter interroget ; vix enim alias idonei evadant confessioni faciendæ, prout litteris Encyclicis monuit Leo XII. sed et nuper conversis a fide, et timidis, et scrupulosis idem præstandum est auxilium : et raro aliquis, et humanissimis verbis, dimittendus est ob examen omissum, sed adjuvandus potius interrogationibus, quæ tamen parce et prudenter, pro pœnitentis conditione, ex iis quæ confitetur conjectura desumpta, faciendæ sunt.

§. II. DE CONFITENDI OBLIGATIONE.

36. *Divinum confitendi præceptum obligat* peccatorem in periculo gravi mortis versantem, v. g. mulierem partu difficili instante, militem ingressurum certamen, ægrotantem periculose. Equidem quisque tenetur saluti suæ consulere, iis adhibitis remediis quæ in peccatorum remissionem a Christo Domino sunt relicta ; et proinde peccata confiteri sacerdoti in mortis saltem discrimine, quum tunc maxima sit necessitas sibi consulendi. « Quia ea quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere : ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc. » [5] Sæpe etiam in vita confiteri necesse est, nullo imminente periculo : nam est remedium peccati, et munimen contra hostem, quod negligi nequit absque divinæ majestatis, quam temnere videtur peccator, dispendio, et sui periculo. Quoties per vitam obliget divinum præceptum, non constat : sed Ecclesiæ lex, eo nixa, saltem semel in anno confes-

(1) Sess. xiv. cap. v. *De Pœnit.*

(2) Ἐξομολογήσῃ ἐπὶ ἁμαρτίαις σου. §. xix. Hebraismus videtur, vel forsan totam pœnitentiæ disciplinam complectitur.

(3) Sess. xiv. cap. v. *De Pœnit.*

(4) Cat. Rom. p. ii. c. v. n. 62.

(5) S. Thom. Suppl. iii. p. qu. vi. art. v. *Resp.*

sionem exigit. « Ad confessionem, » inquit S. Thomas, » dupliciter obligamur. Uno modo, ex jure divino, ex hoc ipso quod est medicina : et secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post baptismum. Alio modo, ex præcepto juris positivi, et sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ, edita in Concilio generali sub Innocentio III. tum ut quilibet peccatorem se recognosceret, quia omnes peccaverunt, et egent gratia Dei; tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur : tum etiam ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat. » [1] Qui procliviores sunt ad peccata maxime indigent confessionis remedio, ad quod adhibendum ne relabantur tenentur ipsa salutis solicitudine. Quibus ex dilatione lapsus periculum non imminet, non tenentur statim confiteri; sed, judice S. Thoma, possunt Paschæ tempus expectare : « differre confessionem usque ad hoc tempus per se loquendo licitum est : sed per accidens potest fieri illicitum, puta si immineat aliquis articulus, in quo confessio requiratur. » [2] Censet S. Bonaventura præceptum confitendi obligare, opportuna data occasione : [3] cujus tamen sententia apud plerosque non est recepta.

§. III. DE MATERIA NECESSARIA.

37. *Peccata omnia* in confessione *declaranda* ex ipsa judicii notione jure infertur; nam eadem de omnibus est ratio, scilicet ut de iis judicet sacerdos, utrum sint condonanda, et qua conditione. « In medicina corporali, » inquit S. Thomas, « oportet quod medicus non solum unum morbum contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi : eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, et medicina quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret. Et similiter est in peccatis : quia unum aggravatur ex adjunctione alterius, et illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastorali docet. Et ideo de necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur quæ in memoria habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio. » [4] Hinc Concilium Tridentinum dicit : « Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant . . . anathema sit. » [5] Singulorum peccatorum confessio fit, dum quis quoties peccatum aliquod admiserit, fatetur : quod quidem necessario faciendum est, quum unum ab altero distinguatur, et eo magis reus quis fiat, quo sæpius deliquit. Numerus autem accurate statui nonnumquam nequit : quapropter pœnitens debet quid verosimilius sit referre; et pro temporis diuturnitate, et consuetudinis frequentia, sacerdot conscientiæ conditionem exponere : sæpe enim ad veritatem magis accedit, qui dicit se per annos tres con-

(1) Sup. iii. p. qu. vi. art. iii. *Resp.*
(2) Quodlib. i. art. xi.
(3) In iv. dist. xvii. qu. ii.
(4) Suppl. iii. p. qu. ix. art. ii. *Resp.*
(5) Sess. xiv. can. vii. *De Pœnit.*

suevisse jurare decies circiter singulis diebus, quam qui quemdam numerum, divinando veluti, refert. Quum autem internorum actuum numerus facile augeatur, quippe qui nullo nexu inter se conjunguntur, quoties renovata sit mala voluntas, explicandum erit, quatenus fieri possit. Qui juventutis tempore prava flagravit libidine, licet nihil patraverit, debet confitendo explicare quot annos consueverit interius cedere; et quoties circiter singulis diebus, prout potuerit : nec ideo angendus est animo, quod numerus plerumque accurate definiri nequeat. [1]

38. *Numerus eorum in quos* peccavit pœnitens, *declarandus* est, saltem si singulorum jura læsa sint; uti contingit plurimis calumnia affectis, vel plurimorum expilatis bonis. Quod si cum plurimorum offensione et detrimento quis egerit perperam, quin causa fuerit damni, quod eorum vitio evenit, non videtur teneri ad numerum eorum referendum. Nemo certo tenetur numerum eorum coram quibus peccavit referre, si illis non fuerit detrimento, vel scandalo.

39. *Actus externus* peccati necessario *declarandus* est : quamvis enim solo mentis proposito quis peccet, tamen actus ad peccatum pertinet, quod obtegitur et dissimulatur, dum solum desiderium explicatur.

40. Quum fornicatio specie differt a tactibus impudicis, aliisque contra castitatem gravibus peccatis, *satis non est* gravis se reum agnoscere peccati contra castitatem cum soluta admissi, *si ipse coitus reticeatur.* Merito igitur damnata est propositio : « Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens : Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. » [2]

41. *Effectus peccatum secutus* declarandus est, quatenus prævisus est, vel menti quodammodo obversatus : adeo ut voluntas in causa eum amplexa esse videatur. Quod si quis confessus fuerit actum ex proposito effectum hujusmodi producendi, non videtur rei eventus necessario declarandus, nisi ex eo pendeat onus aliquod imponendum, v. g. restitutio : vel nisi censura vel reservatio rem afficiat. Qui accusat se aliis propinasse potum nimium ut eos inebriaret, vix tenetur adjicere eos reapse ebrios factos : quum jam pravum suum animum, ex quo actus prodiit, declaraverit. Qui agnoscit se venenum præbuisse patri ut hæreditatem quamprimum obtineret, non tenetur referre mortem inde secutam, si nullum alteri provenerit detrimentum.

42. *Species peccatorum* sunt *aperiendæ* sacerdoti : nec enim idem erit judicium, si furto, vel vulnere, læserit quis proximum : vel si Deum loquendo contumelia affecerit, vel rebus divinis male habitis. Circumstantiæ idcirco dicendæ sunt, quæ speciem mutant : nam aliud est flagitium in templo violare mulierem, ac in prostibulo : aliud est sacerdotem occidere, ac latronem.

43. *Pœnitens tenetur* confessarii interrogationibus legitimis *respondere*, iis scilicet quæ res respiciunt scitu necessarias, ut idoneum habeatur judicium. Imprimis consuetudinem aperire debet rogatus : inde enim pendet utrum veniæ sit idoneus; quapropter Innocentius XI. damnavit cujusdam assertionem : « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. » Sed potest re-

(1) S. Alph. l. vi. n. 468.

(2) XXV. inter damnatas ab Alex. VII.

cusare nomen suum, vel vitæ conditionem, quatenus ipsum designet, vel quidquid non est necessarium ad confessionis integritatem prodere.

§. IV. DE CIRCUMSTANTIIS AGGRAVANTIBUS.

44. *Utrum declarandæ* sint necessario circumstantiæ *quæ speciem non mutant*, malitiam tamen augent notabiliter, disceptatur inter theologos; quorum plurimi cum S. Alphonso negant. Vetus theologus dicebat : « Has secundum quosdam tenetur homo confiteri . . . secundum alios communius, sed non tutius opinantes non oportet. [1] » Attamen iis sepositis, substantia peccati innotescit, adeo ut de eo judicare possit sacerdos : et quum Concilium Tridentinum circumstantias illas quæ speciem mutant necessario declarandas dixerit, nulla facta mentione circumstantiarum notabiliter aggravantium, non est onus confitendi ultra extendendum. In ea sententia S. Thomas fuisse videtur : « Quidam enim dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necesse est, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt : et hoc probabilius est. » [2] Attamen contingit nonnumquam peccatum reservari ob circumstantiam aggravantem, v. g. incestum primo gradu : quæ sane reservatio valet; non nim circumstantia reservatur, sed peccatum ea indutum : eo igitur casu circumstantia declaranda erit ei qui veniam largiri possit. Quanta fuerit peccati materia oportet etiam confiteri, si censura vel reservatio eam spectet; vel confessarii judicium expetatur ad onus ex delicto proveniens definiendum. Alias plerumque necesse non est, juxta plurimorum sententiam, circumstantiam notabiliter aggravantem declarare. Equidem videri posset tutiori sententiæ inhærendum, ne sacramenti valor periclitetur, confessione haud integre peracta : sed animadvertit S. Alphonsus eum in discrimine haud poni, quia integritas moralis certo sufficit ut valeat sacramentum, quæ habetur quando quis confitendo exponit ea omnia ad quæ explicanda, juxta probatorum theologorum sententiam, certo tenetur.

45. *Utrum incestus cum consanguinea differat* specie ab incestu cum affini, disceptatur inter theologos; quorum qui negant, S. Thomæ testimonium afferunt : « Persona affinis conjungitur alicui propter personam consanguineam conjunctam, et ideo quia unum est propter alterum, ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas. » [3] Hæc probabilis est sententia, adeo ut nihil opus videatur confitendo explicare, utrum quis cum consanguinea, vel cum affini, peccaverit. Excipiendus tamen videtur primus gradus in linea recta : incestus scilicet cum parentibus differre videtur specie ab incestu inter privignum et novercam, vel inter socerum et nurum, quamvis nitatur eadem ratione, quod parentum instar socer et noverca habeantur : sed naturæ vinculum est fortius.

46. *Incestus cum affinibus extra primum gradum* est ejusdem speciei, adeo ut necesse non sit confitendo declarare, utrum cum consobrina primi vel secundi gradus peccaverit.

47. *Incestus cum consanguineis primo gradu in linea recta* v. g. patris

(1) Theol. Venetiis an. 1492. impressa, l. vi. cap. xxv.

(2) In iv. dist. xvi. qu. iii. art. ii. qu. v.

(3) 2. 2. qu. cliv. art. 9. ad 2.

cum filia, specie differt ab alio quocumque in linea transversali, quum natura ab ea maxime abhorreat : utrum differat ab alio in eadem linea, v. g. a secundo gradu, avi cum nepte, disputatur ; negantem sententiam probante S. Alphonso. Explicare oportet utrum pater cum filia, vel filius cum matre peccaverit, quum hoc diversæ sit speciei : repugnat enim reverentiæ quam debet filius matri. In primo gradu lineæ transversalis incestus ab aliis gradibus specie videtur differre : nam frater et soror naturæ vinculo arcte ligantur : sed nonnullis videtur ejusdem speciei, quum coitus inter consanguineos omnes eadem ex causa sit vetitus, nempe propter reverentiam sanguini debitam. « In commixtione personarum conjunctarum, » inquit S. Thomas, « aliquid est quod est secundum se indecens et repugnans naturali rationi, sicut quod commixtio fiat inter parentes et filios, quorum est per se et immediata cognatio : nam filii naturaliter honorem habent parentibus. Aliæ vero personæ quæ non conjunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam, sed variantur circa indecentiam secundum consuetudinem et legem humanam, vel divinam. » [1] Juxta hanc sententiam, quæ æque probabilis S. Alphonso videtur, [2] ac altera quæ discrimen statuit, pœnitens non tenetur confiteri gradum incestus, utrum scilicet cum sorore, vel consobrina concubuerit.

§. V. DE COMPLICE MANIFESTANDO.

48. *Criminis socius non est* in confessione aperiendus cum gravi ejus infamia, si aliter delictum valeat declarari : nam charitas et justitia postulant, ut famæ et æstimationi reorum consulatur, etiam in sacro tribunali. Ideo quærendus est confessarius cui ignotus sit socius, vel differenda est confessio. Quod si urgeat præceptum Ecclesiæ, vel necessitas aliqua, licebit juxta SS. Thomam, Bernardum et theologos plures, suum delictum quod in alterius dedecus cedat, confitendo aperire : « Si speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam. » [3] Equidem divinum præceptum confitendi debet prævalere famæ reorum, qui peccando ei quodammodo renuntiasse censendi sunt, quatenus norunt confitendi legem. Præterea confessarius prohibetur omni usu notitiæ, qui in pœnitentis gravamen vergat, vel odium pariat sacramento. Ancilla igitur sacerdoti nota consuetudinem peccandi quam habet cum hero licite aperit, uti suæ consulat saluti : nam si occasionem proximam, in qua versatur, non declaret, remedium adhiberi non poterit. Mulier quas maritus exercet artes iniquas, furandi, vel falsam monetam cudendi, declarat, ut quas habuerit ipsa partes innotescat. Socius commercii prodit fraudes, quas ipse cum socio emptoribus fecit, confessarii æstimatione antea gaviso. Quod si circumstantia aliqua omittenda, famæ alienæ consuli queat, gravissima videtur silentii causa, præsertim si de necessitate illius aperiendæ non constet. Hinc qui incestum admisit tertio vel quarto gradu, non est damnandus, si gradum nolit designare, ne innotescat socia. Quod si cum sorore unica peccaverit, etsi plurimi dicant gradum hunc specie

(1) 2. 2. qu. ccliv. art. ix. ad 3.
(2) L. vi. n. 470.
(3) S. Thom. Opusc. xii. qu. vii.

differre ab alio incestu, et necessario aperiendum, haud damnaremus eum qui hanc reticeret circumstantiam, tempus opportunius expectans, quo alteri confessario, absque sororis injuria, posset detegi: præsertim quum non desint qui eam haud necessario explicandam affirmant. Si ex plena confessione infamia quædam alteri, etiamsi haud reo, oritura sit, v. g. fœminæ quæ vim passa est invita, videtur circumstantia qua designetur posse reticeri.

49. *Tenetur pœnitens alienæ consulere famæ*, confessarium cui ignotus est socius adeundo, quoties id absque gravi incommodo fieri possit. [1] Excusatur autem ab ignoto quærendo, urgente mortis periculo, vel necessitate implendi præcepti paschalis; si debeat statim celebrare, vel communicare, ad notam effugiendam; si nolit in peccato mortali manere, etiam per diem, donec confessarius alter adeatur, si alter videatur suo juri cessisse, optime conscius alium confessarium vix adiri posse; si pœnitens vix possit conscientiam alii pandere. Aliæ etiam occurrunt excusationes, adeo ut pœnitentes plerumque angi non debeant ob ea quæ in confessione dixerunt, sua peccata manifestandi causa.

50. *In peccatis quæ infamiam non afferunt*, qualia sunt jurgia domestica, vel quæ alias satis innotuerunt, nullus scrupulus injiciendus est iis qui aliorum delicta, suorum confitendorum causa, pandunt: quamvis præstet vitare quidquid alteri injuriosum sit, nec omnino ad sui accusationem necessarium. Quæ diximus de socio pandendo ut integra sit confessio, intelligenda sunt etiam de eadem manifestatione, quæ necessaria sit ut remedium animæ suæ exquiratur, vel ad innocentis, vel communitatis magnum malum avertendum.

51. *Omnino damnatus* est a Benedictio XIV. quorumdam *mos exquirentium nomen*, vel habitationem, sociorum criminis, ad eorum correctionem, vel alio quovis prætextu: quos, si denegandæ absolutionis minis coegerint pœnitentes ad revelationem hujusmodi, S. Inquisitioni denuntiandos esse, tamquam suspectos in fide, jussit; non tamen a pœnitentibus ipsis, sed ab aliis qui aliunde quam ex propria confessione noverint. [2] Equidem illa agendi ratio magnam invidiam afferret sacramento, et plurima et gravissima pareret incommoda, haud absque revelationis periculo. Confessarii munus est præcipue saluti pœnitentis studere. « Cæterum confessarii bene possunt, et tenentur, ad integritatem confessionis servandam, exquirere circumstantias necessarias, nempe vel quæ speciem mutant, vel exquirendæ sunt, ut pœnitentis conscientiæ consulatur, puta si confessarius exquirat, an persona complicis sit in primo vel secundo gradu, si ligata voto, si sit ancilla, si habitet in eadem domo, licet veniat in cognitionem complicis. » Ita S. Alphonsus. [3] Quod si pœnitens sponte sua manifestet socium, et confessarium roget, ut studium ponat in ejus emendatione, id vix tuto fieri poterit, quum facile sigilli violati nascatur suspicio. Si grave damnum immineat innocenti, vel communitati, ni socius reveletur, injungere poterit confessarius pœnitenti, ut eum denuntiet ei qui occurrat malo; sed minime exigendum est, ut sibi manifestatio fiat in tribunali. Si contingat confessarium munere aliquo fungi, adeo ut ei denunciatio de jure, uti aiunt, fa-

(1) S. Alph. l. vi. n. 489.
(2) Const. *Suprema omnium Ecclesiarum*, vol. i. Bull. p. 535. et Const. *Ubi primum*, vol. ii. p. 54. (3) L. vi. n. 491.

cienda sit, poterit injungere ut fiat extra tribunal : sed raro expedit, nisi lex exigat.

52. Plerumque *non expedit ut confessarius* pœnitentium rogatu *alios emendare curet*, licet socii criminis non sint : nam quæ in tribunali delata sunt, occasione veluti confessionis, difficultatem et periculum habent.

53. « *Inquirere nomen pœnitentis non licet*, neque ejus habitationem, aliasve ejus qualitates et circumstantias, quæ personam illius detegant sine ulla rationabili causa. » [1] Ita P. Philippus de Carboneano.

§. VI. DE PECCATIS DUBIIS.

54. *Peccata certa sunt* necessario in confessione *declaranda : de dubiis* autem *non eadem* est omnium *sententia*. Si quis aliquid fecerit, dubitans utrum peccatum mortale foret, tenetur, juxta D. Thomam, illud confiteri : « Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente : quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitabat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri, non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitative loqui, et judicium sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram et lepram. » [2] Quod si dubitet, rationibus hinc inde pugnantibus, seu positive, ut aiunt, utrum admiserit peccatum, quod mortale esse novit, v. g. libidinem pravam ; communissime dicunt theologi non esse confitendi necessitatem, quum præceptum divinum, prout explicatur a Synodo Tridentina, respiciat peccata quorum quis conscius est, et quorum memoriam habet : conscius autem non est peccati, qui dubitat utrum illud admiserit : proindeque non tenetur lege confitendi. In mortis tamen discrimine advertunt plures eum teneri ad saluti consulendum contritione elicienda, vel sacramento pœnitentiæ suscipiendo, ad damnationis periculum effugiendum : sed negant eum teneri ad illud confitendum, etiam eo in discrimine.

55. *Quando quis* novit se aliquid fecisse, quod *utrum peccatum fuerit mortale dubitat*, plerique dicunt eum teneri ad illud confitendum : quia omittendo exponeret se discrimini haud satisfaciendi præcepto divino omnia peccata mortalia in confessione declarandi. Cæterum S. Alphonsus censet eum posse dubium de confitendi obligatione deponere, sibi persuadendo se non teneri ad ea quæ non sunt certo mortalia confitenda. Consueverunt quidem fideles dubitationem hanc animi confessariis exponere ; quod maxime est laudandum, sed obligationem, juxta plures, non probat. [3] Hinc dicunt non teneri ad confessionem ante communionem qui hujusmodi dubio angitur ; sed posse accedere, saltem post contritionem elicitam, vel absolutionem susceptam, dubio illo peccato haud exposito. Scrupulosis id tuto suadetur : nam dubiis inanibus plerumque anguntur. Sic etiam piis plerisque hominibus, qui a peccato abhorrere consueverunt, tuto permittitur ut dubia hæc negligant, quum vix fieri possit ut in grave peccatum lapsi sint absque certa ejus conscientia. Quæ eos vexant cogitationes turpes et impiæ, sunt hostis salutis terricula et ludificationes.

(1) In adnot. ad Antoine, tract. *de Pœnit.*
(2) III. p. Suppl. qu. VI. art. IV. ad 3.
(3) L. VI. n. 474.

56. *Si quis* noverit se peccatum mortale admisisse, sed *dubitet utrum illud jam confessus sit*, fere omnes consentiunt illud declarandum ; nec enim constat eum satisfecisse oneri quod certo contraxit. Cæterum si diligenter excusserit antea conscientiam, et confessario panderit, plerumque existimandum est illud fuisse explicatum, vel saltem rem specialem generali quadam accusatione inclusam : quod præsertim intelligendum est de piis hominibus qui nimis anguntur de confessionibus peractis. Ad conscientiæ tranquillitatem, quæ post confessionem generalem memoriæ occurrunt anteactæ vitæ peccata, possunt deinceps confitendo enarrari : quod si sæpius recurrant cum mentis solicitudine, plerumque prohibendus erit pœnitens aliquid referre, quod ante confessionem ultimam contigit, nisi certus omnino sit illud fuisse omissum.

57. *Peccata* mortalia certo admissa, *quæ quis oblivione vel necessitate omiserit* confiteri, sunt deinceps declaranda, licet eorum venia cum cæteris jam impetrata fuerit : nam est præceptum divinum peccata omnia post baptismum admissa subjiciendi judicio sacerdotum. [1] Hinc damnavit Alexander VII. propositionem : « Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. » [2] Qui peccatorum numerum prout potuit retulit, non tenetur plerumque accuratiorem numerum, qui memoriæ deinceps occurrit, referre : nam jam satisfecit oneri, et confessarius judicavit de numero verosimiliori, potius quam certo : sed si valde differat numerus verus ab æstimatione facta, debet error corrigi. Ad circumstantias supplendas, plerumque necesse non est peccatum iterum confiteri, nisi speciem aliam inducant : v. g. quod quis se impudicitiæ incusaverit, qui incestus reus erat ; vel pollutionis, quum immani scelere bestiæ consortium quæsiisset : vel qui malarum cogitationum se reum retulisset, omissa pollutionis, quam admisit, mentione. Qui retulit peccatum tamquam dubium, quod deinceps certum esse recordatus est, debet illud iterum referre tamquam certum : nam de ipsa substantia accusationis agitur, quum certum a dubio longe distet. Cæterum non adeo urgere videtur declarandi peccatum præceptum, venia jam impetrata, ut non liceat aliquatenus differre ejusdem confessionem, donec opportuna occurrat occasio eidem Confessario se sistendi, si vix possit ordinario aperiri. Non igitur damnandus videtur pœnitens qui omissum peccatum gravissima ex causa reticet ad tempus.

§. VII. DE MATERIA SUFFICIENTI.

58. « *Venialia*,.... quamquam recte et utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, *taceri* tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. » Ita docent Patres Tridentini. [3] Si quis unius hujusmodi peccati se accuset, cum animi dolore, certam ponit materiam absolutioni : nec enim necesse est ut de omnibus simul doleat, quum nullum eorum eum Dei gratia privet.

59. *Peccata mortalia jam remissa* possunt iterum deferri, ut novo animi dolore, et sui humiliatione, gratiam ampliorem assequatur pœnitens, a peccato amplius ablutus. « Licet de

(1) Vide S. Thom. in iv. dist. xxi. qu. ii. art. ii. ad i.

(2) XI. inter damnatas.

(3) Sess. xiv. cap. v. *De Pœnit.*

necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, » inquit Benedictus XI. « tamen ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre. »[1] Hæc peccati prioris accusatio facit ut certa sit sacramento materia, quum alioquin de dolore ob culpas veniales non facile constet, et nonnulli vix culpam certe venialem deferant. Quum igitur sacerdos dubitans de materia vel dolore nequeat absolvere, præstat ut peccatum jam remissum proferatur; quod tamen necesse non est enucleatius explicare, sed et necesse est iterum de eo dolere : nam « peccat graviter qui etiam sola venialia, vel sola mortalia alias confessa, sine omni formali dolore confitetur, quia non ponit materiam sacramenti, et saltem periculo sacrilegii se exponit : »[2] quapropter animadvertit S. Alphonsus confessarii in eo desiderari diligentiam ; quæ si defuerit, plurimæ erunt confessiones nullæ.[3] « Cæterum, cum pœnitens non dat materiam certam, non tenetur confessarius eam exquirere ut absolvat; et casu quo exquisierit, et non repererit certam materiam, ait Sporer, n. 56. non tenetur absolvere sub conditione, cum pœnitens tunc nullum jus certum habeat ad illam, quando non affert materiam certam, saltem dubie necessariam. »[4] Vix oportet suggerere peccati confessionem quod pudorem afferat. Quoties nova datur absolutio, præcedat confessio necesse est : nam nova sententiæ prolatio cognitionem causæ sequitur. At si eadem peccata, quæ jam remissa sunt, iterum subjiciantur clavibus, sufficit se eorum incusare generatim, uno vel altero indicato. Vim clavium etiam in iis solvendis exerceri ostendit S. Thomas : « Dicunt alii, etiam in secunda absolutione aliquid vi clavium dimitti de pœna : quia in secunda absolutione gratiæ confertur augmentum. »[5]

60. Moribundis solet sæpe dari absolutio, etiamsi jam non valeant sensa mentis manifestare, vel iterato confiteri peccata : sed ob priora pœnitentiæ indicia censentur velle confiteri, et veniam petere : quapropter ne forsan quid etiam leve admiserint post absolutionem jam datam, in extremo discrimine iterum absolvuntur.

§. VIII. DE INTEGRITATE CONFESSIONIS.

61. *Integritas* confessionis *materialis* a scholæ doctoribus dicitur plena peccatorum relatio, numero et circumstantiis necessariis recensitis. *Formalis* vocatur integritas, quando fit confessio quatenus fieri possit et debeat, quamvis aliqua, ex oblivione, vel alias ex causa justa, omittantur. Concilium Tridentinum docet omnia declaranda « quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur. » Equidem nemo potest culpari quod confitendo omiserit ea quorum memoriam nullam habuerit; vel quæ conscientiam nullatenus momorderint ex errore inculpato. Aliæ, præter oblivionem, causæ excusant omissionem, scilicet, quando impossibilitas physica vel moralis officit plenæ peccatorum accusationi. Muti non valent integram plenamque confessionem peccatorum peragere; qui tamen absolvi queunt, indicio aliquo peccati admissi dato, cum doloris significatione : quod si scribere possint, absque manifestationis periculo, videntur teneri; qui enim nequit ore confiteri, debet, qua ratione valet, sua peccata revelare. Non tantum in mortis discrimine, sed et urgente præcepto paschali, mutos

(1) Extrav. I. De *privileg.* §. Verum, *in fin.*
(2) Busembaum, apud S. Alph. l. vi. n. 433.
(3) S. Alph. l. vi. n. 432. (4) Supra 18.
(5) Suppl. iii. p. qu. xviii. art. ii. ad 4.

debere scripto ad confitendum uti, tenet post alios S. Alphonsus.[1] Moribundi quibus deest loquelæ usus, vel quorum vires penitus defecerunt, vel qui indigent medicorum opera continua, vel mulieres partu laborantes, aliique subito in discrimine, ad plenam confessionem non tenentur. Milites statim ingressuri certamen, et nautæ periclitantes, confessione quadam generali facta, absolvuntur : nisi copia sit specialis confessionis alicujus delicti. Quibus non est copia sacerdotis eorum callentis linguam, possunt alteri, qui aliquatenus eos intelligit, confiteri, qua valeant ratione, si mortis periculum immineat, vel, juxta plures, si urgeat præceptum paschale; imo si cupiant solvi peccatorum vinculo, et timeant opportuniorem confitendi occasionem diu sibi defuturam. Sacerdos qui suum confiteri peccatum nequit, nisi fracto sigillo sacramenti, illud omittere debet: nec enim licet, etiam in tribunali, aliquid proferre, quo arcanum adeo sacrum prodatur. Qui grave damnum, confessioni haud adnexum, ex ea sibi vel alteri aliunde adventurum timet ex quodam peccato declarato, excusatur, si illud reticeat. Quando pœnitenti, vel confessario, imminet vitæ periculum ex confessione peccatorum singulorum, sufficit quæ tuto dici possunt confiteri. Si pœnitens adeo ægrotet ut nequeat peccata recensere absque vitæ discrimine, satis est unum alterumve audire, ut absolvatur. Si antea haud rite confessus, totius vitæ, vel diuturni temporis spatii confessiones iterare jam non valeat, poterit absolvi, quibusdam dictis, præsertim quæ reticuit, quæque patravit sacrilegia : et integra omnium confessio differri poterit, donec convaluerit. Si sacerdos ipse periclitetur vita, pœnitentem poterit statim absolvere, uno alterove audito peccato. Peste flagrante non tenetur confessarius adstare diu pœnitenti cum manifesto sui discrimine; sed potest, post unius peccati confessionem, eum absolvere. Quando pœnitens in gravem notam incurreret ob diuturniorem confessionem, dum urget celebrandi vel communicandi necessitas, probabiliter dicit Roncaglia singulorum plenam accusationem differri posse : sed plerumque temporis spatium, quod in confessione plena insumendum esset, non est ratio, cur quis ab ea excusetur. Inter causas quæ excusant a plena peccatorum confessione, magna diei solemnitas non est recensenda; nam consuetudo Ecclesiæ, quæ optima est divinæ legis interpres, eam non admittit : quapropter Innocentius XI. damnavit hanc propositionem : « Licet sacramentaliter absolvere dimidiate confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, v. g. potest contingere in die alicujus magnæ festivitatis, aut indulgentiæ. »[2] « Multo minus licet generali absolutione donare haud confessos ob nimiam multitudinem : improbavit idcirco Gregorius XIII. parochum Pontisvelæ, qui hebdomada sancta, post multorum confessiones auditas a cæteris omnibus, quorum ingens erat numerus, generali et publica confessione accepta, eos absolvit universim.[3] Nemo a confitendo excusatur ob difficultatem, quæ confessioni ipsi inest, vel ob æstimationis detrimentum apud confessarium : alioquin cessaret legis vis. Sed et qui excusatur a plena confessione ob causas supra recensitas, sublato obice, debet confiteri omissa.

62. Extra causas prædictas, vel alias hujusmodi, « *qui.... scienter aliqua* re-

(1) L. vi. n. 479.
(2) LIX. inter damnatas.
(3) Reg. Greg. XIII. anno iv. ep. x.

tinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt: »[1] dolose quippe cum Deo agere videntur, et Spiritui sancto mentiri. Tenentur idcirco confiteri iterum omnia quæ admiserunt, ex quo absolutionem ante celatum delictum acceperant, et ipsam fraudem et mendacium imprimis. Cæterum si apud eumdem sacerdotem confessio fiat, cui generalis conscientiæ conditio patet, necesse non erit, juxta plerosque, singillatim omnia iterare, sed satis erit quæ omissa sunt referre, et ipsius omissionis se incusare, et generatim omnium quæ jam confessario sunt declarata: quod enim aliæ confessiones fuerint sacrilegæ, non facit ut repeti debeant, quum fuerint sacramentales, et accedente dolore et iterata accusatione generatim, præbeant materiam absolutioni.[2] Si alteri sacerdoti qui delicta pœnitentis antea non accepit, fiat, opus erit iterata singulorum confessione. Contingit aliquando ut peccatum omittatur, et deinceps re oblivioni tradita, bona fide confessio fiat, nec nisi post plures annos, omissionis occurrat memoria: tunc satis est peccata iterum confiteri, quæ admissa sunt, dum mala fide ageretur. Idem dicendum de confessione aliam ob rationem irrita, nempe quod dolor animi defuerit, et propositum novæ vitæ, vel quod sacerdoti jurisdictione carenti facta sit: simili quidem pacto reparandus est defectus.

63. *Eidem sacerdoti* a quo absolutio datur, *integra facienda est confessio*: nam de pœnitente debet judicare, ideoque plenam debet habere conscientiæ, quatenus innotescere possit, notitiam: quod patet ex usu et auctoritate Ecclesiæ. Qui igitur alteri sacerdoti quædam, alia alteri referunt, nil proficiunt, sed sacrilegii reatu ob dolum se adstringunt. Qui peccata gravia omnia sacerdoti cuidam referunt, et absolutione ab eo donantur, deinceps ad confessarium consuetum accedentes, ut culpas referant veniales, in magnum se conjiciunt periculum, dum suæ apud hunc æstimationi consulunt: non tamen videntur repellendi a sacerdote extraneo, ne cum certa animæ pernicie crimina celent. Qui tamen consueverunt sæpius labi, et ita sibi consulere, sacerdotem utrumque adeundo, maxime periclitantur.

§. VIII. De oris confessione.

64. « Nisi articulus necessitatis occurrat, » inquit Benedictus XI. « *sacerdoti facienda oris confessio* exigitur. »[3] Ita fert perpetuus et universalis usus Ecclesiæ, qui optimus est divinæ confitendi legis interpres. Confessio « secundum quod est pars sacramenti, habet determinatum actum, sicut et alia sacramenta habent determinatam materiam. Et sicut in baptismo ad significandam interiorem ablutionem, assumitur illud elementum, cujus est maximus usus in abluendo, ita in actu Sacramenti Confessionis, ad manifestandum, ordinate assumitur ille actus, quo maxime consuevimus manifestare, scilicet proprium verbum: alii autem modi sunt inducti in supplementum istius. »[4] Hinc damnavit Clemens VII. propositionem sequentem: « Licet per literas, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere: » vetuitque sub excommunicationis pœna sibi reservatæ, ne hæc propositio unquam tanquam aliquo casu probabilis

(1) Conc. Trid. Sess. xiv. cap. v. *De Pœnit.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 502.
(3) *Extrav.* Inter cunctas, *de privileg.*
(4) Suppl. iii. p. qu. ix. art. iii. *Resp.*

defendatur, aut ad praxim quoquo modo deducatur. Attamen Tamburini censet posse aliquando permitti, ut pœnitens scripto confessario tradendo referat peccata sua, quorum se reum præsens agnoscit : sed id raro vel nunquam licere plerique docent, quum a lege generali ore sigillatim sua peccata declarandi nemo excusetur, nisi ob gravissimam plane causam. [1] Si quis ob angorem gutturis, vel linguæ impedimentum, nequeat sua peccata sigillatim recensere, satisfaciet, prout poterit, se accusando. Puella nimia verecundia fere obmutescens, poterit aliquando hac ratione sibi consulere. Nulli autem dubium sufficere si sacerdos scripto sibi tradito usus pœnitentem de singulis interroget.

65. *Qui ore nequit* confiteri, sua pandit peccata *qua possit ratione.* Sic mutus, vel, moribundus, loquelæ usu carens, signis se prodit peccatorem, et quatenus valeat, peccata singula indicat : quem absolvendum esse jubet Rituale.

66. *Utrum quis teneatur per interpretem* confiteri disceptatur, S. Thoma favente affirmantibus : « In eo qui usum linguæ non habet, sicut est mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit quod per scriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plusquam possit . . . Quando non possumus uno modo, debemus, secundum quod possumus, confiteri. » [2] Attamen de obligatione non constat, quæ quum gravissima sit, et cum periculo revelationis conjuncta, non est absque certa auctoritate statuenda : quapropter, ne quidem in mortis discrimine, quis eo uti tenetur, sed sufficit, ut qua possit ratione se esse peccatorem, et veniam petere significet. [3] Licet quidem interpretis uti opera, quam etiam adhibere poterit sacerdos, ut dolorem de peccatis generatim, et vitæ novæ propositum insinuet, et commendet : sed exigendum non est, ut pœnitens singula per interpretem confiteatur : quamvis prohibendum non sit, [4] sed potius commendandum. [5] Ubi confessio sic peragitur, curandum ut signis potius quam vocibus responsa dentur, manuum ex. gr. compressione ; et ut quæstiones fiant generales ; nulla habita responsorum ratione. Solicitiorem autem non oportet esse confessarium de accurata et plena conscientiæ pœnitentis notitia, quæ tunc haberi nequit. Posse absolvi, absque ope interpretis, eum qui signis duntaxat ob defectum idiomatis petit absolutionem, decrevit S. Congreg. Supremæ Inquisitionis 28 Februarii 1633.

67. *Pœnitens debet confiteri sacerdoti præsenti*, uti ex consuetudine Ecclesiæ constat : quæ quidem æquissima est, ut peccatorum pœnam patiatur, et judicium fiat accuratius : animi enim dispositiones ita facilius explorantur. Christus peccatores ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit. Damnationem a Clemente VIII. propositionis supra relatæ respicere confessionem et absolutionem conjuncte vel divisim declaravit tum ipse, tum Paulus V. In mortis discrimine absolvitur, qui, absente presbytero, dedit dolentis animi de peccatis indicia : quod confessio tamen non est dicenda : censetur tamen moribundus, quatenus potest, sua peccata et dolorem manifestare.

(1) S. Alph. l. vi. n. 429.
(2) Sup. iii. p. qu. ix. art. iii. ad 2.
(3) S. Alph. l. vi. n. 479. Vide et Antoine tract. *De Pœnit.* art. ii. qu. xvii.
(4) Vide decr. Cong. de Prop. Fide relatum a Philippo de Carboneano in appendice tract. *De Pœnit.* §. iii. qu. ii.
(5) Ibidem, decr. 10. Feb. 1668.

§. IX. De confessionibus invalidis.

68. *Invalida* est *confessio ex parte confessarii*, si non acceperit jurisdictionem, vel si ei fuerit ablata, vel impedita per censuram, in quam incurrisse ex decreto judicis ecclesiastici constabat publice : vel si absolutionis substantiam vitiaverit, vel si nullum peccatum aliquatenus intellexerit.

69. Non obstat confessionis valori, quod omnia peccata confessarius non intellexerit ; sive quod surdaster esset, vel somnolentus, vel animo distractus, vel linguam pœnitentis non satis calleret : nam posset nihilominus judicium efficere, quamvis non satis accuratum. Cæterum si diligentiam necessariam ad omnia percipienda non adhiberet, peccaret, quum suo muneri deesset. Ea adhibita, non oportet esse solicitiorem, qui auditus aliquali difficultate laborat, vel qui linguæ notitiam habet minus perfectam, dummodo sit æqua causa sacri exercendi muneris, alio deficiente qui id exequatur. Missionarii idcirco plerique non sunt animo angendi, si fidelium linguam non optime callentes, confessiones non plene intelligant : necessitas enim persæpe cogit ut pœnitentiæ administrent sacramentum : sed qui extra necessitatem pœnitentem exciperet, cujus linguæ prorsus est ignarus, adeo ut nullum ejus peccatum intelligeret, non videretur valide absolvere, quum accusatio quæ non intelligitur instar nullius sit.

70. *Pœnitens qui consulto adit* confessarium *linguæ ignarum*, vel surdum, vel qui ita refert peccata ut non intelligantur, confessionem nullam facit, quum teneatur peccata pandere ea ratione qua judicium ferri possit. Quod si bona fide confiteatur, et sub finem dubitet utrum omnia perceperit confessarius, non videtur teneri ad confessionem integram, quæ longa fuerit, repetendam ; assentitur enim S. Alphonsus iis « qui dicunt Christum Dominum non præsumi imposuisse præceptum integritatis cum tanto onere ; scilicet omnia peccata repetendi in tali casu. » [1] Si pœnitens advertat aliquod peccatum non intelligi, debet illud repetere, et verbis clarioribus explicare.

71. Pœnitens qui quærit *confessarium qui sibi blandiatur* mores haud emendanti, in discrimine magno versatur invalide se confitendi. Cæterum haud facile existimandum est id consilii fuisse, quum plerique animæ salutem in confessione peragenda quærant, licet forsan alterum præ altero, humano potius affectu, seligant. Non valet confessio si peccatum grave, vel species peccati, vel numerus consulto reticeatur, vel si mendacium grave proferatur a pœnitente.

72. *Mendacium in confessione* prolatum grave plerumque est : quidquid enim necessario declarandum est, nequit sine gravi peccato denegari. Igitur in omnibus quæ supra recensuimus ad judicium sacerdotis referenda, mendacium grave est. In iis vero quæ divina lege non exiguntur declaranda, mendacium est leve : [2] v. g. si quæ mulier ætatem suam provectam mendacio celet, vel si deneget se admisisse crimen, quod diu antea pœnitentia expiaverat, venia in tribunali impetrata. Sed graviter mentitur, peccati consuetudine, qua irretita manet, deneganda.

73. *Rudes puerique* qui peccatorum quorumdam malitiam, seu distinctionem, haud satis intellexerunt, non sunt ideo cogendi ad repetendas confessiones bona fide factas : præsumendum est enim eas valuisse ; sed spe-

(1) L. vi. n. 499. (2) Vide Antoine *De Pœnit.* art. ii. qu. xiii. Resp. 2.

cies et numerum omissum debent explicare, ut legi confitendi satisfaciant. Quando confessarius, excepta confessione peccatorum, ab ultima pœnitentis confessione, animadvertit eum non consuevisse peccatorum numerum et species in confessione referre, debet eum edocere de necessitate singula explicandi, et statim accusationem eorum audire. Satis non est ut generatim petat, utrum ea fere ratione per tot annos vivere consueverit; sed singulorum accusatio facienda est, ut legi ea confitendi, quam hactenus non implevit pœnitens, satisfiat.

74. *Pro valore actus præsumendum*, et ideo confessiones factæ habendæ sunt validæ, nisi contrarium constet: quapropter cogendi non sunt pœnitentes ad iterandas confessiones bona fide factas, nisi constet eas esse invalidas. De confessionibus recidivorum ea regula tenenda est: si statim post confessionem lapsi fuerint, plerumque confessiones censendæ sunt invalidæ, utpote in quibus dolor et propositum deerant: qui enim dolet, certat adversus tentationem, nec facile cedit: e contra ubi quis post confessionem diu restiterit, qui deinceps secutus est lapsus, non est argumentum dolorem et propositum defuisse. Cæterum eorum qui ita labuntur conditio plena periculi est; et iis aliquando consulendum, ut generalem totius vitæ confessionem peragant, præsertim in sacro secessu, ut majori contritione animi defleant peccata, et proposito firmiori et efficaciori novam inchoent vitam.

CAPUT V.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

75. *Sigillum confessionis vocatur* arctissimum illud arcanum quod sacerdos, confessiones pœnitentium excipiens, servare tenetur. Ex jure divino merito derivatur; nam eo jure quo peccator ad sui accusationem obligatur, judex ad silentium de causa sibi innotescente servandum tenetur: nemo enim se proderet, nisi de fide judicis certior factus. « Præceptum, » inquit S. Thomas, « de confessione celanda consequitur ipsum sacramentum, et ideo sicut præceptum de confessione sacramentali facienda, est de jure divino, et non potest aliqua dispensatione, vel jussione humana homo absolvi ab eo: ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi, vel licentiari. » [1] Lex ecclesiastica arcanum hoc servandum districte jubet: « Caveat omnino, » ita jubet Concilium Lateranense IV. « ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. » [2] In re tanta nulla datur parvitas; quapropter revelare venialem alicujus culpam, quæ ex confessione innotuit, esset grave sacrilegii peccatum. Triplex malitia in revelatione reperitur, nempe sacrilegii, quod Sacramento fit injuria; fidei fractæ homini arcana pectoris ex fiducia secreta pandenti, et detractionis. [3] Nulla unquam dari potest rerum conditio, in qua ullatenus prodere arcanum hujusmodi liceat, nequidem ad gravissimum scandalum vitandum, [4] vel ad malum aliquod avertendum: nam ex communi

(1) Suppl. iii. p. qu. xi. art. i. ad 2.
(2) Cap. xxi.
(3) S. Alph. l. vi. n. 635.
(4) Cap. *De Pœnit.* dist. vi.

fidelium sensu, et Ecclesiæ traditione, constat nullum dari locum exceptioni.

76. *Omnia quæ confitendo dicuntur*, sive quæ confessionis lege dicenda sunt, sive quæ ejus occasione proferuntur ad pœnitentis conditionem explicandam, et ad consilium expetendum, vel alias ex arcani fiducia, sunt inviolabiliter servanda. Tentationes igitur quibus quis impugnatur, scrupuli quibus angitur, et ipsa mentis inquietudo, (præsertim si animum prodat debilem) ignorantia qua laborat, difficultates quibus impeditur, pœnitentia gravis ei injuncta, celandæ sunt silentio, præter peccata admissa, socios criminis, et alia quæ gravamen pœnitenti, vel odium confessioni, revelata parerent. *Defectus naturales pœnitentis*, nempe quod sit spurius, ignobilis, pauper, ignarus, surdus, hebes, si ab ipso manifestati fuerint ad explicanda peccata, licet absque ulla necessitate, sunt sub sigillo servandi: quia ea fiducia eos prodit. Quod si ultro eos manifestaverit, absque ulla ad confessionem relatione, videtur nolle eos clavibus sigilli subjicere; quamvis cavendum ne cum ejus offensione, vel gravamine, aliquid, quod aliis non innotuit, dicatur. Si ex actionibus pœnitentis, et ratione confitendi, haud ex ipsius relatione, innotescant confessario, nullatenus cadunt sub sigillum. Si pœnitens se durum et difficilem præbeat, vel alias molestum, non licet id manifestare; « quia, cum defectus illi sint odiosi, et confessarius noverit eos occasione confessionis, dum pœnitens sua peccata explicabat, eorum manifestatio semper redderet aliquo modo confessionem odiosam, et ab ea retardaret. »[1]

77. *Peccata in confessione commissa*, v. g. contumelia in confessarium, non cadunt sub sigillo, sed periculum revelationis secum ferunt: « probabile enim indicium præbent, quod confessarius vel noluerit absolvere, vel acriter reprehenderit propter aliquam culpam graviorem. »[2]

78. *De virtutibus et revelationibus* quibus donatus est pœnitens, si manifestatæ sint, ut ingratitudo ejus, et defectus confessario innotescerent, sigillum servandum docet S. Alphonsus: secus si panderentur ad animæ statum manifestandum.[3] Ea tutissima est regula, ut de rebus in confessione auditis, nihil unquam dicatur, nisi prudentiori consilio indiguerit confessarius:[4] quod si contigerit, res erit ita proponenda ut ne quidem divinari possit pœnitens, et de re quæ evenit nesciatur esse sermo. Si scriptis consilium expetere opus sit, cavendum ne aliqua referantur ex quibus innotesceret pœnitens, si forte aliqua in aliorum manus devenerint.

79. *Directe proderet arcanum*, qui aliquid sibi confitendo commissum panderet: sed ne quidem suspicio levissima culpæ ingerenda est, seu voce, seu gestu, nec quid faciendum quod gravamen afferat. De nemine unquam dicendum eum mortale aliquod peccatum in confessione deposuisse: ne quidem si alias constet eum esse plurium reum; nam nec oportet animi dolorem eximium, quo sua peccata confessus est, testari. Nunquam dicere licet se non absolvisse quemdam, vel eum suam confessionem haud ad finem perduxisse, vel adhuc ad communionem non accessisse, vel ad aliud tempus fuisse remissum: hæc enim omnia suspicionem ingerunt peccati lethalis. De venialibus pœnitentium culpis etiam altum silentium est ser-

(1) S. Alph. l. vi. n. 645.
(2) Ibidem.
(3) L. vi. n. 641.
(4) Cap. *Omnis*, Conc. Lat. iv.

vandum : nec collatio facienda est, ut de quodam dicatur eum sola venialia confessum ; inde enim inferretur alios peccatorum mortalium esse reos. Dicit S. Alphonsus non frangi sigillum dicendo quemdam solam materiam levem confessum esse : secus si dicatur eum plura venialia retulisse. [1] Cavendum est dum excipiuntur pœnitentes, ne voce altiori, increpatione, vel signo aliquo innotescat quidquid suspicionem injiciat : ideo animo pacato, voce autem submissa, et in tribunali, in loco patenti et publico quidem erecto, confessiones excipiendæ sunt.

80. *Si confessarius* ab initio *animadvertat pœnitentem surdum esse*, debet locum et tempus designare audiendæ ejus confessioni, ubi nullum sit periculum ne alii audiant : quod quidem licebit alta voce proferre, quum noverit eum surdum esse eo quod illi ab initio interroganti, non respondeat. Si surditatem non animadverterit nisi in confessionis progressu, non licebit eum dimittere, quia dabitur locus suspicandi eum grave peccatum confessum esse, quod non satis explicuerit : sed peracta ab illo peccatorum confessione qua potuerit ratione, absolvendus erit *absolute*, si videatur dispositus, sub conditione vero, si dispositio ejus dubia videatur. Ita censet S. Alphonsus, qui casum hunc apud neminem theologorum se reperisse testatur. [2]

81. *Contra arcanum et Sacramenti reverentiam peccaret*, qui grave aliquod peccatum ex confessione notum in cœtu quodam, seu communitate admissum referret : inde enim infamia oriretur communitati, haud sine singulorum gravamine. Sed nec licet dicere de loco, præsertim parvo, scelera quædam ibi frequentiora esse : imo de civitate vel natione vix videtur affirmandum immania quædam facinora in ea patrari, v. g. crimina contra naturam, quæ sola novimus pœnitentium accusatione : nam licet in aliquem non ideo cadat suspicio, cives gravate ferunt probrum tantum illis objici, cujus alias non fuissent infamati.

82. *Contra reverentiam* Sacramento debitam *peccat* qui de rebus in confessione auditis loquitur temere, licet nullum sit periculum pœnitentis prodendi : sed offensionem parit hujusmodi sermo, præsertim coram simplicioribus, ideoque omnino vitandus est.

83. *Ne quidem cum pœnitente ipso* de rebus in confessione expositis ullatenus *licet loqui*, quas oportet ignorare extra tribunal : esset enim exprobratio valde gravis. At si pœnitens quærens consilium de rebus ad animæ regimen attinentibus, de culpis suis libere loquatur, censetur facere facultatem confessario utendi notitia ex confessione derivata, ut secum colloquatur. Plerumque tamen interrogandus est, utrum velit de rebus hujusmodi loqui, nisi placeat eum remittere ad tempus opportunius in sacro tribunali : quod quidem maxime probandum est. Statim post confessionem in ipso tribunali confessarius cum pœnitente loqui potest ex notitia confessionis, si quid ei in memoriam revocandum sit, vel monitum præstandum; nam judicium vix perfectum censetur, reo non dimisso : sed præstat omnia ante absolutionem perficere. In confessionis actu licet uti notitia ex prioribus confessionibus derivata, quatenus opus sit ad dirigendum vel emendandum pœnitentem, caute tamen et prudenter, ne exprobratione haud necessaria delictorum quæ expiavit et dereliquit, gravamen patiatur.

(1) L. vi. n. 640.

(2) Ibidem, n. 644.

84. *Qui in confessione prævia molestum expertus est pœnitentem*, vel minus dispositum, non potest idcirco e tribunali recedere, vel alias recusare confessionem ejus excipere; esset enim exprobratio quædam, quæ gravamen afferret: imo nequit, sub prætextu quocumque, eum confiteri volentem effugere, licet pœnitens id non advertat, quia gravamen foret. Si autem ex tentatione antea ab eadem ei objecta, suspicetur pœnitentem ad tentandum eum accedere, utique licebit fugere, quum sic non utatur notitia ex confessione habita, sed sibi consulat ex probabili suspicione pravæ intentionis ejus quæ pœnitentis speciem præsefert. Si ex confessione ejus noverit eam pravo consilio antea accessisse ad tribunal, vel ad ejus domum, non licebit eam repellere, donec indicium aliquod pravæ intentionis reapse præbuerit: alias enim notitia ex confessione uteretur.

85. *Usus notitiæ ex confessione derivatæ*, absque ulla arcani proditione, illicitus est, si fiat cum quocumque gravamine pœnitentis, licet longe majus gravamen sequatur si non adhibeatur, seu, uti dicunt, *ex non usu*: contrariam quippe assertionem damnavit S. Cong. Inquis. Innocentio XI. probante anno 1682. « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione, et gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque revelatione: atque in casu quo multo gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam cum dicta explicatione, præsenti decreto prohibent, etc. Mandantes etiam universis sacramenti pœnitentiæ ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsus abstineant. » Ratio suffragatur manifesta, quia odiosus foret pœnitentibus hujusmodi usus, cum eorum gravamine conjunctus. Si aliquem ex sua confessione indignum munere quodam esse noverim, non possum ex notitia sic acquisita illud ei subducere, licet nemini, ne quidem ipsi pœnitenti, inde oriretur ulla suspicio, et aliunde ratio æqua faveret, et grave damnum alioquin illi immineret, quod tamen nonnisi ob rem ita cognitam nossem. Sic et collegii rector nequit ex re in confessione innotescente statuere regulam de ascensu ad ordines sacros, qua impediretur aliquamdiu pœnitens, etsi detrimentum ei ex citiori ascensu oriretur. Hinc Clemens VIII. et Urbanus VIII. prohibuerunt Regularibus ne in exteriori regimine uterentur notitia ex confessione derivata: quapropter nequeunt inde subditos ex uno ad alium locum mittere, vel ad aliud transferre munus. Idem dicendum de Episcopis. « Potest Prælatus sine læsione conscientiæ dimittere peccatum impunitum, quod scit tantum ut Deus: vel sine aliquo remedio, quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum defertur. Unde in his quæ ad ipsum deferuntur in foro pœnitentiæ, debet in eodem foro, quantum potest, adhibere remedium. »[1] Cæterum licet ex generali conscientiarum notitia cautiores fieri in rebus gerendis, ne statim habeantur idonei, qui speciem præseferunt pietatis, vel dotibus videntur ornari eximiis. Quod si sacerdotem Præsul ex ejus confessione noverit indignum esse, vel in-

(1) S. Thom. Suppl. iii. p. qu. x. art. i. ad 3.

firmæ saltem virtutis, nequit idcirco eum loco movere, vel severius tractare. Equidem, sibi objicit S. Thomas: « cum aliquis Abbas scit per confessionem, alicujus Prioris subjecti sibi peccatum, ex cujus occasione inducit ipsum ad ruinam, si ei prioratum dimittat: unde tenetur ei auferre pastoralis curæ dignitatem: auferendo autem videtur confessionem publicare: » cui objectioni respondet: « Abbas in casu prædicto debet eum admonere ut prioratum resignet: vel si noluerit, potest ex aliqua alia occasione absolvere eum a cura prioratus, ita tamen quod omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione. »[1] Sed ex Pontificum decretis, quidquid gravamen affert pœnitenti, licet absit omnis revelationis suspicio, illicitum habetur. Hinc si sacerdos in Episcopum proponatur eligendus, quem ex confessione alius novit omnino esse indignum, nequit quid facere quo electio illa impediatur, quovis quæsito colore.

86. *Procul omni periculo arcani prodendi*, et omni pœnitentis gravamine, licet uti notitia ex confessione derivata, quatenus sine odio sacramenti fieri possit. Confessarius ex confessione discens quam facile offensionis et ruinæ detur occasio ex liberiori agendi ratione, merito sibi cavet, ne aliquid inconsulto proferat. Si pravas suspiciones nasci ex frequentatione cujusdam domus repererit, poterit, opportuna enata occasione, abstinere se ab ea adeunda: sed si mulier confiteatur sibi ex ejus colloquiis oriri peccati, vel tentationis occasionem, vix poterit, absque ejus licentia, eam in posterum minus familiariter habere. In concionibus poterit in vitia, etiam occultiora, ex confessione cognita, invehi, et ea quæ ex plurimorum accusationibus innotuerunt, exponere fugienda: dummodo nihil dicat quod alicui affigi possit, nec frequentiam illam peccati, quæ plerosque latet, indicet cum communitatis injuria. Si parvam communitatem alloquatur, v. g. seminarii alumnos, vel moniales, de defectibus qui plerumque occurrunt in seminariis, vel monasteriis, poterit concionari, parce tamen et caute, ne quid alicui exprobrare videatur.[2] Si insidias sibi strui ex confessione quis didicerit, poterit sibi consulere, opportuna data occasione, non ita tamen ut suspicionem arcani sibi proditi alicui injiciat. Quoties aliquis ex sociis accessisse noscitur ad sacerdotem, novum consilium ab eo profectum censetur, qui idcirco sociorum vindictæ objicitur: quapropter caute agendum est, ne ipse detrimenti quid, vel gravaminis patiatur. Cavendum ne quæ occulta ineuntur fœdera, vel cædes patrantur, palam significentur, quoties eorum notitia nonnisi ex confessione derivata est.

87. *Interrogatus confessarius utrum quis apud eum confessus fuerit*, poterit plerumque respondere, prout res se habet. Quod si clam accesserit, ipsam confessionem celatam volens, putant plures, et quidem recte, judice S. Alphonso, frangi sigillum, si accessus ejus a confessario declaretur: nam gravioris peccati suspicionem facile injicit.[3] Percrebrescente rumore de quodam pecuniæ ablatæ reo, augebitur suspicio si sacerdos testetur eum ad confitendum deinceps accessisse, præsertim si restitutio facta sit. De iis autem quæ confitendo declarantur, nihil prorsus dicendum est; ea enim ignorare censetur, quum nonnisi Dei vices gerenti innotescant.[4] Igitur simpliciter denegare debet se

(1) S. Thom. Suppl. iii. p. qu. xi. art. i. ad 3.
(2) Vide S. Alph. l. vi. n. 654.
(3) L. vi. n. 638.
(4) Supra viii. 128.

ea nosse : quod si aliunde noverit, cavendum ne quid certius ex confessione proferatur. De absolutione interrogatus nunquam debet aliquid affirmare, quum de ea nemini reddenda sit ratio. Nec voce, nec scriptis testimonium de absolutione concessa unquam dandum est; nam si semel denegetur, dum alias solet dari, est indicium peccati mortalis admissi, cujus non pœnituit confitentem. Schedula autem confessionis peractæ non est neganda petenti, licet absolutio data non fuerit, et peti videatur ad aliis illudendum : eam enim denegare foret indirecta revelatio, si aliquibus consueverit dari. [1] Si sacerdos inviserit ægrotum, ad quem alius, eo rogante, delaturus est Eucharistiam, vel ultima salutis subsidia, debet simpliciter dicere, se ejus excepisse confessionem. Si audita confessione roget sacrista, utrum danda sit communio, debet eum remittere ad pœnitentem, vel expectare ejus accessum ad sacram mensam. [2] Si rem publice notam quæ objectum fuit peccati, pandat pœnitens sacerdoti adhuc ejus ignaro, quod scilicet patrata sit in platea ab aliquo cædes, vel quod quis in judicio reus sit habitus, non est arcanum sacramentale, sed de eo loqui non oportet donec alias confessario innotescat.

88. *Sigilli obligatio oritur ex omni et sola confessione sacramentali*, scilicet quæ fit ad absolutionem aliquando obtinendam, ei qui sacerdos habetur, et judex legitimus, etsi absolutionem reapse non concedi contigerit : nam ex lege Christi, qua confessio præcipitur, derivatur, et proinde debet vigere, ubi legi huic obtemperari censetur. Hinc quæ dicuntur in confessione, licet absque necessaria animi pœnitentia, sunt silentio servanda : « confessio non desinit esse sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat : et ideo nihilominus sub occulto tenenda est. »[3] In dubio utrum aliquid dictum sit in ordine ad confessionem, confessarius tenetur ad sigillum, [4] quia alioquin confessio fieret odiosa, et injuria facile fieret pœnitenti. Quæ dicuntur sacerdoti cuilibet, etiamsi jurisdictione privato, sub sigillo cadunt, dummodo tamen pœnitens, seu crasso errore, seu animi pertinacia, eum habeat veluti sacrum judicem, a quo expetit absolutionem : imo quæ laicus, fingens se sacerdotem, excipit in tribunali, arctissimo arcano subjacent. E contra quæ dicuntur manifesto consilio inducendi sacerdotem ad peccatum, non cadunt sub sigillo : sed cavendum ne aliquid occasione confessionis prolatum, et cum peccatorum confessione conjunctum, temere divulgetur : vix enim fieri potest mentio rei quæ in tribunali contigit, vel colloquii habiti, absque revelationis suspicione. Quæ autem sub sigillo extra tribunal communicantur, secreti naturalis tantum vim habent : nam « sigillum confessionis est aliquid annexum sacramentali confessioni : sed ea quæ annexa sunt alicui sacramento, non se extendunt ultra sacramentum illud : ergo sigillum confessionis non se extendit nisi ad ea de quibus est sacramentalis confessio. »[5] Hinc quæ consulitur a puella, ut noscat quo modo peccatum aliquod declarandum sit, secretum naturale servare debet ; sed sigilli lege non obligatur. E contra sacerdos quem consulit pœnitens, ut paret se ad confitendum, debet sub sigillo servare quæ illi ita commissa

(1) S. Alph. l. vi. n. 639.
(2) L. vi. n. 646.
(3) S. Thom. Supp. iii. p. qu. xi. art. i. ad 1.
(4) S. Alph. l. vi. n. 637.
(5) S. Thom. Supp. iii. p. qu. xi. art. i. ad 2.

sunt : est enim veluti confessio inchoata. [1] Tenetur ad sigillum servandum « superior cui se sistit absolutus a reservato, vel a quo petitur licentia absolvendi a reservato. » Ita Busembaum, quem sequitur S. Alphonsus, cum plerisque. « Ratio, tum quia petitio illa est quædam inchoata confessio, quatenus ordinatur ad absolutionem obtinendam ; tum quia alioquin confessio redderetur odiosa. » [2] Nonnulli censent Præsulem secreti naturalis lege tantum teneri. Notat antiquus theologus : « quod iste modus dicendi : « dico tibi in confessione, » non claudit tale dictum sigillo confessionis, quia non servatur ibi modus confessionis, vel ordo. » [3]

89. *Interpres*, cujus opera usus est pœnitens, ad sua peccata pandenda confessario suæ linguæ ignaro, *videtur eodem vinculo secreti sacramentalis teneri :* uti probabilius plerique censent ; nonnullis opinantibus eum nonnisi arctissimi secreti naturalis lege ligari.

90. *Doctor, vel alius, qui, ex pœnitentis licentia, a confessario novit* ejus peccatum, ut consilium præberet, videtur secreti sacramentalis obligatione teneri : quandocumque consulitur ut confessarius recte gerat munus suum ; nam peccatum ei manifestatur occasione confessionis, et haud sine relatione ad absolutionem. « Ratio habetur, » inquit S. Alphonsus, « ex ipsa institutione Sacramenti, ob quam creditur Christus Dominus imposuisse hanc obligationem sigilli, non solum confessariis, sed omnibus aliis, quibus immediate vel mediate pervenerit notitia peccatorum, occasione sive in ordine ad confessionem ; alioquin non satis provisum esset reverentiæ hujus sacramenti, nec satis odium confessionis amotum fuisset. » [4] S. Thomas ait : « Ille ad quem notitia peccati devenit mediante sacerdote, de voluntate confitentis, participat in aliquo actu sacerdotis : et ideo simile est de eo, et de interprete, nisi forsan peccator velit quod ille absolute sciat et libere. » [5]

91. *Qui scriptum* pœnitentis in quo peccata sua refert *legit*, *tenetur servare secretum naturale*, non vero sigillum frangit sacramentale, si aliquid manifestet ; nec enim scriptum illud confessionis vim habet, sed est præparatio ad confessionem. Si confessarius cui pœnitens scriptum hujusmodi tradidit, illud divulgaret, frangeret sigillum : nam traditio illi facta confessionis instar est. Quod scribit mutus, illud confessario præsenti tradens, habet confessionis rationem ; ideoque si tunc legatur ab alio, et divulgetur, frangeretur sigillum. Si chartam in confessionali relictam a pœnitente quis legat, censetur sigillo teneri, quia jam confessionis instar habita est, dum porrecta fuerit sacerdoti, vel ex ea peccata relata sint.

92. Peccant plerumque graviter qui scripta aliorum legunt in quibus eorum peccata suspicantur recenseri, quia arcana eorum, iis invitis, scrutantur, cum manifesto æstimationis eorum et honoris discrimine. Cæterum qui leves tantum culpas scripto contineri fere certo sciunt, possunt a gravi peccato excusari, dum ex curiositate, vel animi levitate, illud legunt. Qui magnum parari damnum communitati, vel innocenti, suspicantur ob rationes maxime probabiles, possent aliquando excusari, scriptum secreto legentes quod aliquod ejus in-

(1) S. Alph. i. vi. n. 649.
(2) L. vi. n. 647.
(3) Theol. Venetiis an. 1492. l. vi. c. 28.
(4) L. vi. n. 647.
(5) Suppl. iii. p. qu. xi. art. iv. ad 4.

dicium præbere conjiciunt : nec culpandi videntur si notitia acquisita in aliorum utilitatem utantur.

93. *Ex licentia pœnitentis* libere data, non importune extorta, gravi suppetente causa, *potest sacerdos notitia* in confessione habita *uti;* nam quum sigillum in favorem pœnitentis institutum sit, poterit utique hic juri suo cedere; « potest, » inquit S. Thomas, « confitens facere, ut illud quod sacerdos sciebat tantum ut Deus, sciat etiam ut homo : quod facit, dum licentiat eum ad dicendum : et ideo si dicat, non frangit sigillum confessionis. »[1] Cæterum non oportet hanc petere a pœnitente veniam, vel sponte oblata uti, nisi gravis suppetat causa : qua occurrente, plerumque inducendus erit pœnitens, ut extra tribunal communicet quæ aliis dicenda velit; vel saltem ipsam licentiam extra illud concedat, adeo ut in quæstionem vocari deinceps non possit : oportet enim omnem suspicionem fracti sigilli longe abesse : « Debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli prædicti reputetur. »[2] Vix unquam expedit hanc licentiam accipere, quando ipsius usus, præsertim apud laicos, daret notitiam, vel suspicionem peccati, alias non innotescentis : v. g. si restitutio cuidam facienda per sacerdotem hæredibus injungeretur : quia violati sigilli speciem habet. Si autem moribundus, loqui alta voce non valens, det licentiam sacerdoti se coram manifestandi quam doleat de vitæ pravæ exemplis, nil vetat ut verbis generalibus illud enuntiet; quamvis plerumque expediat dolentis animi indicia, quæ ipse moribundus præbere valet, satis habere.

94. *Ad avertendam publicam calamitatem, vel innocentis ruinam, licet* venia pœnitentis, libere tamen et perspicuo data, uti; quod si pœnitentis nomen prodere oporteat, vel aliqua quæ ejus ingerant suspicionem, consensus ejus omnino habendus est. Ad facultatem absolvendi vel dispensandi impetrandam venia illa aliquando exquiritur, ut superiori res exponatur : sed vix unquam oportet ut quæratur, vel acceptetur, ad conferendum cum alio de pœnitentis conditione, qui apud utrumque sua deposuerit peccata, quum unusquisque debeat seorsim judicare, et necessitas non sit satis gravis a lege arcani discedendi. Adeo sacrosancta hæc habenda est, ut nonnisi rarissime, et gravissima de causa, licentia utendi notitia confessione acquisita acceptanda sit. Si pœnitens palam faciat confessario potestatem declarandi utrum apud se deposuerit aliquod peccatum, v. g. si mulier appellet confessarium, utrum se incusaverit adulterii; non debet unquam hujusmodi licentia uti, quomodocumque res se habeat : nam cum magno periculo fieret, haud sine arcani injuria. Post pœnitentis mortem manet arcani ligamen : nam nemo patienter ferret ea revelari quæ memoriæ ejus detraherent : sed ne quidem quæ ad laudem pertinent defuncti detegenda sunt temere, præsertim si venialis culpæ suspicionem ingerant.

95. *Morem gerere potest sacerdos mulieri* de pravis mariti moribus querenti, et operam ejus postulanti, ut, si qua ratione possit, eum ad bonam redigere frugem curet : sed vix oportet ex precibus in tribunali porrectis delinquentes adire.

96. Ubi agitur de sigillo servando, *probabili sententiæ* de licito usu notitiæ ex confessione habitæ, *nequaquam adhærendum* est ; quum enim pœnitens jus certum habeat ne eorum quæ confitendo refert, ullus fiat usus

(1) Suppl. iii. p. qu. xi. art. iv. *Resp.*

(2) Ibidem.

cum sui gravamine, qui uteretur probabili hujusmodi sententia, exponeret se periculo injuriæ inferendæ in re gravissima : ideoque moraliter certus esse debet nullum pœnitenti gravamen ex usu notitiæ oriturum, ut liceat ea aliquatenus uti.[1]

97. *Pœnitens* naturali quodam ligamine *tenetur celare* quæ confessarius ei in tribunali dixerit, consilii causa, et in animæ salutem, præsertim quæ incommoda ei, vel odium Sacramento afferre possent : nam quum munus illud in pœnitentis utilitatem exerceatur, juxta legem divinam, oportet ut libere et absque incommodi metu exerceri valeat. « Unde cum confessarius obligatur necessario ad dandum consilium pœnitenti, ut ille sibi caveat a damnis spiritualibus, ideo pœnitens rigorosius tenetur cavere, ne confessario damnum obveniat ob consilium sibi præstitum. »[2] Quod si pœnitens referat ea quæ nullatenus cedunt in confessarii vel confessionis præjudicium, non erit culpandus, quamvis plerumque præstet de iis quæ in tribunali dicta sunt silere.

CAPUT VI.

DE SATISFACTIONE.

98. *Satisfactio*, quæ tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ dicitur, est operis in pœnam peccati a sacerdote injuncti acceptatio, et impletio. Equidem satisfaciendi voluntas ad Sacramentum omnino necessaria est; nemo enim veniam consequi potest, qui animo non est paratus quæ patravit mala tollere, et quæ inde secuta sunt reparare : sicut et implere quæ sacerdos, ligandi potestate utens, ideo jusserit. Injuria Deo illata peccato nulla hominis opera tolli quidem potest; sed pœnitentis humiliatio et punitio per Christi merita inservit ad pœnam peccatis debitam luendam. Attamen « Deo secundum rei veritatem nihil subtrahi potest, quamvis peccator, quantum in se est, aliquid subtrahat : et ideo in tali satisfactione principalius requiritur emendatio in futurum, quam recompensatio præteritorum. »[3] Proximo etiam peccatis nostris læso satisfacere oportet; nec veniam licet sperare, nisi quæ illata sunt damna, prout potuerimus, reparemus : sed satisfactionis nomine, prout pars est pœnitentiæ, quæ ad Deum placandum fiunt, præcipue intelliguntur. Nobis autem operibus hujusmodi pœnalibus consulitur; nam tentationibus resistendis magis idoneus fit, qui peccata admissa expiare studet. « Unde et satisfactio, quæ est justitiæ actus pœnam inferentis, est medicina curans peccata præterita, et præservans a futuris. »[4] Quælibet autem virtutis actio satisfactionis rationem habere potest; quatenus nonnisi cum difficultate quadam exercetur, quæ ideo pœnæ loco est. *Vindicativa* dicitur pœnitentia, quæ in delictorum admissorum pœnam præcipue suscipitur : *medicinalis* vero est quæ in animæ remedium, quo scilicet vitia tollantur, cedit. Eadem actio sæpe et pœnæ et remedii locum obtinet. Quod peragitur opus ex confessarii jussione vim habet ex sacramenti virtute derivatam, et « amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus. »[5]

99. *Satisfactio re exhibita* ad integritatem Sacramenti refertur. « Debent ergo sacerdotes Domini, » inquit Concilium Tridentinum, « quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium fa-

(1) S. Alph. l. vi. n. 635. (2) Ibidem, n. 647.
(3) S. Thom. Suppl. iii. p. qu. xii. art. iii. ad 4.
(4) Ibidem, *Resp.*
(5) Quodlib. iii. qu. xiv.

cultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Nam claves sacerdotibus non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent. »[1] Hoc sacerdotum munus explicaverat jam Concilium Lateranense IV. « Sacerdos sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens peccatoris circumstantias, et peccati, quibus prudenter intelligat, quale illi debeat præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum. »[2] Quod si nullum imponat pœnitentiæ opus, graviter suo muneri deest, quia negligit partem sacramenti: quamvis eum nonnemo excuset,[3] si peccatum veniale tantum fuerit a pœnitente delatum. Si contingat pœnitentem peccati alterius recordari post absolutionem acceptam, illudque confiteri, oportet ut nova ei injungatur pœnitentia, et detur absolutio; nec enim pœnitentia jam injuncta poterit Sacramenti iterum suscipiendi esse materia, quum opus idem non sit duplici titulo ejusdem generis præcipiendum. Si peccatum veniale ei in mentem venerit, non est opus pœnitentia, vel absolutione nova.

100. *Injungi poterit in pœnitentiam*, juxta plerosque, opus internum, v. g. meditatio; « quia tale opus jam per se est meritorium, et satis fit sensibile per impositionem sacerdotis, ac acceptationem pœnitentis, prout contritio fit sensibilis per confessionem. »[4] Cæterum plerique augentur animo, dubitantes utrum hujusmodi pœnitentiam impleverint, ideoque videtur raro injungenda; quamvis sæpe consilii instar commendanda sit, quum præcipuum sit ad vitam novam subsidium.

101. *Opus in defunctorum levamen* poterit pœnitenti injungi, quia exercitium est charitatis Deo admodum gratum, quod dum in eorum utilitatem cedit, facienti valde prodest, et satisfaciendi habet vim, æque ac alia pietatis opera.

102. Potest etiam aliquando injungere confessarius pœnitenti, *ut abstineat a communione*, vel alio pietatis exercitio, quando prohibitio hæc ei profutura est, et nullam notam allatura; secus si in ejus damnum, vel famæ dispendium, verteretur.

103. *Medicinalis imprimis pœnitentia* imponenda est, qua animæ sanetur infirmitas. « Contrarias peccatis pœnitentias injungat (*confessarius*), velut avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. » Ita præscribit Rituale Romanum. Optime injunxit Theodosio Ambrosius, in foro tamen externo, legem ferre qua jussa de cæde et publicatione bonorum vim haud obtinerent, nisi post triginta dies iterum firmarentur[5]: sic enim medebatur iræ qua septem millia Thessalonicensium interfecta fuerant. Pietatis exercitia, bonorum librorum lectio, rerum æternarum meditatio, examen conscientiæ quotidianum, sacramentorum susceptio frequens, fuga

(1) Sess. xiv. cap. viii. *De Pœnitentia*.
(2) Cap. *Omnis*.
(3) S. Alph. l. vi. n. 507. (4) L. vi. n. 514.
(5) Theodoret. hist. eccl. l. v. c. xviii.

otii, et occasionum peccati, confessio generalis annua, et sacer secessus per aliquot dies, inter præcipuas animæ medicinas recensentur. Oratio inter pœnitentiæ opera numeratur : « quælibet oratio, » ait S. Thomas, habet rationem satisfactionis : quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis : quia, ut dicit Gregorius super Ezechielem : Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis. » [1] Ebriosis injungendum est, ut ab omni potu qui inebriare possit, se abstineant : vix enim alias pravam consuetudinem superabunt : nec tamen oportebit ut juramento se ad illud adstringant, ne forte aliqua relabentes, in pejus ruant. Jejunium libidini domandæ inservit, quod idcirco reis impudicitiæ præscribere oportet : sed quum plerique in hac regione durioribus laboribus vacent, vel alias a jejunio se excusent, non est temere injungendum, ne negligatur, monente S. Antonino : « debet confessarius dare talem pœnitentiam, quam credat verosimiliter illum implere ; ne ipsam violando, deterius ei contingat. » [2] Alia humilitatis et pœnitentiæ exercitia, quæ nimis a moribus nostratium, et a ratione sentiendi ipsis communi, abhorrent, v. g. ut blasphemus terram lingua lambat, ut luxuriosus flagellis domesticum hostem comprimat, non sunt facile injungenda. In eleemosyna decernenda, cavendum ne aliqua sit turpis lucri cupidinis species ; quapropter nunquam debet confessarius in se suscipere ejus distribuendæ onus, sed pœnitentis relinquere arbitrio : raro quidem injungitur mera eleemosyna, sed plerumque justitiæ obligationi satisfaciendum est. Quidquid vere necessarium est in animæ remedium, debet omnino injungi : nam saluti imprimis consulere oportet : et inhumanum est periclitanti, etiam cum ejus dolore, non succurrere. Nemini tamen injungendum est in pœnitentiam, ut religionem ingrediatur : res enim est nimis ardua, quam ut jussu sacerdotis suscipiatur : attamen ei suadendum, qui vix alias possit saluti consulere : quod facile contingit sacerdoti curam animarum exercenti. Nec licet injungere matrimonii susceptionem, quum et hæc libera esse debeat : [3] sed consilium aliquando dandum, juxta illud Apostoli : « Quod si non se continent, nubant. » [4]

104. Quæ in pœnam peccatorum præcipue injunguntur, possunt graviora esse, vel leviora, prout in Domino judicaverit confessarius expedire in animæ salutem. Equidem scelera gravissima pœnitentia admodum severa expiari debent, quod ex canonibus qui dicuntur pœnitentiales liquet : sed quum infirmitatis humanæ habenda sit ratio, præstat ut pœna supersit luenda, quam ut quis ab agenda pœnitentia prorsus absterreatur, remedii difficultate. Exemplum Apostoli Corinthio pœnitenti indulgentis veniam proponit Chrysostomus, « Ex quo illud discimus, non ex scelerum tantum natura, sed ex peccantium etiam animo atque affectione indicendam esse pœnitentiam, ut tum fecit Apostolus, quod ipsius imbecillitatem extimesceret. » [5] Igitur confessarius poterit indulgentia uti in pœna

(1) Suppl. iii. p. qu. xv. art. iii.
(2) III. part. tit. xvi. par. xxi.
(3) S. Alph. l. vi. n. 511.
(4) 1 Cor vii. 9.
(5) In Ep. ii. ad Cor. hom. iv. n. « ὅθεν μανθάνομεν, ὅτι οὐ δεῖ μόνον πρὸς τὴν φύσιν τῶν ἁμαρτημάτων, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν διάνοιαν καὶ την ἕξιν των ἁμαρτανόντων τὴν μετάνοιαν ὁρίζειν· ὃ καὶ τότε ὁ ἀποστολος ἐποίησε· καὶ γὰρ εφοβεῖτο αὐτοῦ τὸ ἀσθενές..

definienda, si hoc pacto pœnitens videatur in bono proposito firmandus; qui deinceps in via virtutis proficiens, peccata a se admissa verosimiliter planget, et puniet. Monendus idcirco erit ut peccatorum ponderet gravitatem, divinam in se misericordiam miretur, et pœnitentiæ donum enixis precibus a Domino imploret. Quanta autem pœna in canonibus pœnitentialibus olim fuerit peccatis gravioribus decreta, a confessario opportune explicandum erit. « Quia pœnæ satisfactoriæ infligendæ medicinæ sunt, » animadvertit S. Thomas, « sicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt, secundum arbitrium medici, non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinæ; ita pœnæ satisfactoriæ in canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur: ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, et a pœnitentia totaliter recedat. » [1]

105. In pœna injungenda sacerdos *debet criminum habere rationem;* nec tamen necesse est ut singula memoria teneat: nam ex generali quadam conscientiæ notitia, post singula sibi declarata, judicare poterit quid injungendum sit in criminum expiationem, vel in animæ remedium. Quæ jubet facienda ad jejunium, seu corporis afflictationem, eleemosynam et orationem reducuntur: in quibus singularitas evitanda est, et quidquid vel pœnitenti, vel aliis, possit incutere horrorem.

106. *Ante absolutionem imponenda* est pœnitentia, quum oporteat eam acceptari, ut confessarius peccatorem venia dignum esse judicet: sed ordinis inversio non est gravis. Si oblitus fuerit confessarius pœnitentiam imponere confitendi, debet post absolutionem eam injungere, non tamen extra tribunal, quum sit actus judicialis.

107. *Quæ alias præcepta sunt*, vel debentur, possunt a confessario, pœnitentiæ instar, juberi: v. g. ut quatuor anni temporibus, diebus statutis, jejunet, vel ut audiat Missam die festo: quo pacto ligabitur pœnitens lege generali et præcepto, adeo ut peccet contra utrumque jussa omittendo. At plerumque injungenda sunt opera alias non debita: quapropter nisi confessarius mentem suam clare explicet, censetur quæ libera sunt injunxisse. Si quotidie per mensem Missam audiendam jusserit, non erit necesse in diebus præcepti Sacro bis adstare: nam dies liberas præter festa designasse videbitur; secus si jusserit Missam audire die festo; nisi enim constet eum præceptum Ecclesiæ voluisse novo præcepto inculcare, censebitur alteram Missam injunxisse audiendam.

108. *Pœnitentia publica* ob peccata occulta numquam est injungenda; nec enim oportet cuique onus se infamandi imponere: « Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponant » (confessarii): ait Rituale Romanum. Peccata autem publica satisfactionem publicam postulant, « ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit (*peccator*), suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. » [2] At solus Episcopus poterit eam pœnitentiam in-

(1) Suppl. iii. p. qu. xviii. art. iv. *Resp.*

(2) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. viii.

jungere quæ publica nuncupatur, quod scilicet quis pœnitentis veste indutus ad fores Ecclesiæ se sistat, cereum accensum præ manibus ferens : imo nec præsenti disciplinæ congruit, ut Episcopus ipse id jubeat. Confessarius non debet alicui injungere pœnitentiam publicam, etiam minus solemnem, v. g. quod in Ecclesia se coram omnibus humiliet, pœnitentiam professus delicti : quod nec parochus, absque Episcopi venia, debet jubere : nil autem vetat ut publica quædam satisfactio injungatur, v. g. ut scripto retractentur errores ; ut coram cœtu quædam perperam dicta revocet. Sæpe sola vitæ in melius mutatione, et pietatis studio quæ patrata sunt mala emendantur et tolluntur, absque tanta pœnitentis humiliatione. [1] Vitandum sedulo ne quid injungatur pœnitenti, ex quo peccati patrati oriatur suspicio : nam saluti ejus, absque famæ dispendio, consulendum est : quod si ejusmodi laboret vitio, quod tolli nequeat absque famæ discrimine, recte ei injungit confessarius ea quæ necessario facienda, vel fugienda sunt, licet fama forsan periclitetur. [2] Sic jubet ancillam, vel cognatam dimitti, quamvis suspicio consuetudinis pravæ inde forte oritura sit : prohibet medico, ne mulierum morbos pergat curare, qui id sibi certam perniciem afferre novit : injungit parocho ut munus, quod indigne exercet, in manus Episcopi resignet. Hæc tamen intelligenda sunt post remedia mitiora frustra adhibita.

109. *Tenetur pœnitens satisfactionem* a confessario præscriptam acceptare et implere ; quæ habenda est æqua, nisi constet eam nimis difficilem esse, et ultra vires pœnitentis, vel gravissima secum ferre incommoda : quo casu licebit humiliter suas rationes exponere, vel recedere absque absolutione, et confessarii alius probi prudentisque se sistere judicio. Equidem sacerdotis est judicare, quid sit injungendum. Quod si pœnitens ejus declinet judicium æquum ex animi levitate, vel ut mitiores adeat animæ morborum medicos, videtur peccare graviter. « Si pœnitentia facile posset ab eo impleri, et nollet ex mera desidia illam acceptare, ac cum levi absolvi vellet, non videtur posse excusari a peccato gravi. » [3]

110. *Grave est peccatum pœnitentiam gravem* ob peccata gravia impositam, vel notabilem ejus partem, omittere : nam res omni ex parte gravis est : v. g. si septem Psalmi pœnitentiales omittantur, vel quinque decades Rosarii B. V. [4] Utrum possit pœnitentia gravis sub levi injungi quærunt theologi ; sed recte dicit S. Alphonsus teneri confessarium, juxta Tridentinum, sub gravi eam injungere, quamvis aliam graviorem sub levi, vel consilii instar, addere possit. Si levis sit pœnitentia, licet gravia delicta declarata sint confitendo, quod aliquando contingit ob vehementem pœnitentis contritionem, vel infirmitatem corporis, vel aliam hujusmodi causam, eam omittere nonnisi venialis videtur culpa ; quamvis nonnulli eam gravem censeant ob causam propter quam imposita est.

111. *Pœnitentia levis* ob levem culpam injuncta omittitur, juxta plerosque, absque gravi peccato : et si pœnitentia gravis ob levem culpam injuncta fuerit, v. g. Litaniæ Sanctorum ob mendacium jocosum, nonnisi veniale videtur eam omittere ; non enim videtur æquum grave onus leviori culpæ adnectere. Cæterum,

(1) S. Alph. l. vi. n. 512.
(2) Vide Suarez. disp. xxxiii. §. vii.
(3) S. Alph. l, vi. n. 516.
(4) Ibidem, n. 515.

« si per accidens peccata illa venialia valde disponerent pœnitentem ad mortale, tunc posset confessarius gravem ei imponere pœnitentiam, ut ipsum removeat a periculo peccandi mortaliter : et tunc tenebitur pœnitens, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere. Præterea censeo (S. Alphonsus loquitur) quod si pœnitens pro mortalibus confessis condignam non egerit pœnitentiam, tunc si iterum eadem peccata clavibus subjiciat, bene poterit confessarius gravem injungere pœnitentiam, et pœnitens, si acceptet, tenetur eam implere. »[1] Equidem confessario curandum est, ut pœnitentia respondeat crimini : et pœnitentis studium in sui punitione versari debet, qui et humili animo debet amplecti quæcumque sibi occurrerint adversa. Sic David olim placavit Deum, ærumnas forti et patienti animo ferens.

112. *Etiam tempore Jubilæi*, et dum indulgentiæ aliæ conceduntur, pœnitentia in confessione injungenda est, etsi levior, ut sacramentum mancum non sit, et ut ipsa pœnitentiæ virtus, quæ ad indulgentias lucrandas necessaria est, foveatur.[2]

113. *Pœnitentia persolvenda est tempore* a confessario designato : quod si omissa fuerit casu, vel culpa, erit deinceps peragenda, nisi fuerit diei alligata. Plerumque quidem diei designatio ad præcepti substantiam non pertinet, et ideo die elapso manet obligatio pœnitentiæ peragendæ. Dilatio ultra mensem a tempore præfinito gravis plerisque videtur : communionem, quæ singulis mensibus injuncta est facienda, ultra sex vel octo dies differre est grave. Quando modus pœnitentiæ persolvendæ a confessario definitus est : v. g. flexis genibus, brachiis extensis, vel locus in quo facienda sit, peccat pœnitens eum negligendo : sed ex adjunctis rei dijudicandum est, utrum modus sub gravi obliget.

114. *Curandum est ut pœnitenti animo*, a peccati affectu immuni, opus injunctum fiat : sed qui illud exequitur peccato iterum irretitus, præcepto confessarii satisfacere censetur, quamvis fructu sua culpa privetur, et peccet venialiter, obice posito gratiæ sacramentali.

115. *Qui pœnitentiæ oblitus est*, non tenetur ad confessionem iterandam, ut nova ei imponatur :[3] nam gravissimum onus repetendæ confessionis, quando venia peccatorum est semel impetrata, nullo probatur documento : sed debet, si possit, eumdem adire confessarium, qui forsan pœnitentiæ impositæ recordetur.

116. *Pœnitentia non potest in aliam*, licet severiorem et meliorem, a pœnitente mutari, quum judicis sententia sit executioni demandanda. Confessarius poterit æqua ex causa eam in tribunali mutare, v. g. si nimis sit ardua, vel pœnitens vix eam impleturus sit. Extra tribunal non debet quid mutare, quia judicium jam transiit ; quamvis si pœnitens accedat, rem sibi præceptam querens se non posse exequi, poterit, inquisitione facta, aliud opus satisfactionis adsignare, monens ut totum referat in proxima confessione, ad judicii formam inducendam.

117. *Alius sacerdos non debet temere* sententiam alienam mitigare, vel aliquatenus mutare, quum judicii gravitas, et sanctitas Sacramenti vetet, ne quid leviter mutetur : sed si confessarius haud satis prudenter egerit, vel pœnitens periclitetur, poterit, novo

(1) S. Alph. l. vi. n. 517.

(2) Bened. XIV. Epist. Encyclica : *Inter præteritas*. Bull. t. iii. p. 170, §. 65.

(3) S. Alph. l. vi. n. 521.

instituto examine, novam proferre sententiam. Quinimo si constet pœnitentem non posse opus sibi injunctum exequi, videtur licere alteri sacerdoti, in tribunali tamen, aliud opus magis congruum adsignare, absque nova peccatorum præteritorum confessione, nisi specialem ob causam, quam explorare oportet et perpendere, pœnitentia imposita sit. Quod autem opus non sit iterata confessione ex eo deducitur quod de obligatione hac non constet; et judicio jam facto, nunc tantum judicandum est utrum pœnitens eximendus sit ab onere imposito. Cui injunctum est, ut fidei, spei, et charitatis actus eliciat, quum eos memoria non teneat, nec sciat legere, facile eximitur onere absque novo causæ examine.

118. *Nemo potest per alterum* pœnitentiam sibi injunctam implere; nam judicis sententia reum adstringit, et quum pœnitentia remedii et punitionis vim obtineat, ipsi ægroto et reo subeunda est. Merito igitur damnavit Alexander VII. propositionem hanc: « Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. » Qui legere nequit, aliquando curat ut alter ei legat, vel una recitet preces præscriptas, quas ipse mente et voce sequitur: cui eleemosyna injuncta est tribuenda, si non habeat pecuniam, facit ut alter suo nomine det: ipse autem merito censetur per illum dare.

119. Non constat Christum jussisse ut satisfactio præiret absolutioni: sed potius ex recepta Ecclesiæ disciplina, liquet veniam rite indulgeri, imposito tantum onere satisfaciendi. Ex rei natura probari nequit pœnitentem solvi non posse peccatorum vinculis, donec diuturna satisfactione eluerit culpas, quum magis conveniat Deo, misericorditer ignoscere pœnitenti; qui deinceps, satisfaciendo pro viribus, animi dolentis exhibet indicia et argumenta, fructusque dignos pœnitentiæ facit. Equidem vetus fuit disciplina peccatores publicos diu in stadio pœnitentiæ detinere, laboribusque et afflictationibus corporis exercere, antequam ad Sacramentum Eucharistiæ accederent: sed licet magnas habuerit utilitates illa severitas, nil suadet eam e divino jure profectam, adeo ut semper obtinere debeat. Hinc Pontifices sæpius damnarunt eorum assertiones, qui, veteres æmulantes mores, novam disciplinæ rationem improbant. Sixtus IV damnavit hanc Petri de Osma propositionem: « Non peracta pœnitentia confitentes absolvi non debere. » Alexander VIII. plures ejusdem tenoris damnavit. [1] Cæterum nil vetat ut confessarius jubeat aliquando pœnitentiam, sive omnem, sive partim, impleri ante absolutionem, quando ita expedire judicet: [2] dummodo non affectet veterem severitatem cum præsentis disciplinæ detrimento, vel injuria. Plerumque vere pœnitenti statim ignoscendum est, patris filium prodigum amplectentis instar: qua ratione infirmitati humanæ succurritur, divino præstito gratiæ subsidio: quapropter qui de sincero pœnitentis animo nihil dubitantes, absolutionem differunt, verentes ne forte aliqua in bono proposito non perseverent, et satisfactionis opera prius implenda cupientes, non ea qua par est indulgentia peccatoribus subveniunt, nec peritos se exhibent animarum medicos.

120. *Verba illa absolutionis:* « Quicquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ; » juxta plerosque vim tribuunt sacramentalem

(1) Vide prop. XVI. XVII. XVIII. inter damnatas.

(2) Vide De Lugo disp. XIV. §. X.

operibus pœnitentiæ, etiam quæ pœnitens sponte susceperit. « Hæc quæ præter injunctionem expressam facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, qua sacerdos dicit : « Quidquid boni feceris, » etc. Et quantum ad hoc talis satisfactio est sacramentalis, in quantum virtute clavium est culpæ commissæ expiativa. » [1]

CAPUT VII.

DE JURISDICTIONE CONFESSARII.

—

§. I. De approbatione.

121. *Absolutio* est sacerdotis sententia, Christi nomine, remittentis peccata pœnitenti. Solius sacerdotis est hanc exercere potestatem, quam a Christo Domino Apostolis concessam, et per eos eorum successoribus Episcopis datam esse constat, per quos sacerdotibus communicatur. Equidem consulit S. Thomas, ut, deficiente sacerdote, laico fiat confessio, « qui quamvis Sacramentum perficere non possit, tamen sacerdotis defectum summus sacerdos supplet : » [2] sed nequit alius præter sacerdotem a peccatis solvere. Vix expedit plerumque ut laico singula animi arcana pandantur; sed humilis peccatorum agnitio vocibus generalioribus, inservit ut pœnitentia animi innotescat : quapropter qui ejusmodi præstitit doloris indicia, poterit sepulturæ more christiano demandari, solutis censuris, si quibus forsan fuerit irretitus.

122. *Non cuilibet sacerdoti absolvendi potestas* competit, sed ei qui *jurisdictionem* accepit. « Quoniam igitur » inquit Concilium Tridentinum, « natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. » [3]

123. *Jurisdictio ecclesiastica in foro externo* est potestas regendi subditos legibus, adjecta censurarum sanctione, in quibus tollendis etiam exercetur. *In foro interno* jurisdictio est potestas qua conscientiæ ligamina injiciuntur, vel tolluntur, prævia ipsius peccatoris accusationis spontanea. *Ordinaria* jurisdictio est quæ muneri inest, qualis est Pontificis, Episcopi, Vicarii generalis, parochi : *delegata* dicitur quæ a Præsule ordinario alicui specialiter communicatur, v. g. presbytero curam animarum non exercenti. Solus Papa ubique terrarum jurisdictione fruitur : Episcopi singuli intra limites suarum diœcesium. De iis qui in Oceano versantur, vel extra quamlibet diœcesim, mos est ut Episcopus vicinior tribuat facultates, quem tamen non probat S. Cong. de Prop. Fide. Videtur igitur abstinendum ab jurisdictionis exercitio iis in adjunctis extra mortis discrimen. Delegatio aliquando tacite fit, quando scilicet novit Præsul jurisdictionem ab aliquo exerceri, et externo aliquo indicio suum consensum manifestat : internus autem consensus non sufficit. [4] Si sacerdos bona fide excipiat confessiones, Episcopo sciente et consensum manifestante, jurisdictionem habet ex tacita concessione. Semel concessa jurisdictio absque termino præfixo manet, juxta probabiliorem sententiam, etiam Præsule e vivis

(1) Quodlib. iii. art. xxviii. (2) Suppl. iii. p. qu. viii. art. ii. ad 1.

(3) Sess. xiv. cap. vii. *De Pœnit.*

(4) S. Alph. l. vi. n. 570.

sublato, donec a successore revocetur; est enim gratiæ instar, et « decet concessum a principe beneficium esse mansurum. »[1] Sed si data sit in casu particulari, non censetur manere, nisi confessio fuerit incœpta, dum Episcopus viveret.

124. *Delegatam habens jurisdictionem* non potest plerumque subdelegare, nisi delegetur a principe, vel supremo rectore ad officium aliquod : vel nisi delegetur ei officium ad universitatem causarum, vel nisi delegata jurisdictio muneri suo adnexa fuerit. Qui a Summo Pontifice delegatam jurisdictionem cum munere accepit, poterit alteri eam subdelegare : sed facultates extraordinariæ communicari nequeunt, nisi potestas speciatim detur indulto Apostolico. Qui parochi munus veluti ex delegatione habet, ipso absente, vel munia obire non valente, potest alteri committere quoddam suæ jurisdictionis exercitium : et Episcopi possunt subdelegare facultates quas vi Concilii Tridentini, tamquam delegati Sedis Apostolicæ exercent : jam enim suo muneri inhærent et ad ordinariam eorum potestatem referuntur. Si Episcopus det confessario jurisdictionem in casum quemdam sibi reservatum, nequit hic subdelegare : sed si parocho eam det in casus reservatos universe, ob munus quod gerit, potius quam ob speciales ejus dotes, posset parochus in speciali aliquo casu eam facultatem alteri communicare. »[2]

125. Jure Tridentino *Episcopi approbatio necessaria* est ut quis confessiones audire valeat, nisi parochiale beneficium ei fuerit concessum, quod jurisdictionem secum trahit. « Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur. »[3]

126. *Examen plerumque præcedere* debet approbationi Episcopi : sed doctores qui studuerunt Morali Theologiæ examini non decet subjicere. Ea apud nos obtinuit consuetudo, ut sacerdotes aliunde advenientes, et idonea secum afferentes testimonia, et regulares examini non subjiciantur, sed omnes lege Tridentina tenentur; et plane expedit ut in dies disciplina hac in re arctior servetur : quo pacto errores plurimi evitarentur. Ad examen ex justa causa revocari possunt a successore Episcopi, qui eos approbavit, sacerdotes, etiam regulares.

127. *Approbatio ab Episcopo loci* in quo audiendæ sunt confessiones obtinenda est, uti constat ex Bulla Innocentii XII. edita 10 Aprilis 1700 : *Cum sicut :* et ex Bulla Benedicti XIV. *Apostolica*. Declaravit Innocentius X. « Regulares in una diœcesi approbatos non posse in alia confessiones audire, sine approbatione Episcopi loci illius : » quod et statuit Innocentius XIII. in Bulla : *Apostolici ministerii*. Episcopus autem electus et confirmatus, quamvis adhuc non consecratus, potest approbare sacerdotes ad audiendas confessiones : habet enim jurisdictionem. Approbatio Episcopi concedi potest per Vicarium generalem, vel alium sacerdotem, cui Episcopus facultatem approbandi delegaverit.

128. *Peccat Episcopus qui approbationem* sine justa causa negat sacerdoti, præsertim Regulari, idoneo muneri exercendo.

(1) Reg. xvi. Juris in 6.
(2) S. Alph. l. vi. n. 566.
(3) Sess. xxiii. cap. xv. de Ref.

129. *Episcopus potest limites quosdam* jurisdictioni statuere, et restringere facultates : nam tota ab ejus voluntate pendet : quapropter damnavit Alexander VII. anno 1659 in causa Andagavensis Episcopi et regularium, hanc propositionem : « Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare. » Solet in Italia facultas puerorum vel virorum confessiones excipiendi concedi, antequam mulierum confessiones audire concedatur. Sed « decretum Episcopi in quo habetur, quod nullus confessarius, etiam ab Ordinario approbatus, possit tempore Paschali confessiones alicujus audire sine licentia proprii curati, nullo modo est observandum. » [1] Ad annum aliquando datur jurisdictio, quæ proinde tempore elapso cessat. Approbatio « ad nostrum beneplacitum » moriente Episcopo, expirat : et Vicarius Capitularis poterit revocare ad examen regulares, quibus ita data est, eosque privare facultate audiendi confessiones. [2] Facultates datæ usque ad revocationem manent, defuncto Episcopo, donec qui diœcesim vacantem administrat eas revocaverit.

130. *Venialium confessionem excipere* absque jurisdictione districte vetuit Innocentius XI. anno 1679 : quamvis plerique theologi olim censerent sacerdotes valere venialia remittere, absque approbatione ad audiendas confessiones : quod tamen jam non videtur probabile. [3]

131. Ex supra laudatis Concilii Tridentini verbis constat *regulares audire non posse* confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, nisi ab Episcopo approbationem acceperint, aut beneficium parochiale. Id ubique terrarum dicendum est, etiam in locis in quibus pleraque Concilii decreta recepta non sunt : nam Alexander VII. anno 1659, damnavit asserentes regulares in Galliis non teneri Episcopi approbationem petere. [4] Si denegata fuerit ab Episcopo approbatio, etiam injuste, non valet regularis confessiones sæcularium accipere : damnata quippe est propositio : « Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. » [5] Damnata est etiam altera propositio : « Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario. » [6]

132. *Regulares possunt audire* confessiones suorum absque Episcopi licentia, ex superioris venia : sed ordinis cujusque statuta servanda sunt, quæ plerumque vetant ne alterius ordinis religiosis quis confiteatur. In itineribus autem, quandocumque non habent sui ordinis socium, et quidem idoneum, fit eis facultas confitendi cuilibet sacerdoti approbato, imo juxta plerosque cuilibet etiam non approbato, exceptis reservatis. [7] Sæcularium qui in monasteriis sunt de familia, et continui commensales, non autem qui tantum religiosis serviunt, absque Episcopi licentia ad confessionem possunt excipi. [8]

133. *Qui beneficium acceperunt parochiale*, eo ipso approbati censentur. Sacerdos cui committitur parœcia approbatus censetur « ad audiendas confessiones, duntaxat in ea civitate,

(1) S. C. Epist. 3. Aprilis 1584.
(2) S. Alph. l. vi. n. 552.
(3) Ibidem. 543.
(4) Vide et Constit. Clementis X. *Superna.*
(5) Prop. xiii. damnata ab Alexandro VII.
(6) Ibidem, prop. xvi.
(7) S. Alph. l. vi. n. 575.
(8) Vide Constit. *Superna.*

vel oppido, ubi sita sit parochialis, non autem passim per totam diœcesim. « Ita S. C. Concilii respondisse dicitur. [1] Cæterum ex regionis more, et nota voluntate Episcopi, res pendet. In hac regione in qua parœciæ desunt, sacerdotes approbati censentur pro tota diœcesi, quamvis non debeant facultatibus sibi commissis uti cum aliorum gravamine : quapropter nonnisi bona cum venia missionarii loci, debent confessiones extra suam missionem excipere. In aliena diœcesi nil possunt absque speciali venia Ordinarii : nec enim sufficit consensus missionarii loci, ut approbati illic habeantur. Parochi quidem possunt suos subditos in aliena diœcesi absolvere : [2] sed missionarii nullos subditos censentur habere.

134. *Episcopi extra suas diœceses* olim poterant sibi eligere confessarium, qui eo ipso potiebatur jurisdictione; [3] sed id jam restringitur ad sacerdotem approbatum a proprio Ordinario. [4] Parochi non habent facultatem sibi eligendi in confessarium sacerdotem non approbatum ab Ordinario : contraria quippe assertio damnata est. [5]

135. *Jurisdictio exerceri non potest* ex certa fiducia ejus exercitium ratum habendum : nam illa animi persuasio nil ponit in re. Sed nec licet probabili uti, nisi in iis in quibus theologi plerique censent Ecclesiam eam supplere jurisdictione, quum sacramentum non sit discrimini temere objiciendum.

136. Amplectitur S. Alphonsus sententiam, quæ « dicit licitum quidem esse ministrare hoc sacramentum pœnitentiæ *cum jurisdictione probabili*, sed nonnisi quando adest causa gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis, ut aiunt Elbel et Wigandt, vel causa rationabilis, ut inquiunt Suarez et Sporer. Ratio hujus limitationis est, quia licet Ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censeri possit jurisdictionem supplere, tamen non præsumitur, nulla justa causa accedente, velle connivere meræ libertati sacerdotum. Hujusmodi autem causa (ut censent Sporer et Holzmann) accidit 1. Quando pœnitens indigeat auxilio sive consilio illius confessarii. 2. Si complex peccati pœnitentis sit notus apud confessarium qui certa pollet jurisdictione, et ignotus apud confessarium habentem solam probabilem. 3. Si confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem, prudenter timeat pœnitentem non facturum confessionem integram apud eum qui certam habet. 4. Addit Sporer, ne pœnitens incidat in aliquam aversionem, vel damnosam suspicionem confessarii certi. 5. Si urgeat præceptum confessionis, aut singularis indulgentia lucranda, vel quia diu quis non poterit confiteri. » [6] Dicunt etiam « sufficere ad absolvendum cum jurisdictione dubia sequentes causas. 1. Si urgeat periculum mortis. 2. Si urgeat præceptum annuæ confessionis. 3. Si pœnitens deberet celebrare vel communicare, alias infamiæ notam incurreret. 4. Addunt Salmanticenses c. ii. n. 72. Si sacerdos tenetur celebrare ex obligatione. Probabiliter autem censent Suarez d. 26. s. 6. et Salmanticenses ib. cum Aversa (contra Salas et Cornejo) in iis casibus pœnitentem non teneri ad confessionem, sed tantum ad contritionem, qua semper eget, etiamsi confiteatur. » [7]

137. *Jurisdictionem exercere licet* in

(1) S. Alph. l. vi. n. 544. (2) Ibidem.
(3) Cap. fin. *Ne pro dilatione, de Pœnit.*
(4) Ex decr. Gregorii XIII. Dec. 1582.
(5) Prop. xvi. inter damnatas ab Alex. VII.
(6) S. Alph. l. vi. n. 573.
(7) Ibidem, n. 571.

fideles ex alia diœcesi advenientes, et absolutionem etiam a reservatis in illa diœcesi, quæ non reserventur in altera, concedere, dummodo in fraudem legis, seu reservationis, non advenerint.[1] Non tamen potest jurisdictio delegata in alia diœcesi a sacerdote in ea ad tempus versante exerceri in fideles ex diœcesi in qua approbatus est confessarius advenientes : nam pendet omnino ab Episcopo loci.

§. II. De monialium confessariis.

138. *Specialis Episcopi approbatio* requiritur ad confessiones monialium excipiendas, etiamsi exemptæ sint ab Ordinariorum jurisdictione : id enim declaravit Clemens X. statuens regulares indigere ea approbatione etiam quoad moniales sibi subjectas, et approbatos pro uno monasterio, non ideo censeri approbatos pro alio, et confessarios extraordinarios approbatione speciali indigere quoties eos deputari contigerit.[2] Dandi sunt autem bis terve in anno, a Prælato regulari ex approbatis ab Episcopo, vel ab Episcopo ipso, si ille neglexerit, qui etiam dare potest confessarium extraordinarium moniali in mortis periculo, si Prælatus regularis recuset. Ex altero ordine, vel ex clero sæculari, confessarius extraordinarius saltem semel in anno seligendus est. Monialibus haud exemptis confessarii extraordinarii bis terve in anno ab Episcopo dandi sunt.[3]

139. *Confessarii monialium exemptarum* præsentantur a propriis Prælatis, et approbantur ab Episcopis : cæteri ab ipsis Episcopis eliguntur. Ultra triennium eligi nequeunt absque licentia S. Congregationis : sed apud nos consuetudo obtinet ut Episcopus eos, nullo temporis limite apposito, designet. Ex justa causa possunt moniales recusare confessarium ab Episcopo designatum : qua in re quum agatur de animarum salute, non nimis difficilem se debet Episcopus præbere. Vicarii Generales, parochi, si cura notabiliter læderetur, et omnes Regulares prohibentur eligi in confessarios monialium : sed sacerdotum deficiente apud nos copia, Episcopus quemquam idoneum pro suo arbitrio designat.

140. *Confessionalia monialium* in sacristia, vel aliis in locis occultis non sunt erigenda, sed in ecclesiis : solentque ita locari, ut sacerdos in ecclesia sit, moniali intra monasterium, quod pariete tantum separatur, posita. Aspectus mutuus confessarii et monialis in tanto munere obeundo vitandus est. Hæc pleraque ex decretis S. Cong. apud S. Alphonsum.

141. *Conservatoria puellarum*, ex Benedicti XIV. Constitutione, egent confessario ab Episcopo specialiter approbato, qui post triennium debet muneri renuntiare.

142. *Sorores Charitatis* et aliæ communitates fœminarum in quibus vota simplicia emittuntur, sicut et cultrices SS. Cordis comprehenduntur eadem lege : Confessarius scilicet earum indiget speciali approbatione, uti S. C. Episcoporum et Regularium sæpius declaravit.

§. III. De complice.

143. *Omnis jurisdictio* in criminis turpis socium a Benedicto XIV. *sublata* est : vetitum est enim ne « extra casum

(1) Clemens X. Constit. *Superna*.

(2) Vide Constit. vii. Clem. X. et Bullam *Inscrutabili*, Gregorii XV.

(3) Bened. XIV. Bulla *Pastoralis*, edita 5 Aug. 1748.

extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum decalogi præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi, ipso jure, quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam. »[1] Si pœnitens in mortis articulo nequeat alium eligere, « sine periculo se ipsum infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi, » « in eo rerum statu, non prohiberi sacerdotem suæ impudicitiæ complicem absolvere » deinceps declaravit Pontifex.[2]

144. *Excommunicatione Papæ reservata* irretitur qui absolvit complicem turpis peccati, extra mortis discrimen; in quo etiam eamdem censuram contrahit, nisi quod in se est fecerit ad avertendum pericula scandali et infamiæ, ut alius sacerdos arcessatur. Qui complicem confitentem audit, quin absolvat, non videtur excommunicationem contrahere. Ab hac pœna eum absolvi posse ab Episcopo, ubi recepta est disciplina Tridentina, censet S. Alphonsus, quamdiu absolutio ab ipso complici data occulta est, quum Concilium facultatem Episcopis fecerit absolvendi in casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis.[3] Refert quidem Fagnanus S. C. Conc. declarasse Episcopis? illarum regionum ut quibus Concilium non est promulgatum non posse uti hac facultate. Quum autem Concilii decreta passim apud nos laudentur, quamvis non sint specialiter et universim promulgata, existimo licere eis uti. Attamen consuevit S. Sedes Metropolitis concedere facultates Suffraganeis communicabiles pro paucis quibusdam casibus : quod forsan de iis qui non sunt omnimodo occulti intelligi possit : vel fit ad omnem dubietatem tollendam de facultate Tridentina.

145. *Peccati turpis et inhonesti nomine* venit, ipso S. Alphonso judice, quidquid sexto præcepto adversatur graviter, sive sit solus tactus, sive colloquium impudicum; nam verba Constitutionis Apostolicæ omne externum peccatum grave plane complectuntur ; et finis legis id manifestum facit, quum eo dirigatur ut omnis turpitudo et impudicitia a sancto munere procul sit. Cæterum quæ venialia sunt, vel quæ exterius non videntur gravia, quamvis ejusmodi sint ob pravum animi affectum, vel quæ dubie sunt mortalia, non censentur comprehendi. Puella tentata quæ restitit non est complex, et ideo absolvi potest, sicut etiam quæ leviter peccavit, quamvis forsan sacerdos peccaverit graviter ob pravam intentionem, « quia Bulla intelligenda est de complici formali in peccato mortali turpi.»[4] Sed ab eo procul extra nceessitatem gravissimam esse omnino debet.

146. Jurisdictio in complicem non videtur in perpetuum sublata, sed tantum quoad ipsum delictum : quapropter postquam ab alio sacerdote absoluta est illo reatu, poterit ab aliis quæ deinceps admiserit, ab eo absolvi. Vix autem unquam expedit peccata apud eum deponere.

§. IV. Quandonam suppleatur jurisdictio.

147. *Si titulus sit coloratus*, *et error communis*, v. g. si quis beneficium parochiale obtinuerit, et vulgo censeatur parochus, licet occultum obstet,

(1) Const. xx. in i. Bullarii tomo, 1 Junii 1741.
(2) Const. cxx. ibid. 8 Feb. 1745.
(3) Sess. xxiv. cap. *Liceat.*
(4) S. Alph. l. vi. n. 554.

jure canonico, impedimentum, disceptatur utrum ob errorem communem suppleatur jurisdictio, nullo suffragante tituli colore : quod plures affirmant, quum ratio præcipua sit animarum quæ deceptæ sunt salus : attamen negant alii, contendentes non esse causam satis gravem cur jurisdictio tribuatur. « Nonnulli probabiliter dicunt non esse obligandos fideles ad repetendas confessiones bona fide factas apud sacerdotem, qui ex communi errore confessarius reputabatur. »[1] Id autem non videtur extendendum ad sacerdotem vagum, qui aliquibus fidelibus illusit, se approbatum falso asserendo; confessiones enim ei factæ invalidæ omnino videntur, et necessario iterandæ.

148. *De casuum reservatione loquens Concilium Tridentinum*, ait : « Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. »[2] Cæterum sacerdos haud approbatus, vel censura aliqua irretitus, non debet se ingerere, si copia sit confessarii approbati :[3] nam juxta plerosque jurisdictio non datur nisi ob necessitatem, quæ nulla est, præsente presbytero approbato. Disputatur utrum hæretici et schismatici, qui sacerdotio fuerint insigniti, jurisdictione in mortis articulo potiantur; sed apud nos quæstio hæc nullius est momenti, quum sacro ordine careant qui in his provinciis versantur. De sacerdote suspenso, vel excommunicato, qui etiam ad hæreticos defecerit, quæri potest. Affirmans nobis sententia probatur, quum ratio obtineat, quod saluti decedentium consulendum sit, dummodo tamen fiat absque Ecclesiæ injuria, quæ contingeret, si consortium cum hæreticis in rebus sacris foveretur. Articulus mortis censetur grave mortis periculum.[4] « Tale autem periculum censetur adesse in prælio, in longa navigatione, in difficili partu, in morbo periculoso et similibus. Idem de eo qui est in periculo probabili incidendi in amentiam. »[5]

149. *Simplex sacerdos potest absolvere*, etiam præsente approbato, I. Si approbatus nollet, vel non posset audire confessionem. II. Si approbatus sit excommunicatus, vel suspensus, quia præferendus est qui nulla irretitur censura. III. Si approbatus sit alienæ diœcesis, qui in diœcesi moribundi non habet jurisdictionem. IV. Si moribundus valde ab approbato abhorreat : ejus enim infirmitati pia mater Ecclesia subveniendum optat. V. Si cœperit jam audire confessionem, ante approbati adventum : judicium enim semel cœptum perficiendum est. VI. Si approbatus fuerit complex.

150. Excipitur casus in quo moribundus censura reservata ligatus sit : tunc enim, si præsens sit superior, a quo solvi possit, debet absolutionem a censura prius petere; nam ab alio absolvi non potest, nisi sub conditione se præsentandi Superiori, sub pœna reincidentiæ : ideoque data jam copia, debet ea uti, et deinceps perficere confessionem. Si confessione peracta superveniat sacerdos approbatus, et pœnitens peccati quod omiserat recordetur, debet approbato illud confiteri, quia judicium aliud absolutum jam est, et necessitas recurrendi ad alium desiit.

151. *Si censuræ reservatæ sint Papæ*, quæritur utrum pœnitens ab Episcopo, si adsit, debeat absolutionem a cen-

(1) L. vi. n. 572.
(2) Sess. xiv. cap. vii. (3) Rit. Rom.
(4) C. *Si quis suadente* xxix. caus. xvii. qu. iv.
(5) S. Alph. l. vi. n. 561.

suris petere. Variæ sunt theologorum sententiæ, quarum quæ affirmat verosimilior est, præsertim in casibus occultis, quorum facultas a Concilio Tridentino Episcopis data est. De percussore clerici jus decernit eum adire debere Episcopum absolutionis causa, si Pontifex adiri nequeat. [1] Sed apud nos difficultas esse nequit, quum Episcopi a Pontifice amplissimas acceperint facultates.

152. *Si Superior adiri nequeat*, vel arcessi, absque famæ jactura, sacerdotis in censuras reservatas non habentis facultates licet uti opera : nam impeditus adire Superiorem, non tenetur, juxta probabiliorem sententiam, per litteras vel per internuntium absolutionem petere, quum id nullibi in jure præscribatur, et periculo revelationis non careat. [2] Attamen licet ea ratione uti, debita adhibita cautela ne res innotescat.

CAPUT VIII.

DE CASUUM RESERVATIONE.

153. Quum ligandi et retinendi potestas Præsulibus Ecclesiæ competat, certum est *eos posse quorumdam peccatorum graviorum veniam suo servare judicio*, ut absolutionis facilitate diminuta, vitia coerceantur. *Reservatio* hæc probata est Concilio Tridentino, quod nullius momenti esse declaravit absolutionem prolatam a sacerdote, qui jurisdictione, seu ordinaria, seu delegata, in pœnitentem caret. [3] Episcopus quilibet in sua diœcesi, vel Præsul alius jurisdictionem exercens quasi episcopalem, casus sibi reservare potest : sicut Pontifex Romanus pro tota Ecclesia crimina quædam sibi reservare absolvenda consuevit.

154. Reservatio facta absque justa causa valet : quum enim Præsul potestate sibi commissa utatur, suo arbitrio standum est : attamen Lugo censet hujus potestatis abusum manifestum, quo parochorum munus ita impediretur, ut exerceri vix possit in peccatis dimittendis, nullum per se esse.

155. *Utrum ignorantia reservationis excuset pœnitentem*, adeo ut a confessario, non habente facultatem in reservata, possit absolvi, quæritur inter theologos, quorum plerique affirmant, quoad casus Papæ reservatos : quum enim hi plerumque habeant censuram annexam, quæ ab ignorantibus eam non contrahitur, existimant reservationem etiam haud obtinere. Reservatur quidem Papæ absque censura absolutio cujuscumque falso incusantis apud judices ecclesiasticos, sive per se, sive per alios, sacerdotem solicitationis. Reservatur etiam casus acceptati doni a regularibus utriusque sexus, absque sui Superioris licentia : quod nisi totum restitutum fuerit, si valeat ultra decem scutata Romana, venia concedi nequit : si minus valeat, pars restituenda est necessario, juxta arbitrium Pœnitentiarii. In his reservatio videtur obtinere etiam quoad ignorantes, quum censura deficiente videantur instar reservationum plerarumque ab Episcopis factarum. Reservatio videtur obtinere in casibus quos sibi Episcopi reservant, etiamsi pœnitentes eam ignoraverint, quia directe afficit confessarios, quorum potestatem intra limites arctiores continet, ut peccatores veniæ difficultate abstineantur a peccatis, et a superioribus salutaria monita, et pœnitentias accipiant : « magnopere vero, » uti animadvertit Concilium

(1) C. *Ea noscitur*, etc. De cætero. *De sent. excom.*

(2) S. Alph. l. vi. n. 563.

(3) Sess. xiv. cap. vii.

Tridentinum, « ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est ; ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus, absolverentur. »[1] Finis legis obtinetur, dum illi etiam qui ignorarunt censuram, coguntur adire Superiorem, ab eo monendi, et nonnisi salutari injuncta pœnitentia absolvendi. Quod si casus censuram habeat adnexam, hæc quidem, ob juris dispositionem, non ligat ignorantes : sed non ideo desinit reservatio ; quæ præcipua est in casibus episcopalibus, censura adnexa ut peccatores fortius ligentur, et absterreantur a peccatis ; dum in casibus papalibus censura est præcipua, reservatio vero censuræ adjecta, ideoque quidquid a censura excusat, a reservatione etiam excusat.[2]

156. *Peccatum mortale tantum* reservari solet ; frustra enim reservaretur veniale, quum illud confiteri non sit necesse, quamvis si reservaretur, non posset remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, quum Episcopus facultatem subduxisset, sed aliis rationibus venia impetranda foret.

157. *Interna peccata, etiam gravissima*, non solent reservari, quamvis procul dubio reservari possent, quum absolvendi potestas intra limites, ex arbitrio Episcopi, contineatur. Reservantur peccata externa, et quidem re consummata : odiosa enim censetur reservatio, et ad actus consummatos restringitur, nisi alias constet de mente reservantis. Si incestus reservetur, absolvi potest qui tactus habuerit turpes, imo et copulam, semine extra vas effuso, cum propinqua. Si sodomia reservata sit, intelligitur maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina coitus : non autem quæ imperfecta sodomia dicitur, maris scilicet cum fœmina in vase indebito. Sed provocatio ad duellum, et ejus acceptatio, etiam conflictu non secuto, reservatur specialibus constitutionibus pontificiis. Si actus externus levis sit, quamvis interius peccet quis gravissime, reservatio non obtinet : nam respicit præcipue actum externum.

158. *Impuberum peccata* non censentur reservata, nisi Episcopus speciatim id declaraverit. Peccata de quibus dubitatur utrum admissa sint, non habentur reservata, quia restringi debet ad casus certos, cum sit odiosa reservatio : idem dicitur a plerisque de peccatis certo admissis, sed quæ non constat esse reservata. Cæterum Clemens VIII. prohibuit ne confessarius quilibet absolveret « ab ullo ex casibus clare vel dubie in bulla in cœna Domini legi solita contentis : » qui tamen rigor postea mitigatus est. Percussio clerici, quando dubitatur an sit gravis, Papæ reservatur speciali juris sanctione.[3]

159. *Absolvere potest a reservatis qui ea reservavit*, vel qui ejus locum tenet, vel qui potiori gaudet auctoritate. Episcopus, vel Vicarius generalis absolvit a peccatis ab Ordinario reservatis : Pontifex supremus potest a peccatis quæ Episcopus reservaverit absolvere : quod tamen non facit, nisi gravissimam ob causam. Alteri autem non censetur concedere facultatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, licet fecerit potestatem absolvendi a peccatis ipsi Pontifici reservatis : quapropter diœcesanæ reservationes ab omnibus, etiam a regularibus, servandæ sunt.[4] Archiepiscopus nil potest in peccata quæ Episcopus suffraganeus suo servaverit judicio.

(1) Sess. xiv. cap. vii. *de Pœnit.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 582.
(3) Extrav. *Perlectis.*
(4) Vide Clement. X. Const. *Superna*, et prop. iii. inter damnatas ab Alex. VII. 30 Jan. 1659. et prop. xii. inter damnatas ab eodem 24 Sept. 1665.

160. Concessit Concilium Tridentinum facultatem Episcopis « in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. » [1] Præterea quandocumque nequeunt subditi adire Papam, legitimo impedimento detenti, Episcopi ex juris sanctione absolvunt a reservatis. [2]

161. *Qui absolutus est a reservatis* in mortis discrimine, non tenetur deinde, si convaluerit, adire superiorem; quia omnis reservatio tunc cessat; secus si a censuris fuerit absolutus : hæ enim nonnisi ea lege tolluntur, ut absolutus sistat se Superiori ad mandata ejus suscipienda, si convaluerit, quod si omiserit, in eas iterum incidet : quapropter inferior, præsente Superiore qui possit ab eis solvere, nequit etiam in mortis articulo absolutionem a censuris dare : quia est copia adeundi Superioris. [3]

162. Inquirunt theologi, *utrum aliquo in rerum discrimine*, extra mortis periculum, *possit absolutio a reservatis ab illo concedi* qui non habet auctoritatem in reservata. Negantibus favent maxime verba Tridentinorum Patrum : « extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. » [4] Attamen plurimi censent verba hæc intelligenda de ordinaria et directa absolvendi potestate; sed in gravissima necessitate, si urgeat : v. g. necessitas celebrandi, et sacerdos non adsit, qui celebraturum a peccato reservato facultatem habeat absolvendi, putant licere absolutionem impertiri *directe* a non reservatis, *indirecte* a reservatis, onere tamen relicto adeundi Superiorem. « Quando igitur » inquit S. Alphonsus, adest impedimentum, et urget gravis causa confitendi, quivis confessarius potest indirecte absolvere a casibus reservatis ab Episcopo, et etiam a reservatis a Papa, si Episcopus non possit adiri. . . . Et hoc etiamsi peccatum sit reservatum cum excommunicatione . . . Diximus, si adsit *gravis causa*, nempe si nequeat adiri superior sine scandalo, aut nota infamiæ, vel sine magna difficultate; puta si habens facultatem longe distet, (ut dicunt Laymann, Elbel et Bonacina) et ex alia parte urgeat necessitas communicandi, vel implendi præceptum annuæ confessionis, aut ne diu pœnitens maneat in peccato mortali. » [5]

163. Si quis confessus fuerit habenti facultatem a reservatis absolvendi, sed oblivione ea confiteri omiserit, dubitatur utrum absolutus habendus sit. Plures negant quia peccatum non est judicio subjectum, qui est præcipuus reservationis finis. Constat autem confessionem rite factam tempore Jubilæi confessario necessaria in reservata instructo potestate, valere ad tollendam reservationem, etiamsi peccata fuerint præ oblivione omissa : nam Pontifex ita solet indulgere iis qui lucrandi Jubilæi causa pia exercitia persolvunt : sed non tollitur reservatio confessione invalida, quia facultas conceditur tantum ad effectum Jubilæi lucrandi. Si fiat confessio bona fide ei qui caret potestate in reservata, valet quidem absolutio, sed manet obligatio se sistendi judicio Superioris.

(1) Sess. xxiv. cap. vi. *de Reform.*
(2) Cap. vi. *de sent. excom.*
(3) S. Alph. l. vi. n. 563.
(4) Sess. xiv. cap. vii. *de Pœnit.*
(5) S. Alph. l. vi. n. 585.

164. *Si quis confessus fuerit superiori peccatum reservatum*, et ab eo fuerit absolutus, sed doloris defectu caruerit ejus beneficio, videtur aliquibus non posse ab alio deinceps absolvi, quum Superioris mens fuerit reservationem nonnisi Sacramento conferendo tollere. Attamen contraria aliorum sententia magis probatur S. Alphonso : nam finis reservationis jam obtentus est, ut peccata judicio Superioris subjicerentur, quod contingit etiam dum fit confessio nulla, vel sacrilega.[1] Sed si Superior ipse, audito peccato reservato, remiserit pœnitentem ad sacerdotem alium, censetur reservationem sustulisse, ut alter eum absolvere valeat. Negant plerique id licere, quum peccata reservata non sint extra Sacramentum tollenda : quod ubi agitur de casibus occultis Papæ reservatis, in quos nihil potest Episcopus nisi in foro sacramentali, videtur verissimum : sed ubi reservatio ab ipso Episcopo proveniat, nescio quid obstet, ut tollat reservationem extra Sacramentum, facultate confessarii libera relinquenda. S.Alphonsus sic loquitur : « Alii dicunt id tantum licere in casu gravis necessitatis, puta si Superior non posset se expedire ab aliquo gravissimo negotio, et contra, necessarium judicaret personaliter audire peccatum reservatum. Idque admittunt Lugo, Croix, et Palaus cum Vasquez et Coninch : sed in casu rarissimo, addito quod pœnitens esset in necessitate communicandi, et nollet eadem peccata bis confiteri. Hoc ultimum non videtur improbabile, posito cum omnibus his conditionibus. »[2] Hæc intelligenda videntur etiam de peccato ab Episcopo reservato, quando pœnitens necesse habet Sacramentum recipere, et nequit absque gravissimo incommodo peccata omnia Superiori referre.

165. *Qui absolutus est indirecte a confessario* ob gravem causam, tenetur deinceps se præsentare Episcopo, quum extra mortis articulum sacerdotes nihil possint in casus quos Episcopus sibi reservaverit; ideoque obligatio se præsentandi suspensa sit, haud sublata. *Directe* tamen absolvit Episcopus impeditos adire Pontificem, et sacerdos, si Episcopus adiri nequeat, sub onere se præsentandi cessante impedimento : quod si perpetuum fuerit, omnino liberantur.

166. *Etsi Superior injuste deneget facultatem absolvendi* a reservatis, nihil potest in ea sacerdos, quia tum in reservatione facienda, tum in ea haud tollenda, utitur jure suo : peccat tamen Episcopus duriorem se exhibens cum animarum damno, præsertim si noverit pœnitentem nullatenus induci posse ad eum adeundum.

167. *Plerumque non expedit* ut confessarius sibi assumat onus Episcopi adeundi, præsertim si pœnitentis mentio facienda sit, quod absque ejus licentia nullatenus licet, vel si ex adjunctis suspicio in reum cadere possit.

168. *Peregrini absolvi possunt* juxta diœcesis statuta in qua versari contigerit, quoties ex sua diœcesi non migraverint in fraudem reservationis. Si peccatum admiserint, quod tum in diœcesi in qua versantur, tum in sua, reservatum est, nequeunt absolvi nisi ab eo qui habet facultatem in reservata, in diœcesi ubi confitentur. Si sit reservatum in ea diœcesi, non tamen in sua, nequeunt absolvi, quia reservatio respicit directe confessarios, quorum potestas intra limites coercetur. Si sit reservatum in sua diœcesi,

(1) S. Alph. l. vi. n. 598.

(2) Ibidem, n. 595.

quin sit in ea in qua confitentur, possunt absolvi, quia confessariorum potestas juxta statuta diœcesana exercenda est. In Bulla quæ incipit *Superna*, Clemens X. declaravit : « posse regularem confessarium in diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessarius est approbatus, absolvere; nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. »[1] *In fraudem* autem, juxta S. Alphonsum, fit, » quando quis alienam petit diœcesim ob principalem finem obtinendi absolutionem, vitandique judicium proprii pastoris. Ratio, quia fraus dicitur intervenire, ubi lex redditur elusoria, ut ait Barbosa, Axiomate 102. n. 4. Eluderetur autem hic reservationis lex, si pœnitens alio migraret ex principali motivo petendi absolutionem. Unde bene ipse absolvi poterit, si abscesserit ad aliquam diœcesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi, vel indulgentiæ lucrandæ; vel ut confiteatur, cum minori incommodo, aut citius confessionem expediat; vel ut confessarium incognitum, aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat, et tranquillitati suæ conscientiæ consulat, et similia. Secus (ut diximus) si ibi accederet ex principali fine, ut effugiat judicium sui superioris, vel ut facilius absolvatur. »[2] Non autem in fraudem reservationis pro absolutione obtinenda migrat, qui ex diœcesi discedit ad peccatum patrandum quod in ea reservatum est : nam id facit ad reservationem effugiendam.

169. A censuris in patria reservatis nequit peregrinus absolvi, « quia tota facultas simplicis confessarii absolvendi a censuris habetur ex c. *Nuper*, *de sent. excomm. in* 6., ibi autem dicitur simplex confessarius non posse absolvere a censuris, quando sunt reservatæ. »[3]

170. *Peregrinus peccatum reservatum in diœcesi* in qua moratur *patrans*, reservationi subjacet, quia legibus loci tenetur, non tamen excommunicationem, si forte adnexa sit, contrahit : nam jus decernit « solos subditos comprehendi sub excommunicatione lata ab Episcopo pro futuris delictis.»[4] « Excipit Mazotta excommunicationes quæ feruntur per statutum respiciens commune bonum territorii, etc. »[5]

171. *Personæ haud exemptæ* peccatum reservatum patrantes *in monasteriis*, seu locis aliis exemptis, reservationem contrahunt, quia reservatio afficit potestatem confessariorum, qui proinde reos delicti hujusmodi absolvere nequeunt.

172. *Qui* peccarunt *extra suam diœcesim*, in alia in qua nulla fuit reservatio, nequeunt absolvi in patria a delicto quod in ea reservatur, quia confessarii potestas ab Episcopo loci pendet.

173. Ex facultate Tridentini Concilii[6] *Episcopi possunt absolvere peregrinos* a casibus Papæ reservatis, modo sint occulti, quia « subditi etiam dicuntur tales peregrini, qui in foro sacramentali subjiciuntur Episcopo diœcesano.»[7] Idem licet Vicariis capitularibus, seu administratoribus, sede vacante : et juxta plerosque, iis qui jurisdictionem quasi episcopalem habent.[8] Ea autem facultas nonnisi in foro sacramentali exercenda est. Si Episcopus ipse inci-

(1) Edita 21 Junii 1670.
(2) L. vi. n. 589.
(3) Ibidem. n. 590.
(4) Cap. A nobis, *de sent. excom. in* 6.
(5) S. Alph. l. vi. n. 591.
(6) Sess. xxiv. cap. *Liceat.*
(7) S. Alph. l. vi. n. 593.
(8) Ibidem.

derit in crimen hujusmodi, « poterit deputare proprium ipsius confessarium, esto sit extra suam diœcesim, ad se absolvendum cum eadem facultate qua ipse posset alios sibi subditos absolvere. » Casus autem occulti censentur, quando probati non sunt in judicio, vel non palam innotuerunt, ita ut nulla tergiversatione possint celari. Ea absolvendi facultas videtur extendi ad reservationes Concilio Tridentino posteriores, nisi specialiter ei derogetur, uti fit in Bulla *Cœna Domini :* et in Bulla S. Pii V. in qua moniales frangentes clausuram ad malum finem, necnon licentiam concedentes, comitantes, etc., excommunicationi subjacent, « a qua præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. »

174. *Episcopi nequeunt absolvere* a casibus occultis reservatis ab aliis Episcopis, quia facultas Tridentina respicit casus Sedi Apostolicæ reservatos: vox autem *etiam* eo loci adhibita, ex consuetudine et stylo, non censetur eam extensionem importare. [1]

175. *Possunt Episcopi*, ex plerorumque sententia, sacerdotibus quibuscumque facultatem absolvendi a casibus occultis *delegare*, quia jam inhæret Episcopi muneri : et sacerdotes quibus ita committitur, habentur tanquam specialiter deputati. Speciali hac deputatione indiget ipse Vicarius generalis: nam « recte ait Sanchez, Vicarium Episcopi non habere potestatem absolvendi ab his casibus ex generali commissione vicariatus, nisi specialiter ab Episcopo committatur. » [2]

176. *Regulares nequeunt absolvere* a casibus quos Episcopus specialiter sibi reservavit, sive in Synodo, sive extra Synodum, uti patet ex Bulla Gregorii XIII. *Cum a sacra.* Nequeunt etiam absolvere a sex casibus a Clemente VIII. recensitis, nimirum percussione clerici, duello, violatione immunitatis ecclesiasticæ, violatione clausuræ ad malum finem, simonia reali, et simonia confidentiali; nam facultas ab his absolvendi expresse regularibus est adempta : a cæteris autem casibus in jure Episcopis reservatis regulares censentur probabilius absolvere posse.

177. *Moniales haud exemptæ* reservationibus ab Episcopo factis subjacent : de exemptis disputatur, probabilibus utrinque rationibus, judice S. Alphonso. [3] Utrum possit Episcopus reservare casus quoad has, ubi agitur de clausura custodienda, v. g. si ostio aperto loquantur cum sæcularibus, etiam in controversiam vocatur, quamvis custos sit clausuræ, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus.

178. *Absolvens a reservatis*, sive Episcopo, sive Sedi Apostolicæ, *prætextu privilegii*, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, ex decretis S. C. anno 1601 et 1602, auctoritate Clementis VIII. et anno 1607. auctoritate Pauli V.

179. *Prælatis Regularium permittitur* ex Clementis VIII. Constitutione, undecim tantum casus sibi reservare : v. g. I. apostasiam a Religione : II. nocturnum ac furtivum e monasterio egressum : III. veneficia, incantationes, et sortilegia : IV. proprietatem contra votum paupertatis, in materia gravi : V. furtum mortale de rebus monasterii. VI. peccatum carnis consummatum : VII. juramentum falsum in judicio legitimo : VIII. procurationem, consilium, vel auxilium ad abortum fœtus animati, etiam effectu non secuto : IX. occisionem, vel vulnerationem, vel gravem percussionem cujuscumque personæ : X. falsificationem manus,

(1) S. C. Conc. 24. Jan. 1711, et 29. Nov. 1712.

(2) S. Alph. l. vi. n. 594.

(3) Ibidem, n. 602.

vel sigilli officialium monasterii : XI. malitiosum impedimentum, retardationem, aut apertionem literarum a superioribus ad inferiores, vel e contra. Reservationes hæ vix vim obtinent, Religiosis in itinere apud sacerdotem haud sui Ordinis confitentibus.

180. *Religiosi exempti non subjacent* reservationi Episcopi : nec eorum novitii, vel familiares, modo inibi sint quasi de familia, et continui commensales. Si inciderit novitius in reservationem ante ingressum, poterit, ex privilegio Religionis, absolvi a confessario ejusdem Ordinis.

CAPUT IX.

DE ABSOLUTIONE.

—

§. 1. De sacerdotis judicio.

181. *Sacerdos jurisdictione præditus* post exceptam peccatorum confessionem, potestatem solvendi et remittendi peccata exercet, pœnitentem absolvendo : ligat quoque imponendo opera satisfactionis, et retinet peccata eorum qui haud idonei veniæ videntur. Equidem potestas a Christo Domino concessa, nonnisi juxta sanctissima ejus instituta exerceri valet, ut pœnitentibus sit venia : nam, uti optime animadvertit S. Thomas, « sacerdos operatur in usu clavium sicut instrumentum et minister Dei : nullum autem instrumentum habet efficacem actum nisi secundum quod movetur a principali agente : et ideo dicit Dionysius, *in fine Ecclesiasticæ hierarchiæ*, quod sacerdotibus utendum est virtutibus hierarchicis, quomodo divinitas eos moverit. . . . . . Unde si quis præter illum motum divinum uti sua potestate præsumpserit, non consequeretur effectum, ut Dionysius dicit : et præter hoc a divino ordine averteretur ; et sic culpam incurreret. »[1] Equidem manifestum foret peccatum temere uti potestate divinitus concessa.

182. *Qui* pœnitenti animo sua *confessus est* peccata, et paratum se exhibet ad jussa sacerdotis implenda, jus habet ad absolutionem, quum gravissimum confitendi onus ea conditione subierit, ut veniam ex Christi instituto consequeretur : quapropter gravis ei fieret injuria, si, nullo a se objecto obice, venia denegaretur. Statim plerumque absolvendus idcirco est : quamvis contingere possit aliquando, ut dilatio absolutionis ad breve quoddam tempus ei profutura sit in cautelam et remedium : quapropter animæ medico, qui et judex est, licet æqua ex causa eam differre, præsertim eo consentiente.

183. *Sacerdotis judicium ex causæ cognitione* proferendum est, ideoque debet eo quo absolvit temporis momento conscientiæ pœnitentis statum habere perspectum. Equidem in tribunalibus plerisque causæ cognitio sententiæ præcedit, dierum nonnumquam intervallo, et in ipso pœnitentiæ tribunali sæpe confitetur pluries pœnitens antequam absolutione donetur : sed oportet ut judicii sacri materia actu subjiciatur clavibus Ecclesiæ, ut sic forma cum actibus pœnitentis qui dolet, et confitetur, et satisfacere promittit, conjungatur : arctior enim, uti monet S. Alphonsus, debet esse nexus inter sententiam et causæ cognitionem in sacro hoc judicio. Cæterum facile contingit, ut obliviscatur sacerdos peccatorum, quæ ante hebdomadas aliquas, vel menses, pœnitens declaravit ; quapropter consuetudo hæc protrahendi judicii non omnibus probatur.

(1) Sup. iii. p. qu. xviii. art. iv. *Resp.*

Si recordetur status pœnitentis, quamvis singulorum quæ exposuit, non habeat notitiam, omnes facile concedunt eum absolutionem dare posse: sicut etiam si recordetur peccatorum *in confuso*, uti aiunt, generalem habens eorum notitiam. Si pœnitentiæ recordetur, vel a pœnitente ejus notitiam expiscari possit, hac ratione eum posse sufficientem causæ cognitionem tunc habere plerique censent, quum singulis vicibus quodammodo judicaverit, et remisso pœnitente ad id temporis cum absolutionis spe, dederit locum judicio perficiendo. Cæterum sæpius contingit ne quidem pœnitentiæ impositæ notitiam haberi ullatenus posse: quo rerum eventu, puto oportere ut in graviora peccata ab ultima communione admissa inquirat ad refricandam memoriam, quamvis onus gravissimum confessionis repetendæ vix unquam imponendum sit. « Sacerdos, » inquit S. Alphonsus, « dum sententiam profert, debet efformare judicium, saltem de statu conscientiæ pœnitentis. » [1]

184. « *Confessarius non tenetur de singulis peccatis* certum formare judicium, sed tantum de obviis et claris. » [2] Equidem studium ejus in eo præcipue ponendum est, ut judicet utrum peccatorem vere pœniteat, et quæ ei injungenda sint, in admissorum expiationem, et animæ remedium. De plerisque difficultatibus aliqua dicemus.

§ II. De occasione peccati.

185. Imprimis dicendum est de peccatoribus qui in occasione proxima peccandi versantur. *Occasio peccati* dicitur quidquid ad peccatum allicit, sive ex natura sua, sive ob cujusdam fragilitatem. Quidquid, spectata communi hominum fragilitate, peccati periculum grave affert, adeo ut in ea plerumque peccent, occasio proxima *per se* dicitur: sic puellæ lascivibundæ consortium diuturnum, semotis arbitris, est occasio proxima *per se* impudicitiæ. Occasio proxima *per accidens* dicitur quidquid grave lapsus periculum affert cuidam ob specialem ejus fragilitatem, adeo ut frequenter in ea peccet; licet plerisque non noceat. Potus modicus vini, vel alterius liquoris est quibusdam proxima ebrietatis occasio. *Remota occasio* dicitur illa in qua homines plerumque non peccant. Colloquia cum amicis, deambulatio, et necessarium cum concivibus commercium, possunt peccato præbere locum. Res omnis potest esse remota occasio peccati: « quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. » [3] *Voluntaria* occasio ea est quam quis sponte appetit, quum facile posset eam declinare: de qua merito damnata est ab Innocentio XI. propositio hæc: « Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quinimmo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit. » [4] *Necessaria* occasio est quæ nullatenus vel saltem haud sine gravissimo incommodo possit deseri. Mancipium quo herus in sui libidinem abutitur, in necessaria occasione peccati versatur; nec enim fugere valet: uxor, qua maritus contra leges conjugii utitur, est in occasione quodammodo necessaria. *Moralis* dicitur necessitas, quæ ex magna sui utilitate oritur, qualis est eorum, qui munus, quo sustentantur, deserere cogerentur, ad peccati occasionem declinandam.

(1) L. vi. n. 502.
(2) Ibidem, n. 500.
(3) Sap. xiv. 11.
(4) Prop. lxi.

Medicus aliquando, in venerem proclivis, vix potest saluti consulere, nisi arte deserenda. Occasio aliqua subsistit et permanet, et ideo *in esse* dicitur, qualis est consortium concubinæ, quam domi quis retinet. Eam domi retinere censetur, quæ domum conducit in qua ipsa habitat, eamque visitat veluti suam, licet ipse alibi moretur : occasio foris quæritur, quando quis quamdam invisit quam non ita sibi retinet. Hæc occasio proxima habenda est, si homo peccet quoties quamdam invisit, licet id contingat semel, vel bis, in anno ; quæ proinde nullo modo ab eo invisenda est. [1] Sed et proxima est occasio, si quis sæpe cum quadam peccet, licet haud toties, quoties datur copia.

186. Certum est occasionem *voluntariam* et *proximam* peccati, sive communem, sive specialem, præsertim quæ apud se retinetur, esse deserendam; qui enim in ea versari pergit, manifesto discrimini lapsus se objicit. Frustra quidem sibi blanditur, qui putat se victorem futurum peccati, hoste prope se relicto. Ideo pœnitens qui retinet hujusmodi occasionem, omnino cogendus est ut eam amoveat : quo proposito si careat, vera contritione carere convincitur : sed et propositum executioni est demandandum antequam absolutio detur : nam tanta est cupiditatis vis, manente occasione, ut nemo possit sibi, proponenti ejus amotionem, fidere : « Ordinarie loquendo, » inquit S. Alphonsus, « nunquam absolvi debet pœnitens qui versatur in occasione proxime voluntaria, etiamsi extraordinaria signa doloris afferat, antequam occasionem removeat; occasio enim extrinseca, præsertim ubi agitur de vitio turpi, quando præsens est, ita mentem excæcat, ut omnia proposita e memoria deleat, et ad peccata ita impellit, ut aliquis, etiamsi certam suam damnationem ab illo crimine secuturam cognosceret, adhuc a peccato non desisteret. » [2] Etiamsi propositum tollendæ occasionis sincerum sit, contendit pœnitentem haud esse vere dispositum, nisi reapse sustulerit, ob periculum manifestum relabendi, quod differendo subit. « Ablatio occasionis est res magnopere ardua, et non fit nisi quis magnam vim sibi inferat, ut avellatur ab illa occasione, ad quam, propter præteritam sui animi adhæsionem, remanet valde propensus; et ideo, si occasio non aufertur ante absolutionem, pœnitens de facili post absolutionem se decipiet, falso sibi suadendo quod tentationibus resistet, et sic, occasione non dimissa, profecto redibit ad vomitum. Qua de re, si talis vellet absolvi, antequam occasionem deserat, esset indispositus, quia se constitueret in probabili periculo infringendi propositum : ac propterea confessarius, qui eum absolveret, ipsum relinquendo in tali periculo, utique peccaret tam contra officium judicis, quam medici, quia absolveret indispositum, non applicando illi remedium suæ saluti necessarium. » [3]

187. *Non excusatur pœnitens a tollenda occasione*, licet solatio magno ac delectatione privandus sit, consortio hujusmodi in rebus licitis renuntians : nam merito rejecta est cujusdam excusatio, quod, ejecta concubina, vix alia inveniretur famula quæ dapes sibi pararet congruas, veluti ac si gulæ voluptas præ animæ salute habenda foret : « Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concu-

(1) S. Alph. l. vi. n. 452.

(2) L. vi. n. 452. (3) Ibidem, n. 454.

binam, si hæc nimis utilis esset ad delectamentum concubinarii, vulgo regalo; dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam; et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur. »[1] Gravior est excusatio quando quis nequit absque infamia dimittere ancillam: sed imprimis considerandum, utrum fama jam non sit amissa, cui medebitur offensionis causa auferenda. » Revera potius scandalo erit, » inquit S. Alphonsus, « si post confessionem occasionem non auferat: aut enim alii suum peccatum aut periculum ignorant, et tunc nihil mali suspicabuntur, puta si quis famulam dimittit, vel jam alii id animadverterunt, et tunc famam potius recuperabit, quam amittet. »[2]

188. *Contingit* sæpe *hominem peccare* haud ex affectu erga mulierem aliquam, sed *insana instigante libidine*, cui cum quacumque gratificari studet: sic heri erga mancipia plerumque afficiuntur. Amoveri vix potest hujusmodi occasio, cum inter res suas recenseantur, et uxoris suspiciones vehementes excitarentur, si aliqua alii traderetur, alia in ejus locum suffecta Iis in rerum adjunctis non videtur cogendus ad removendam ancillam, quæ vix dicenda est occasio peccandi, quamvis sit *objectum* peccati, et socia: sed libidini opportuna adhibenda sunt remedia, antequam ad Sacramenta herus admittatur.

189. Etiamsi *extraordinaria* contritionis indicia dentur a pœnitente, qui et pollicetur quamprimum tollere occasionem, differenda est venia, nisi urgeat gravis valde ratio ut statim concedatur. Equidem nonnumquam pœnitens nequit occasionem statim tollere, absque gravissima famæ dispendio, vel damno alio magni momenti: vel nequit ad confessarium redire post ablatam occasionem · in quibus rerum adjunctis voluntas pro re acceptanda erit, et venia concedenda. Quod si semel, alterave vice fallat fidem, non erit ei pollicenti credendum.

190. Occasio *necessaria* est vel *physice*, vel *moraliter*, uti supra diximus. Qui in occasione physice necessaria versatur, absolvendus est, quando de contritione et proposito constat: nam occasionem tollere omnino nequit; attamen, extra mortis discrimen differenda est aliquando absolutio, ut in remediis adhibendis fiat solicitior, et ad Eucharistiam suscipiendam morum emendatione paretur. Sic cum mancipiis agendum, quæ cum heris vel eorum filiis peccare consueverunt. In mortis articulo absolvitur pœnitens, qui non habet tempus, vel modum, expellendi amicam; quæ tamen, si ullo pacto fieri posset, foret ab ejus aspectu amovenda. Occasionem moraliter necessariam, quæ, scilicet, ad sui sustentationem requiritur, vel deseri nequit absque gravissimo famæ, honoris, vel rerum dispendio, nemo deserere cogitur, nisi post adhibita semel iterumve remedia, absque felici successu. Cæterum plerumque oportet, præsertim quando de vitio turpi agitur, absolutionem differre, ut remedia reapse adhibeantur, quandocumque id commode fieri possit: quam rationem se semper servasse S. Alphonsus testatur. « Censeo enim, quod confessarius tamquam medicus tenetur aptare suo pœnitenti remedia opportuna, ut ille suam faciat salutem; reorque nullum aliud aptius antido-

(1) Prop. xli inter damnatas ab Alex. VII.

(2) L. vi. n. 452.

tum ministrari posse ei, qui est in occasione proxima, quam dilationem absolutionis; dum experientia docet, quod pœnitentes postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media præscripta adhibere, et sic facillime recidunt: cum e converso, quando ipsis absolutio denegatur, vigilantius satagunt remedia exequi, et tentationibus obsistere, impulsi quidem a timore, ne cum ad confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur. Et casu quo pœnitens prius admonitus ab alio confessario media præscripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, dico omnino dimittendum esse sine absolutione, nisi forte extraordinaria signa doloris exhibeat. Et etiam huic adhuc extraordinaria compunctione donato, ordinarie loquendo, absolutionem denegarem, quando commode absolutio posset differri. Fortasse alicui hæc tradens nimis rigidus videbor: sed ego, cum pœnitentes offendissem hujusmodi occasionum laqueis irretitos, sic semper egi, et semper agam; hac enim via incedens non me rigidum, sed maxime erga eos benignum esse puto, quandoquidem nullo isto aptior modus mihi videtur, ut ipsi a peccatis, et ab æterna damnatione eripiantur; et e contrario crederem, quod, si benigne agendo absolutionem quam petunt eis præstarem, causa essem ut misere in vitiis marcescerent. »[1]

191. *Qui animo contrahendi matrimonii se invisunt*, juxta Roncagliam, possunt ad sacramenta admitti: cui tamen contradicit S. Alphonsus, hujusmodi consortium peccandi esse occasionem proximam declarans: « Ego experientia doctus vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsæ accedere; vel sponsæ, aut parentibus, illum in domo excipere: raro enim reperi, qui in tali accessu non peccaverit, saltem verbis aut cogitationibus, cum omnes aspectus et colloquia inter hujusmodi sponsos sint incentiva ad peccandum, et moraliter impossibile sit ipsos invicem tractare, et stimulos turpes non sentire ad ea, quæ tempore conjugii inter se futura erunt. In his autem omnibus, præsertim ubi turpium lapsuum periculum imminet, advertat sedulus confessarius, quod nunquam crudelius se geret cum pœnitente quam benignius agendo, et quo majorem se veritatem adhibebit, eo melius illius saluti consulet. D. Thomas a Villanova (*Fer. 6. post Dom. 4. Quadrag.*) vocat confessarios « impie pios, qui ne confitentem contristent, illum in sua nequitia manere permittunt. »[2] Hæc nonnulli haud sine gentis injuria, ex depravatis Italorum moribus durius dicta a S. Alphonso censent: sed melius æquiusque regionibus omnibus convenire censentur: unicuique enim compertum esse debet, ab hujusmodi consortio, diu continuato, vix abesse graviora peccata.

192. *Quotiescumque* remediis pluries adhibitis, oratione scilicet, rerum æternarum meditatione, jejunio, etc., *emendatio nulla* sequitur, tollenda est occasio quacumque cum jactura, ne anima in æternum pereat. Hinc communis est sententia, teste S. Alphonso, eum qui remediis adhibitis non emendatur, « non posse absolvi, nisi occasionem deserat cum jactura adhuc vitæ, si opus sit, quando nulla emendatio, nec probabilis spes emendationis appareat. Ratio quia homo tenetur cum omni jactura vitare periculum proximum peccati formalis. »[3] Si tamen extraordinaria dentur doloris indicia, erit spes emendationis.

(1) S. Alph. L. vi. n. 456.

(2) Ibidem n. 452. (3) Ibidem, n. 437.

193. Licet causa aliqua utilis aut honesta proximam occasionem non fugiendi occurrat, *fugienda tamen est:* nam animæ saluti imprimis consulendum; quapropter damnata est propositio: « Proxima occasio peccati non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. » [1] Fuit qui diceret licere quærere directe causam proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi: » [2] sed abhorret ab omni pietatis sensu, quum peccatum sit per se malum, quod nullius boni obtentu faciendum est. Quod si externa occasio peccati muneri suo inhæreat, et cum magna sui utilitate conjuncta sit, licebit peccandi periculum, adhibita cautela, tollere, quin statim munus deseratur. Medicus debet pietatis præsidiis se munire, ut suam exerceat artem, quam non statim deserere tenetur, licet semel vel bis in ea peccaverit: quod si sæpius relabatur, adeo ut spe cadat emendationis, debet id saltem artis exercitium deserere, quod perniciem animæ consuevit afferre: v. g. puellarum curationem. Hinc dicit jus canonicum: « Falsa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali, non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævaleat. » [3] Ipse Christus jussit ut quæ magis necessaria, vel utilia videntur, ad inferorum supplicia evitanda, abjiciamus: « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te etc. » [4] Omnes igitur qui non possunt vincere tentationes, nisi abjiciendo munera sua, vel deserendo eos a quibus sustentantur, debent saluti providere, omnibus abjectis.

194. *Externæ occasiones peccati, quæ* inutiles sunt et perniciosæ, sunt omnino deserendæ: nec absolvendus est qui eas deserere haud pollicetur. Pravorum consortium, popinarum, fori aleatorii, et theatri frequentatio, et alia hujusmodi, quæ periculum absque ulla utilitate sua, vel aliena, afferunt, sunt deserenda. Promittenti eorum fugam fidere poterit confessarius: quod si semel iterumve fidem fregerit pœnitens, non statim erit absolutione donandus, sed rei periculo facto: « donec certis et evidentibus indiciis constet, illum ab his occasionibus esse segregatum. » Ita præscripsit S. Carolus Borromæus. [5] Sed nec alicui frequentare vel retinere licet occasiones peccati cum aliorum scandalo, quamvis peccandi consuetudinem dereliquerit. [6]

§. III. De consuetudine peccandi.

195. *Consuetudinarii a recidivis* in eo a theologis distinguuntur, quod hi dicantur qui confitendo renuntiarunt peccato, et in illud deinceps lapsi sunt, quum illi pravam foveant consuetudinem, quam sancto proposito et conatu ad vitam novam ineundam non abruperunt. Consuetudine irretitos esse absolutione donandos, quum prima vice accesserint, docet S. Alphonsus; [7] quoties scilicet animi vere pœnitentis exhibent argumenta, quæ ex adjunctis colliguntur: si enim subito tacti sint conscientia remordente, vel alias ad virtutis studium incitati, adjuvandi sunt Sacramenti gratia, ne

(1) Prop. lxi. inter damnatas ab Innoc. XI.
(2) Prop. lxiii.
(3) Conc. Lat. ii. can. xxii.
(4) Matth. v. 29.
(5) Inst. ad Confess.
(6) S. Alph. l. vi. n. 452. (7) L. vi. n. 459.

ægroto sanitatis studioso remedia denegari videantur. Non ita agendum, si non appareant pœnitentiæ indicia, cum emendationis spe : esset enim projicere sanctum canibus, margaritas porcis, vitiosos homines nullam spem emendationis præseferentes donare venia, qua utique frui non possent; quapropter Innocentius XI. damnavit hanc propositionem : « Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem. »

196. Erga peccatores *recidivos* minor exhibenda est indulgentia : nam lapsus facilis, post veniam semel impetratam, facit ut de doloris et propositi vi et efficacia aliquatenus dubitetur : quippe « irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. »[1] Cæterum si lapsus videatur vi consuetudinis, post luctam, vel ex subito libidinis impetu, vel fere inopinato, pœnitenti, et doloris indicia præbenti majora, subveniendum est; facile quippe vulnus recrudescit, et vires non statim integræ validæque restituuntur. Magna in medicamine adhibendo opus est cautela, ne ingravescat morbus, cum ægroti certo discrimine. Igitur recidivo peccatori tabulam pœnitentiæ iterum arripienti non est penitus subtrahenda. Sed nec absolvere præstat eum quoties se sistit, pœnitentiam professus : nam explorandus prius animus, et lapsus occasio; et venia danda, vel differenda, prout visum fuerit in Domino, juxta propositum mentis, et voluntatis infirmitatem.

197. Juxta S. Alphonsum, « certum est I. quod confessarius tenetur differre absolutionem, usque dum fiat moraliter certus de dispositione sui pœnitentis, saltem per experimentum temporis, vel mediorum, si pœnitens sufficiens nondum præbeat signum suæ dispositionis. » Moralem hanc certitudinem ita explicat : « sufficit quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis; alias vix ullus posset absolvi, dum quæcumque signa pœnitentium non præstant nisi probabilitatem dispositionis. »[2] Docet etiam confessarium posse differre absolutionem rite disposito, quoties judicat dilationem ejus emendationi utilem : nam medici et judicis munus simul obit; jus autem pœnitentis ad absolutionem non est in sui detrimentum vindicandum. Injuria quidem ei fieret, si absolutio differretur cum sui damno, vel famæ jactura, vel alias absque gravi causa, sed lucratur sæpe dilatione. Certa autem regula hac in re statui nequit, quum nonnullis prosit dilatio, aliis obsit.

198 *De relabentibus in* peccata quæ *ex fragilitate interna* contingunt, v. g. pollutionem, delectationem morosam, odium, blasphemiam, censet S. Alphonsus absolutionem iis vix differendam, si extraordinaria præbeant doloris signa. Octo, vel decem dierum, vel ad summum quindecim, dilationem permittit, quoties ex causa interna lapsus oritur. Quando ex causa externa, differenda est donec occasio sublata fuerit. Ratio discriminis desumitur ex vi hujusmodi causæ, quæ faciliter libidinem accendit, et optima evertit consilia : quum e contra fragilitas pœnitentis et infirmitas sananda sit, et roboranda interno gratiæ remedio; docente S. Thoma : « Majus

(1) S. Isidor. in cap. xi. *de Pœnit.* dist. iii.

(2) L. vi. n. 491.

remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine operum nostrorum. »[1] Favet Rituale : « In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere ut sæpe confiteantur, et, si expediat, communicent. »[2]

199. Temporis experientia quærenda est, quando propositum dubium videtur, et dolor exiguus : sed quoties de animo pœnitente constat, dari potest absolutio, quia juxta præsentem animi dispositionem judicandus est pœnitens. Temporis idcirco nullum exigitur spatium, nam non id inquiritur utrum perseveraturus sit; sed utrum impræsentiarum doleat de admissis, et perseverare firmiter proponat. Docuit Christus ignoscendum esse fratri admissorum in alium pœnitenti septuagies septies : quod ad imitationem divinæ erga peccatores misericordiæ fieri censendum est.

200. *Extraordinaria doloris indicia*, sunt I. lacrymæ, suspiria, verba ex imo corde veluti profecta, præsertim ab hominibus, qui durioris plerumque sunt indolis « In dispensandis donis Dei, » inquit S. Leo, « non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem credamus ex Dei inspiratione conceptam. »[3] II. Numerus peccatorum diminutus, in iisdem, in quibus sæpius peccaverat, rerum adjunctis : inde enim liquet eum in cupiditatibus reprimendis studium ponere : ex. gr. si quis semel peccavit in mense, qui antea quotidie labi consuevit : vel si post certamen magnum tentationi cessit. III. Pietatis exercitia ad præcavendum lapsum suscepta, v. g. jejunia, eleemosynæ, orationes, sacer secessus, fuga occasionum, et quæ præscripsit confessarius accurate impleta. IV. Solicita inquisitio subsidiorum quibus se muniat contra tentationes; et magna animi promptitudo ad ea amplectenda. V. Confessio sponte facta, haud alterius jussu, vel rogatu, extra tempora consueta, et cum magno sui incommodo. VI. Si pœnitens accesserit, subitanea alicujus morte, vel eventu alio, qui cum divinis judiciis connexus videtur, percussus; vel vehementer commotus ex prædicatoris concione. VII. Si peccata quæ prius præ pudore omisit, confiteatur. VIII. Si rem ablatam restituerit, vel satisfecerit læso, ut se ad confitendum pararet. IX Si ex confessarii hortatione videatur novo peccati odio flagrare.

§. IV. De doloris defectu.

201. *Absolutio differenda* est, quoties non satis sibi persuasum habet confessarius pœnitentem animo vere dolere, et propositum fovere peccatum evitandi : prudens quippe exigitur de eo judicium, ut quis veniam impetret. Opus quidem non est sibi persuadere pœnitentem haud amplius lapsurum : nam Deus ignoscit vere dolenti, qui ex animo proponit peccatum vitare, et adminicula necessaria adhibere, licet prævideat eum aliquando a bono defecturum proposito. Sed si hæreat animo confessarius de pœnitentis proposito sincero et dolore, non debet temere absolvere, omissis subsidiis quæ dubitationem tollant. Si urgeat celebrandi necessitas, erit gravissima ratio cur pœnitentiam profitenti detur statim venia, ne celebrare cogatur anima haud mundata : non ita tamen, si, re sæpius tentata, semper noscatur fragilis : tunc enim de dolore et pro-

(1) Suppl. iii. p. qu. xxv. art. i. ad 4.
(2) *De Sac. Pœnit.*
(3) Epist. lxxxii. Theodor. Episc.

posito est gravis dubitandi ratio : et extraordinaria dolentis animi indicia exigenda sunt. Si Sacramentum suscipiendum sit *vivorum*, uti aiunt, erit etiam ratio cur detur absolutio ei qui dolorem et propositum præsefert, ne, peccati labe haud abstersa, indignus accedat : v. g. si matrimonium contracturus sit.

202. Quoties de pœnitentis dispositione dubitatur, et res non urget, opportunum erit absolutionem aliquamdiu differre, præceptis interim pietatis exercitiis, quibus muniatur in bono proposito animus : sed brevis debet esse dilatio, ne diuturniori mora pœnitens deficiat. Qui pro more habent pœnitentes in aliud tempus remittere, eo quod nonnisi semel accesserint post annos plurimos, vel peccatis gravissimis onusti, videntur obliti, quod tarda molimina nesciat Spiritus Sancti gratia. Igitur pro indole et dotibus pœnitentis venia statim indulgeri poterit gravissimo peccatori; alteri de cujus dolore dubitatur, nonnisi post tempus : alteri etiam qui dolere vere censetur, aliquando dilatio instar est medicinæ qua cautior reddatur. Sed cavendum ne qui animo dispositus est, in discrimen temere conjiciatur, gratiæ subsidio carens, et suæ fragilitatis periculum facturus.

203. *Qui absque ullo doloris sensu* sua peccata referunt, adeo ut confessarius indicium nullum animi in melius mutati detegat, nequeunt absolvi : non enim nisi pœnitenti venia indulgetur. Cæterum non statim judicandum aliquem haud dolere, quod siccis oculis, et frigide admissa enarret : nam ex indole cujusque plurimum pendet doloris significatio.

204. *Nemo autem, qui pravum ob finem non accedit, repellendus est* a tribunali, licet plane venia indignus; sed omne studium in eo ponendum, ut ad gratiam disponatur consiliis et hortationibus : « Confessor debet confessionem istius recipere, non tamen debet eum absolvere ; sed debet sibi de peccatis confessis salubrius consilium quod poterit exhibere, et consulere quod faciat aliquam pœnitentiam pro peccatis suis et inducere eum ad bonum quantum poterit. »[1] Nec refert quod querantur qui norunt homines pessimis moribus confiteri quin emendentur : nam confessarii charitas erga peccatorem exercenda est quamdiu spes aliqua salutis curandæ superest.

§. V. De inimicorum reconciliatione.

205. *Qui odium nolunt deponere*, nequeunt venia donari : nam : « qui non diligit, manet in morte : »[2] sed qui recusant amicitiæ, vel reconciliationis dare testimonia, non sunt statim rejiciendi. Equidem qui præstant auctoritate, nonnunquam durius se habere debent erga subditos qui eos læserunt : qui aliorum experti sunt nocendi libidinem, non coguntur eos familiarius tractare : qui jura repetunt, possunt ab iis abstinere amicitiæ significationibus quibus ea cedere viderentur. Cæterum quoties nulla obstat ratio gravis, reconciliatio quærenda est; nec facile credendum est pœnitentibus veniam et amicitiam profitentibus, qui tamen ab omni inimicorum consortio recedunt : « Falsa fit pœnitentia, » inquit Concilium Lateranense II. « si odium in corde gestetur, aut si offensor cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat. »[3]

(1) Manipulus Curatorum, Tract. iii. 2. par. c. v.

(2) 1 Joann. iii. 14.

(3) Can. xxii.

§. VI. De restitutione.

206. *Qui aliena nolunt restituere*, nequeunt absolvi : quod si propositum restituendi foveant, quin possint, voluntas pro re habetur. Equidem quoties de re gravissima agitur, restitutio facienda est quantocyus, ne voluntatis nutet propositum ; quod facile evenit. Si semel jussus restituere neglexerit pœnitens, quum copia ei fuerit, non est plerumque venia donandus, nisi re perfecta. Cæterum nunquam debet sacerdos exigere,vel suadere, ut res ei tradatur restituenda. Si precibus pœnitentis, ejus opera uti rogantis, cedendum aliquando censuerit, curandum ut restitutione facta, habeatur scriptum creditoris, quo liqueat sacerdotem rem fideliter tradidisse : omnis quippe suspicio a sacro ministerio absit necesse est.

207. *Hæc* pleraque quæ de absolutione disseruimus, *Ritualis Romani monito continentur*. « Videat diligenter sacerdos, » inquit « quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio ; ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces : quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant. »

§. VII. De ignorantibus.

208. *Qui præcipua fidei mysteria ignorant*, non sunt capaces absolutionis ; nam est arctissima lex fidei qua credenda proponuntur : quapropter damnata est propositio : « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, etiamsi per ignorantiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis Domini. » Igitur edocendi sunt pœnitentes rudiores, quibus mysteria singula proponenda sunt, ut iis fidei præstent obsequium ; facile enim contingit eos non posse documenta mandare memoriæ. Equidem plerumque confessarii opera in pœnitentibus edocendis desideratur, qui possit pueros virosve remittere, ut ad se veniant opportuniore loco instruendi : quod tamen de mulieribus puellisque non expedit, quum decentius sit ut privatim a mulieribus instruantur.

§. VIII. De moribundis.

209. *Moribundi, qui peccata confitentur et detestantur*, absolvendi sunt eo facilius quo magis urget necessitas ; sed ea quoque adhibita diligentia, quæ animam paret gratiæ certo suscipiendæ. Quæ onera ex peccatis admissis oriantur attendendum est, ut eorum impletioni provideatur : si enim neglecta fuerint, et filiorum conscientiæ permissa, facile oblivioni tradentur. Curandum etiam ut filiorum institutioni christianæ consulatur, quum sæpe contingat filios a fide avita desciscere, propinquorum acatholicorum opera. Amovendi sunt a conspectu et domo moribundi, qui ei fuerant socii et occasiones peccati : præsertim quorum præsentia vel publicæ honestati repugnat, vel periculum morituro afferre possit : at si id fieri nequeat, pœnitenti in discrimine posito succurrendum nihilominus est. Propinquorum, quos forsan simultas aliqua procul tenuerit, accessus quærendus, ut pax ineatur, et charitatis fœdus.

210. *Moribundi*, *qui sensibus destituti* nullum valent edere doloris indicium, absolvendi sunt, si confitendi desiderium et animi dolorem ostenderint, juxta Rituale Romanum, quod

Concilii Cathaginensis IV.[1] et Arausicani I.[2] fulcitur auctoritate. Sic et jussit S. Leo M. : « Si aliqui ægritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium et circumstantium prodesse debebunt, ut simul et pœnitentiam et reconciliationis beneficium consequantur. »[3] Simpliciter dandam esse eo casu absolutionem, nulla apposita conditione, plerique putant, quia est probabilis materia, et de conditione silet Rituale : quod si sit gravis ratio dubitandi, utrum doloris indicia fuerint sufficientia, tutius erit conditionem apponere : « Si dispositus es. » Si non constet eos desiderium hujusmodi ostendisse, plerique concedunt eos absolvi posse qui christiano more vixerunt : voluntas enim Sacramentum hoc accipiendi ex vitæ constanti ratione colligitur. Si neglexerint diu sacramenta, vitiis palam inquinati, servato tamen erga religionem affectu, est quidem ratio conjiciendi eos velle sub mortem Ecclesiæ subsidiis muniri, quamvis valde dubium sit utrum possint aliquem inde derivare fructum. Cæterum de iis valet Augustini dictum : « Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum; tamen si desperati, et intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri? . . . Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia. »[4]

211. Qui ipsum pietatis affectum, et religionis sensum deposuisse videntur, et muniis omnibus religionis neglectis, in ultimum discrimen adducuntur, nullo dato dolentis animi indicio, vix censeri possunt dispositi : quos tamen si quis voluerit venia sub cônditione donare, ut periclitanti qua possit ratione consulat, non audemus repugnare. Qui in ipso peccati actu morte correpti sunt, v. g. rixando, lasciviendo, vel nimis potando, non possunt absolvi, quum sint in peccato mortali manifesto : quod si aliquandiu supervixerint, licet sui non compotes, vel extra se abrepti furore, quem dicunt *mania a potu*, poterit quis conjicere eos intus dolere, quamvis turbata phantasia nequeant sua sensa pandere, quem eos absolventem sub conditione non improbamus. Qui licet catholicam fidem nunquam professi sint, voluntatem in eam proclivem ostenderunt, possunt eo in discrimine sub conditione absolvi a censuris et peccatis, si in suis sectis fuerint jam baptizati; est enim ratio quædam conjiciendi eos velle in Ecclesiæ communione vita fungi : quod si ejus voluntatis nullum datum sit indicium, non sunt absolvendi, etiamsi dent doloris signa : « quia tales numquam prudenter præsumi valent ea signa præbere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent. »[5] Moribundis absentibus nequit dari absolutio, etsi prævideantur sine ea alioquin decessuri : uti patet ex usu Ecclesiæ. Præterea vox « Te » designat hominem præsentem.

(1) Can. lxxvi.
(2) Can. xii. (3) Epist. lxxxix.
(4) L. i. *de adult. conj.* c. xxviii.
(5) S. Alph. l. vi. n. 483.

CAPUT X.

DE MUNERE CONFESSARII.

—

§. I. De confessarii scientia.

212. Confessarii dotes his versibus enuntiari solent :

Sit probus, et fortis confessor, sitque peritus,
Discretus, patiens, mitis, pius atque fidelis.

Scientia imprimis necessaria est, ut quis munere hoc recte fungatur : sed ut valeat absolutio, satis est ut quis sciat eam proferre, et de actus gravitate morali queat aliquatenus judicare, gravia a levibus peccatis, in iis quæ communiter occurrunt, distinguendo : quapropter vix est cui deest scientia ad valorem sacramenti necessaria. Ut licitum sit muneris hujus exercitium, longe major requiritur scientia ; nam scire oportet legem divinam, Ecclesiæ præcepta, et morum regulas generales, ut quis judicet de gravitate criminum, et oneribus imponendis ; et utrum pœnitentes absolvendi sint a peccatis : « oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicari : judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat. » [1] Optandum est eam haberi scientiam eximiam, qua de singulis rerum eventibus judicium sit idoneum; sed quum hæc paucorum sit, satis erit præcipua nosse ex quibus pendeat rerum judicium, et difficultates posse adimadvertere, ut aliunde quæratur solutio. Quousque extendatur ejus potestas, et quibus vinculis peccatores adstringantur, ex lege generali, vel speciali Ordinarii statuto, imprimis nosse oportet, ne limites transgrediatur. « Nulli sacerdotum, » ait Cœlestinus Pontifex, « liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. » [2] Unicuique idcirco confessarii munus ambienti studium Theologiæ Moralis pernecessarium est : et vehementer falluntur qui putant sensu tantum suo, quem sensus communis nomine dignantur, omnia facile dirimi.

213. Verissime dicit S. Alphonsus : « Moralis scientia non solum valde necessaria est christianæ reipublicæ, cum ex ea dependeat bonum regimen animarum, sed etiam est summopere difficilis ; tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium ; tum quia tot diversas complectitur materias inter se dissitas ; tum quia in magna parte constat tot legibus positivis, quæ nonnisi apud Casuistas allatæ inveniuntur, et maxime apud recentiores, cum hujusmodi leges in dies prodeant ; demum difficillima evadit, propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendet variatio : nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia : et in hoc difficultas consistit. » [3] Qui ob fidelium necessitatem ad confessiones audiendas admittuntur parum edocti morum principia, et sanctiones ecclesiasticas, et judicandis singulis rebus, juxta has normas, haud assueti, magno versantur in discrimine. Qui autem non temere, sed superiorum judicio, evecti sunt, excusari possunt, si curent, quatenus valeant, sua munia addiscere, et obire, honori divino et animarum saluti consulentes.

(1) Cap. i. dist. vi. *de Pœnit.*

(2) Cap. Nulli, dist. xxxviii. (3) L. vi. n. 628.

214. *Confessarii qui, studio Theologiæ moralis prætermisso,* munus suum exercent, vix possunt a gravi peccato excusari, quum scientiam necessariam ad id rite obeundum comparare negligant: qui semel edocti haud curant refricare memoriam, auctores consulendo, vel doctiores, quos norunt, confessarios, omniaque temere decernunt, magno errandi periculo se exponunt. Licet idcirco Episcopis confessarios ad casuum conscientiæ discussionem pluries in anno convocare, quibus intervenire tenentur regulares, qui approbati sunt ad confessiones sæcularium audiendas, nisi casus conscientiæ in suo conventu discutiantur statis temporibus. [1]

§. II. DE INTERROGATIONIBUS FACIENDIS.

215. Quamvis pœnitentis sit seipsum accusare, attamen si *confessarius* animadvertat eum non satis suas explere partes, *debet supplere interrogationibus prudenter factis:* « Sacerdos autem sit discretus et cautus; diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati. » Ita decrevit Concilium Lateranense IV. [2] Cæterum non ea a confessario exigitur in examine diligentia, quæ pœnitenti convenit: sed vi sui officii interrogat de iis quæ ad judicii valorem necessaria sunt scitu; et charitatis ergo, adjuvat pœnitentem ut perfectius accusationem sui faciat. Qui cultiores sunt, et sua munia satis edocti, et qui sæpe confitentur, non sunt plerumque interrogandi, quum censendum sit eos quidquid necessario dicendum est, sponte referre: sed rudes, vel qui diu abfuerant, vel qui malis consuetudinibus implicati noscuntur, opemque quærunt amicam, interrogationibus adjuvandi sunt. In vitio luxuriæ indagando opus est prudentia magna et peritia, ut virus extrahatur e vulnere, quin periclitetur anima, vel aliquid subeat detrimenti. Pro pœnitentis conditione, et conscientia jam exposita quisque interrogandus est: qui enim se turpium cogitationum incusaverit, poterit interrogari, utrum et prava desideria libens admiserit: qui pravo consortio se usum esse agnovit, in suspicionem se injicit fœdorum tactuum, vel forsan concubitus; ideoque lente et caute interrogandus erit. Juniores, præsertim feminas, magna cum cautela tractare oportet, ne peccandi rationem addiscant, vel pravum aliquid de confessario suspicentur. « Caveat » inquit Rituale Romanum, « ne curiosis interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores de eo quod ignorant imprudenter interrogans, ne peccare discant. » Optime antiquus Theologus monet: « Circa istud maledictum peccatum luxuriæ cautissime debet procedere sacerdos in interrogando, ita quod non descendat nimis ad particularia. » [3] Plerumque præstat deficere in examine, quam peccatorum indagine accuratiori, pœnitenti, præsertim ad fidem converso, occasionem tentationis præbere, quamvis qui confessarii petit opem ut clarius sua exponat peccata, sit adjuvandus. De moribus aliorum cum quibus versatur pœnitens, nihil est exquirendum cum famæ eorum dispendio.

216. *Quando confessarius ex propria scientia* certo novit pœnitentis peccatum, quod confitendo omittit, debet eum interrogare, nisi probabiliter existimet eum illud alteri jam confessum esse, vel habere justam causam tacendi: nec enim poterit absolvere quem novit reum esse peccati, quod

(1) Decr. S. Cong. Disciplinæ 8. Nov. 1752. approb. a Benedicto XIV. tom. IV. Bullarii.

(2) Cap. XXI.

(3) Manipulus Curatorum, Tract. II. c. IX.

negligit confiteri. Quod si notitia ex confessione alterius derivata sit, ea uti non potest cum aliquali revelationis periculo, quamvis liceat rei veritatem expiscari, interrogando de iis in quæ homines in iisdem rerum adjunctis plerumque labuntur, v. g. utrum cum sponsa tactus habuerit impudicos. Si pergat negare, nullo modo debet confessarius quæstiones importunas facere, ex quibus alterius confessio aliquatenus innotescat; sed nec oportet eum absolvere, quum indignus plane sit. Eo casu consulit S. Alphonsus, ut aliquid oret ad occultandam absolutionem : cavenda est tamen sacramenti simulatio. Si notitia confessarii aliorum relatione nitatur, plerumque fides pœnitenti præ aliis adhibenda est, præsertim si errori sit locus : nec facile debet denegari absolutio ob rumores, vel relationes alienas : sed ubi testes sunt omni exceptione majores, non potest dari ei qui delictum certum negat : « nam regulam illam quod credendum sit pœnitenti, dico procedere quidem in re dubia, non vero in re moraliter certa : moralis enim certitudo vera certitudo est. » [1]

§. III. De monitionibus.

217. Absoluta confessione, *objurgationes faciendæ sunt*, si iis opus sit : a quibus plerumque abstinendum est, ne exulceretur pœnitentis animus. Equidem si noverit hic peccatorum suorum gravitatem, et detestetur, consolatione potius eget, ne abundantiori absorbeatur tristitia. Ille tantum objurgandus est, cui peccati malitia non est perspecta, et propositum et dolor desunt, qui a confessario excitandus est, ut e laqueis se eripiat quantocius : sed plerumque hortamenta præ increpationibus valent. In excitandis piis animi affectibus, dolore, proposito, amore Dei, magnum ponendum est studium. « Confessarius tenetur, quantum potest, ad disponendum suum pœnitentem, qui indispositus accedit. Quocirca nescio quomodo a culpa excusari possint desides illi confessarii, qui statim ac noverint pœnitentem non satis dispositum, dimittunt, nulla aut valde modica præmissa diligentia ad eum curandum. Dico enim, quod confessarius tenetur ex rigorosa obligatione charitatis eum disponere quantum valet, exponendo ipsi deformitatem peccati, valorem divinæ gratiæ, periculum damnationis, et similia, etiamsi multum temporis in hoc impendere debeat. Nec ei curæ esse debet, quod alii pœnitentes expectent : nam tunc confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed tantum sui pœnitentis, pro quo tantum ille tunc, non vero pro aliis, rationem est Deo redditurus. » [2]

218. *Monendus est pœnitens* qui sua culpa ignorat quæ facere tenetur : vel qui, etiamsi absque culpa, ignorat quæ ad salutem omnino necessaria sunt, seu, uti dicunt, necessitate medii : nam ignorantia quæ cum peccato conjuncta est, obest saluti; et in iis quæ necessaria sunt scitu ignorantia, quamvis a culpa excuset, non prodest. In cæteris ignorantia quæ dicitur invincibilis potest dissimulari, si ex monitione gravia immineant mala, uti olim respondit Innocentius III. interrogatus de quodam qui bona fide consortio marito fruebatur, licet impedimentum occultum obstaret : « Dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum

(1) S. Alph. l. vi. n. 654.

(2) Ibidem, n. 608.

imminere. »[1] Si pœnitenti ipsi monitio videatur haud profutura, omitti poterit, juxta S. Alphonsum. « Sententia communis et vera docet, quod si pœnitens laborat ignorantia inculpabili (sive sit juris humani, sive divini) et non speratur fructus, imo prudenter judicatur monitio fore magis obfutura, quam profutura, tunc confessarius potest et tenetur eam omittere, relinquendo pœnitentem in sua bona fide. »[2]

219. I. « Si confessarius noverit pœnitentem *invalide contraxisse* matrimonium ob aliquod impedimentum occultum, et periculum sit infamiæ, scandali, aut incontinentiæ, si nullitatem manifestet; tunc debet omittere monitionem, et illum relinquere in bona fide, donec obtineatur dispensatio; nisi dispensatio de facili, et statim obtineri possit ab habente facultatem, et etiam ab Episcopo (recte dicit Palaus), ut liberetur pœnitens a peccato materiali. » Ita S. Alphonsus.[3] Monendus est autem si fama publica matrimonium nullum habeatur.

220. II. Si agatur *de matrimonio contrahendo*, plerumque monendus est pœnitens impedimenti: facile enim continget ut postea detegatur cum magno prolis detrimento, vel cum certo periculo peccati formalis. Quod si nullus speretur fructus, præstat silere, ne occasio detur peccati, absque ulla utilitate. Si advenerint jam ad ecclesiam matrimonium contracturi, cum plurimorum comitatu, et occultum detegatur impedimentum, adeo ut nisi celebretur matrimonium, suspiciones scandalaque gravia oritura sint, plures dicunt confessarium de eo silere debere, et sponsos in bona fide relinquere, si omnino desperetur de fructu monitionis. Communissime vero alii doctores et probabilissime docent in eo casu posse Episcopum dispensare, quia censetur Pontifex nolle reservationem sibi factam cum tanto gravamine sponsorum obtinere: quam facultatem pro casibus adeo difficilibus delegari posse parochis etiam generaliter nonnulli censent: imo absque delegatione parochum posse, si Episcopus adiri nequeant, matrimonium celebrare, eo quod finis lex cesset in contrarium, quamvis in casu particulari, censet nonnemo.[4] Attamen securitatis causa dispensatio deinceps quærenda est. « Ubi non speratur fructus, omittenda est monitio etiam de restitutione facienda: »[5] nam saluti pœnitentis, potius quam utilitatibus aliorum consulere tenetur confessarius. Sed non facile judicare debet pœnitentem non restituturum, si monitus fuerit.

221. Ubi rixæ, infamia, vel scandala aliorum imminent, *omitti poterit monitio;* nam peccata formalia aliorum vitanda sunt præ peccato materiali pœnitentis. Excipitur tamen si error bono communi adversetur: confessarius quippe tamquam reipublicæ pars omnium utilitatem unius commodo anteferre debet. Hinc parochus qui ex ignorantia errores tradit, monendus est, sicut et ille qui se gerit tamquam sacerdotem, quum rite non fuerit ordinatus. Monendi sunt etiam reipublicæ rectores, Episcopi aliique suis perperam fungentes muneribus cum civium vel religionis detrimento. Monendi quoque qui Sacramenta frequentant, quum eorum actiones cæteris sint exemplo et normæ; « cum quis arbitretur ea sibi licere, quæ ab iis qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit: » uti bene notat Benedictus XIV.[6]

222. Si pœnitens interroget, *veritas*

(1) C. Quia circa, *de consanguin.*
(2) L. vi. n. 610.
(3) Ibidem. 611.
(4) Ibidem. 613. (5) Ibidem. 614.
(6) Bulla *Apostolica*, 26 Junii 1749. in Bull. t. iii. p. 82. § 10.

pandenda est : nam ejus ignorantia invincibilis haberi nequit, dum dubitat: attamen confessarius ultra quæsita progredi non tenetur. si prævideat monitionem haud profuturam.

223. *Si pœnitens videatur brevi obtemperaturus monitioni*, quamvis initio resistat, plerumque monendus est, præsertim si cum aliorum scandalo, vel sui periculo, in peccato materiali versari pergat, uti quando « dissimulante confessario, peccator in pravo opere obfirmaretur cum scandalo aliorum; vel quando quis in proxima peccandi occasione versatur, sin minus in externis actibus, saltem in pravis cupiditatibus ac morosis delectationibus assentiri consuevit. » [1]

224. Quando confessarius dubitet utrum monitio profutura sit, debet eam facere, nisi timeat damnum inde oriturum. Si autem de damno etiam dubitet, præcavendum videtur periculum peccati formalis.

225. Utrum idoneus habendus sit veniæ *quem nulla mordet conscientia peccati*, quamvis verosimiliter haud obtemperaturus sit confessario monenti ut consuetudinem declinet, vel munus exequatur, dubitari potest. Qui amore licito mulieri, quam putat suam, adhæret, in magnum affectus et consortii illiciti discrimen adducitur, impedimento detecto, quod nullatenus suspicabatur Fuerunt qui dicerent eum necessario dolore et animi proposito carere, quem confessarius verosimiliter æstimat monitis restiturum; sed humanius est et æquius pœnitentem judicare ex præsenti animi consilio; quapropter si respuat quidquid noverit divinæ legi adversari, venia ei deneganda non est, conjectura temere sumpta « Confessarius non debet attendere ad indispositionem interpretativam quam pœnitens haberet, sed ad actualem quam nunc habet. Et ideo, sicut non licet proximum exponere ad occasionem in qua positus ille succumberet, ita confessarius, cum prævidet ex monitione ruinam pœnitentis, tenetur ab ea abstinere, esto pœnitens relinquendus sit in peccato materiali, eo qnod unum peccatum formale omnibus præponderat materialibus peccatis. » [2]

§. IV. De probabilium opinionum usu.

226. Ex iis quæ de probabilium opinionum usu moderato tradidimus, liquet confessarium *posse* pœnitenti *sententiarum delectum permittere*, dummodo gravis iis faveat doctorum auctoritas : nec enim in tribunali dirimendæ sunt theologorum lites, sed consulendum est pœnitentium saluti, iis adhibitis sententiis quæ pœnitentem magis a peccato et salutis discrimine retrahunt. « Sententia communis et sequenda, » teste S. Alphonso, « dat non solum posse, sed etiam teneri sub gravi confessarium absolvere pœnitentem, qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita videatur probabilior confessario » . . . « Ratio autem valde urgens hujus sententiæ est, quia pœnitens, facta confessione, cum sit dispositus, habet strictum jus ad absolutionem, quam denegando confessarius gravem illi injuriam irrogaret, tum quia privaret eum gratia sacramenti, tum quia obligaret ad magnum onus subeundum, nempe ad repetenda apud alium sua gravia peccata. » [3] Quod autem pœnitens nolit stare confessarii judicio in re inter theologos controversa, non probat eum dispositione necessaria carere, quum sacerdos non sit

(1) Bulla *Apostolica*, 26 Junii 1749, in Bull. t. iii. p. 82. §. 10.

(2) S. Alph. l. vi. n. 610.

(3) L. vi. n. 604.

judex controversiarum. Si sacerdos de rationibus utrinque instructus, apud alium sacerdotem confiteatur, manifestum est eum non teneri theologorum quos sequitur auctoritati et argumentis unius confessarii judicium anteferre : laicus vero noscens theologorum varias esse sententias, eam cui ratio videtur favere poterit eligere, vel suæ favere libertati, eo quod de lege et vetito non satis constet, quum illud negent homines doctrina et pietate insignes. Si pœnitentis sententia plane sit falsa, confessarius non debet permittere ut eam sequatur, nec eum absolvere, si pertinaciter velit eam sequi : quia tunc non est vere pœnitens : non ita si confessario minus probabilis videatur : quum enim varia sint hominum judicia, fieri poterit ut probabilior appareat pœnitenti, vel reapse sit.

227. In opinionum delectu *sententiæ tutiores anteferendæ sunt*, quoties pœnitens paratus est eas sequi : nam ad perfectiora semper adducendus est, et impellendus : sed et infirmitatis ejus habenda est ratio, ne majora viribus ausus in pejus ruat. Eæ plerumque sententiæ quæ periculum peccati formalis amovent, tutiores sunt, ideoque anteferendæ. « Confessarius in delectu opinionum tunc debet benigniores sententias sequi, quando illæ potius inducunt pœnitentem ad vitandum peccatum. Secus vero, si illæ potius conducant ad legis transgressionem, prout sunt opiniones illæ, quæ licet speculative videantur probabiles, tamen in praxi sunt valde periculosæ, sicut in materia sexti præcepti sunt opiniones aliquæ de tactibus, osculis, choreis, comœdiis, de reprimendis motibus sensualibus, et similibus ; item in materia simoniæ, et usuræ, ubi plura videntur excusari ratione liberalis gratitudinis, sed in praxi magnum periculum involvunt ; item quando agitur de compensatione facienda, vel de accusatione prosequenda contra offensores, ubi facile est periculum injustitiæ aut vindictæ. »[1]

§ V. De erroribus corrigendis.

228. *Si* in suo obeundo munere erraverit *confessarius absque sua culpa* circa valorem Sacramenti, errorem corrigere debet : quia charitas obligat ad corrigendum errorem etiam inculpatum, qui in alterius damnum vergit : idque præsertim si pœnitens vita periclitetur, et non sit amplius confessurus, quo casu tenebitur etiam cum gravi sui incommodo. Extra illud periculum vix tenetur confessarius, qui parochus non sit, ad emendandum errorem, cum magno honoris et famæ dispendio, quia charitas non obligat cum tanto sui gravamine : parochus autem vi sui muneris tenetur ad utilitates spirituales suorum promovendas ; ideoque debet errorem inculpatum qui in eorum vergat damnum, corrigere etiam cum sui incommodo notabili. Error ex culpa ortus corrigendus est, etiam cum gravi confessarii incommodo : « quia licet confessarius ex charitate onus susceperit audiendi confessionem pœnitentis, tamen, postquam audivit, tenetur ex officio, et ex quasi contractu cum pœnitente inito rite ipsi ministrare Sacramentum ; unde, si invalide ministraverit ex sua culpa, tenetur utique etiam cum gravi suo damno (petita licentia) illum de errore monere. »[2]

229 *Absque licentia pœnitentis error emendari nequit*, quæ et petenda est verbis quæ nullam revelationem de-

(1) L. vi. n. 606.

(2) S. Alph. l. vi. n. 619.

licti important: v. g. Quæso ut mihi liceat aliquid quod in confessione dixi, tua bona cum venia, corrigere. Quod si ipsa petitio molesta pœnitenti futura sit, ab ea abstinere oportet, ne uti videatur confessarius notitia in tribunali acquisita, cum aliquali pœnitentis gravamine: quod numquam licet. Si pœnitens deinceps alteri confessus fuerit, vel ad Eucharistiam accesserit, judicare potest confessarius eum veniam gratia sacramenti assecutum, ideoque minus solicitus esse, si non occurrat opportuna corrigendi erroris occasio.

230. *Si error respiciat integritatem confessionis*, et absque culpa contigerit, nulla confessario est obligatio ejus corrigendi, nisi opportuna sese offerat occasio in ipso tribunali. Si culpa confessarii contigerit, qui neglexit inquirere in species et numerum peccatorum, tenetur intra confessionem pœnitentem monere, vel inducere ut plenius confiteatur: nam integritati sacramenti consulere debet, et errorem ex negligentia sua ortum tollere: imo si gravi sua culpa impedierit ne ea dicerentur, tenetur, etiam extra confessionem, petita licentia, eum tollere, sed sine scandalo, vel gravi sui damno: « nam sicut grave damnum excusat pœnitentem ab integritate confessionis, ita etiam confessarium. »[1] Quod si bona fide egerit, licet haud sine culpa, non tenebitur cum multo sui incommodo.

231. Cæterum *plerumque* si quid admiserit confessarius in suo obeundo munere, *vix poterit reparari*, nisi pœnitens se iterum sistat judicandum: nam gravamen quoddam facile infert petitio licentiæ de rebus quæ ad confessionem spectant colloquendi. In ipso tribunali dum quis errorem emendat, qui ex consilio præpropere dato, vel ex omissione muneris inculcandi, ortus est, caute et prudenter debet loqui, ne pœnitens se inde gravari sentiat, vel scandalum patiatur. Si gravi sua culpa omiserit restitutionem injungere, nec valeat jam eam urgere, non videtur teneri ad reparandum damnum, quum non sit efficax ejus causa, quamvis sua diligentia cavisset ne continuaretur: si possit adhuc monere pœnitentem, cum spe fructus, et absque gravamine, debet, etiam cum magno sui incommodo: quia charitas obligat ad reparandum grave nocumentum proximi. Si consilio imperito impedierit restitutionem quam pœnitens meditabatur, plures tenent confessarium teneri ad restituendum, quum censendus sit causa efficax cur damnum non reparetur: multo magis si pravo id fecerit in alium animo. Si jusserit restitutionem temere, cum pœnitentis injuria, est manifesto causa damni, quod reparare proinde debet. Si probaverit rationem negotiandi, vel lucrandi, quam damnant vulgo theologi, debet errorem corrigere, et jura læsa reparanda docere: quæ tamen ipse non tenetur resarcire, nisi, omnibus perpensis, visus sit pœnitentem impulisse et determinasse ad injustitiam patrandam, et mala quidem fide, vel temere prorsus: æquum enim non videtur ut teneatur in iis quæ bona fide, licet imperite, egerit. Sed principia de consulente recolenda sunt.[2]

232. *Confessarii munus*, quum difficile sit et plenum periculi, *nemo tenetur plerumque exercere*, qui animarum curam non susceperit. Cæterum in magno fidelium discrimine omnes sacerdotes tenentur ex charitate subvenire, si animarum pastores non sufficiant, vel suo muneri desint: et periclitanti sacerdos quilibet, parocho deficiente, debet succurrere. Equidem

(1) S. Alph. l. vi. n. 620.

(2) *Supra* x. 187. et Cap. ultim. *de injur.*

muneris hujus exercitium Deo valde gratum est, utpote quod magnas pariat fidelibus utilitates : sed unicuique considerandum quid sibi conveniat. In omnium periculo, peste grassante, vel bello imminente, decet operam præstare strenuam fratribus subveniendis. Parochus, vel missionarius, qui difficilem se præbet confiteri volentibus, facile peccat graviter, quum omnibus sibi commissis dare occasiones sua expiandi peccata teneatur. Igitur oportet statis horis in tribunali adesse, et pœnitentes omni tempore benigne excipere. Juxta S. C. decreta mulierum confessiones non sunt post solis occasum excipiendæ : a qua tamen regula necessitas cogit ut in civitatibus oppidisque discedamus, quum ancillæ vix queant nisi post solis occasum accedere. Curandum tamen ut nonnisi in ecclesia, et quidem fidelibus simul congregatis, audiantur.

§. VI. De crimine solicitationis.

233. Vix audemus de scelere immani loqui, quo confessionis audiendæ munus in ruinam animarum vertitur, nefandis hominibus suis cupiditatibus obsequentibus. Quæ Pontifices edidere decreta ad sanctitatem sacramenti tuendam ignorare non licet.

234 *Gregorius XV*. Bulla edita anno 1622, *injunxit Inquisitoribus ut procederent* « *contra* omnes et singulos sacerdotes tam sæculares, quam regulares, quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcumque ordinum, institutorum, societatum, et congregationum, cujuscumque dignitatis et præeminentiæ, aut quovis privilegio et indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione, aut prætextu confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia solicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus, temerario ausu habuerint ; » et monendos pœnitentes voluit Benedictus XIV. de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis solicitantem, etiamsi sacerdos sit. qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut licet solicitatio inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive solicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam solicitationem jam effluxerit, aut solicitatio a confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. « Caveant insuper, » pergit Pontifex, « diligenter confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio solicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant. » Calumniam autem impactam sacerdotibus innoxiis ulcisci voluit, reservato sibi crimine eorum qui eos solicitationis falso insimularent, vel alios ad insimulandum impellerent. Sub excommunicationis pœna denuntiatio intra mensem facienda est, saltem ubi viget Inquisitionis tribunal. [1]

(1) S. Alph. l. vi. n. 693.

235. *Sacerdotes quicumque solicitationis rei* fuerint, *denuntiandi sunt*, non autem laici, vel clerici inferiores, qui forsan simulaverint confessiones audire : qui tamen sacerdotio non insignitus confessionem exceperit, vi alius Constitutionis Gregorii XIII. denuntiandus est tamquam in fide suspectus, quod intelligendum est etiamsi absolutionem impertiri ausus non sit. [1] In locis in quibus viget Inquisitio, denuntiatur solicitans Inquisitoribus; alibi Episcopis, seu Ordinariis. Episcopi delinquentes denuntiandi forent Summo Pontifici; quamvis Inquisitores de iis capere possent informationem ad Pontificem transmittendam. [2] Ubi Inquisitio non est, Ordinarius eam curam suscipere debet. Si de ipso agatur, res erit Metropolitæ deferenda.

236. Solicitatio dicitur actus, gestusve, vel loquela, ad libidinem provocans : « ad inhonesta et turpia, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut postea legendam. » Necesse non est ut turpe quid fiat, sed admittitur peccatum quoties indicium datur pravi affectus : osculum idcirco, manus, vel pedis compressio, brachii circa collum extensio, vox minus pudica, vel oculi studiosus motus, aut aliud quodvis amoris signum, inducit denuntiandi necessitatem « quia licet tales actus sint ex se leves, ex circumstantia tamen Sacramenti, cum qua sunt conjuncti, sunt graves et mortales. » Ita Felix Potest. [3] Cæterum pravus animus confessarii, quem pœnitens suspicatur, non est ratio denuntiandi, si voce, vel gestu non detur certum ejus indicium : nam actus externus, qui mortalis sit, requiritur ad tantum onus inducendum. Si in interrogationibus, vel alias, quid dicatur ambigui sensus, interpretatio benigna est danda, præsertim si sacerdos alioquin probus videatur : secus si mores ejus et ratio agendi vehementem injiciant suspicionem.

237. *In actu sacramentalis confessionis solicitasse dicitur*, qui inter confessionis initium et absolutionem incitat ad libidinem : qui igitur ante aliqua audita peccata, postquam pœnitens se ad confitendum paraverat, prævia confessionis generalis formula eam impudice tentaret, in actu confessionis solicitasse diceretur : sic et qui, auditis aliquibus peccatis, alio diverteret, tentandi eam causa, vel qui, integra audita confessione, tentandi quæreret occasionem ante absolutionem, in actu confessionis solicitat. Si confessarius inquirat ubi pœnitens habitet, eamque roget ut expectet eum domi, pravumque consilium se fovisse deinceps manifestet, censetur in confessione solicitasse. [4] Charta ad venerem incitans, seu litteræ amatoriæ, in tribunali traditæ, solicitationis instar sunt : damnata quippe est propositio : « Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus. » [5] Ante confessionem solicitat, qui confiteri volentem ad libidinem traducit, ejus paulo post confessionem exceptura. Si puellam domi, vel in cubiculo, petentem confessionem quis libidinose tangeret, et post breve intervallum in ecclesia confitentem exciperet, denuntiandus foret. *Immediate post* confessionem solicitat, qui,

(1) S. Alph. l. vi. n. 688.
(2) Ibidem, n. 688.
(3) Tom. ii. par. iii. c. iv.
(4) S. Alph. l. vi. n. 676.
(5) Prop. vi. ab Alex. VII. 24 Sept. 1665. damnata.

audita confessione, pœnitente nondum dimissa, minus caste se gerit. Item qui eam in ecclesia, vel cubiculo, aliquandiu morantem prave alloquitur, vel liberius tangit: vel, juxta plurimos, qui eam domum sequeretur, pravæ concupiscentiæ indicia ibi daturus.[1] Licet jurisdictione caruerit sacerdos, qui in confessione solicitavit, denuntiandus est[2]

238. *Occasione confessionis* solicitat, qui confiteri petentem ad libidinem distrahit, vel qui ex fragilitate in confessione cognita sumit occasionem eam tentandi:[3] sed ubi certa non suppetunt indicia occasionis inde derivatæ, censendus est libidine sua motus. Qui autem puellæ, vel voce, vel signo aliquo, peccati in confessione declarati memoriam refricaret, dum alias eam solicitaret, occasione confessionis solicitasse merito censeretur, et reus foret proditi sigilli. Sic etiam qui aliquam solicitaret, promittens se eam confitentem deinceps excepturum, occasione confessionis videtur solicitare.[4]

239. *Prætextu confessionis* solicitat qui ficte invitat mulierem ad confitendum, et deinceps eam solicitat. Si prætextu confessionis sacerdos et puella ex condicto uterentur ad pravum consilium exequendum, non ideo censeretur ille in confessione, vel ejus prætextu solicitasse. Si autem ille suggesserit ei renuenti ob famæ periculum, ut eum prætextu confessionis accerseret, denuntiandus foret, quippe qui revera prætextu confessionis solicitavit.[5]

240. *Etiam extra occasionem confessionis in confessionali* solicitans denuntiandus est. Sacerdos in tribunali sedens pœnitentes excepturus, si cum muliere ad illud accedente minus honeste agat, vel loquatur, quamvis omnis absit prætextus confitendi, denuntiandus est:[6] porro confessionale intelligitur sedes fixa, quæ in ecclesia erigitur, quæ habet laminam ferream cum parvis foraminibus, uti fert Italiæ usus, apud nos plerumque lamina omissa, sed cratibus interjectis ligneis. Sed alia quæcumque sedes fixa ad audiendas confessiones usurpata confessionalis nomine venit.

241. « *In alio loco ad confessiones audiendas destinato* » si solicitatio fiat, denuntiatio facienda erit Nonnumquam, quod tamen emendandum est quantocius, audiuntur confessiones in sede mobili, in sacristia posita, ubi si quid admitteretur ea occasione, reus denuntiandus foret. Locus eligitur ad audiendas confessiones, v. g. cubiculum rure, dum habetur statio, ubi nulla est ecclesia. Si ea occasione deliquerit sacerdos, eadem sequitur denuntiandi necessitas. Cæterum ubi locus sic pro arbitrio electus est, simulatio audiendi ibidem confessionem requiritur, ut illa sit obligatio: si enim in hujusmodi cubiculo quis cum puella minus pudice versetur, quando omnis abest confessionis prætextus, crimen non est, vi illius Constitutionis, necessario deferendum.

242. *Etiamsi omnis absit intentio copulæ*, omnisque gestus impudicus, si tamen « illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus » habuerint confessarii cum pœnitentibus, denuntiandi sunt. Equidem colloquia prava quibus mores facile vitiantur, sunt sacrilegia immania, quoties in tribunali, pietatis veluti specie, habita fuerint.

243. *Quæcumque persona solicitata*

(1) Vide p. Philippum de Carboneano in appendice ad tract. Antoine *de Pœnit.*

(2) S. Alph. l. vi. n. 688.

(3) Ibidem, n. 678. (4) Ibidem.

(5) Ibidem, n. 679.

(6) Ibidem, n. 680.

fuerit, etiam masculus, denuntiare debet confessarium:[1] quapropter si puerum confitentem impudice tetigerit, denuntiatio necessario facienda est. Si puella in simplicitate constituta solicitata fuerit, tenebitur, postquam compos facta fuerit, ad denuntiationem.[2] Si mulier ipsa prima solicitaverit, denuntiandus tamen erit confessarius consentiens, saltem si solicitatio fuerit mutua, utpote si confessarius ad aliam speciem impudicitiæ eam solicitaverit: sed S. Alphonsus censet denunciationem non esse faciendam, si confessarius non solicitaverit, licet solicitanti consenserit.[3]

244. *Cogendi non sunt confessarii solicitantes* ad se ipsos denuntiandos:[4] constat tamen « mulierem solicitatam teneri ad denuntiandum, etiam si sciret sponte solicitantem comparuisse:»[5] nec præmittenda est monitio.[6] Mulier nequit a solicitante liberari denuntiationis onere.[7]

245. *Denuntiatio facienda est voce*, mulierque idcirco coram Ordinario sistere se debet interrogandam. « *Qui per epistolam* denuntiant, nisi subscribant proprium nomen et cognomen, non satisfaciunt, ac sunt deinceps ab Inquisitore vocandi, ut iterum juridice deponant. » Ita P. Philippus de Carboneano. Aliquando dat Inquisitor, vel Ordinarius, de solicitatione jam monitus, facultatem confessario, vel alteri, excipiendi in scriptis juramento firmatam denuntiationem:[8] quæ extra tribunal, vel saltem post absolutionem, excipienda est. Decrevit S. Congregatio Sancti Officii 22 Januarii 1727, « mulieres solicitatas non teneri ad denuntiationem, si ministri Inquisitionis et Vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant. » Absolvi igitur possunt mulieres quæ ob itineris longitudinem nequeunt adire Episcopum, vel ejus Vicarium, sed cessante impedimento, v. g. in Episcopi visitatione, tenentur denuntiare, prout de mulieribus in partibus schismaticorum, hæreticorum, et Mahumedanorum degentibus, quæ periculorum metu excusantur aliquando, respondit eadem S. Congregatio die 21 Feb. 1630. Quæ nequit voce denuntiare, tenetur per epistolam, aut internuntium, quatenus absque propria infamia fieri possit; nam « obligatio denuntiandi solicitantem, non tam est adeundi personaliter superiorem quam deferendi sive indicandi ei delinquentem (ut loquitur Benedictus XIV. in sua Bulla), quæ delatio, si ab aliquo nequit fieri per se, saltem est facienda (modo absit periculum propriæ infamiæ) per epistolam, vel aliam personam, vel monendo judicem, ut mittat notarium in domum suam; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. »[9] Non tenetur confessarius in se id oneris suscipere; sed suo muneri satisfacit, monendo pœnitentem ut opportuno tempore reum rite denuntiet:[10] poterit tamen suam operam præstare, si censuerit expedire, extra tribunal rei notitia excepta. Denuntiatio, ubi desunt, prout apud nos, Inquisitores, Episcopis facienda est, et quidem loci in quo versatur pœnitens: ipsius enim est excipere juratam denuntiationem, eamque ad Episcopum rei, si forte diversus sit,

(1) Vide decreta a Laurentio Cozza relata apud Philippum De Carboneano, App. *de Solicit.*
(2) Dec. S. Offic. 11. Maji. 1707.
(3) S. Alph. l. vi. n. 684.
(4) Dec. 17 Nov. 1624.
(5) Dec. 26 Julii 1628.
(6) Dec. 8 Julii 1660.
(7) Prop. ii. damn. ab Alex. VII. die 24 Sept. 1665.
(8) Decr. Inquis. 27 Sept. 1624.
(9) S. Alph. l. iv. n. 699.
(10) Ibidem.

transmittere, quando id necessarium judicaverit.

246. *Si constet confessarium emendatum esse*, nihilominus juxta sententiam probabiliorem, facienda est denuntiatio, quæ ad cautelam præscribitur universim, relicto arbitrio judici pœnas irrogandi.[1] Cæterum sunt qui dicunt cessare denuntiandi obligationem, emendato reo, quia desinit finis principalis legis : sed de emendatione debet omnino constare. Diuturnum quod effluxit temporis spatium a sollicitatione non solvit pœnitentem onere denuntiandi,[2] sed quum « longum tempus » in jure intelligatur decennium, vix eo elapso videtur denuntiandi obligatio manere. Si e vivis discesserit reus, utique desiit omnis denuntiationis obligatio.[3]

247. *Pœnæ severissimæ, Ordinariorum arbitrio, irrogantur reis*, qui præter privationem beneficiorum et dignitatum, incurrunt perpetuam inhabilitationem ad Sacrificii Missæ celebrationem, ex Benedicti XIV. auctoritate, qua decretum S. Cong. Inquis. 5. Augusti 1745. confirmatum est. Fit facultas « procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant. »[4] Cæterum nemo damnandus est gravissimis illis pœnis ob unius denuntiationem : nec quis tenetur eas in se suscipere, cum famæ detrimento, quamvis, si possit brevi absolutionem et dispensationem obtinere, deberet aliquandiu abstinere a missa celebranda, quando possit fama illæsa.[5] Pœnæ autem habentur ferendæ sententiæ.[6]

248. *Constitutiones Pontificiæ de hac re* « in singulas nationes universim vires suas extendunt, »[7] et apud nos receptæ sunt.

(1) S. Alph. l. vi. n. 686.

(2) Const. *Sacramentum Pœnitentiæ.*

(3) S. Alph. l. vi. n. 692.

(4) Const. Benedict. XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ.*

(5) S. Alph. l. vi. n. 705.

(6) S. Pœnit. 10. Feb. 1785. et 22 Martii 1832. Vide *Correspondance de Rome.* 1848. 1849. 1850. *Les cas réservés.* II.

(7) Const. *Etsi pastoralis.*



APPENDIX I.

DE INDULGENTIIS.

249. De indulgentiis alias egimus, potestate eas concedendi vindicata:[1] *sed plura dicenda manent*, quæ ad praxim pertinent. *Indulgentia* dicitur potestatis ecclesiasticæ extra sacramentum exercitium, quo canonum pœnitentiæ rigor relaxatur, pœnæ peccatis jam remissis debitæ concessa remissione. Fit vi clavium, et solvendi potestatis, a Christo Petro, et cæteris Apostolis concessæ, satisfactione Deo oblata ex Ecclesiæ thesauro, infinitis scilicet Christi meritis, quibus, ad cumulum veluti, adjunguntur Sanctorum etiam opera, quatenus pœnalia sunt. *Plenaria* indulgentia est totius pœnæ peccatis debitæ remissio; *partialis* habetur quæ partem tantum pœnæ remittit, v. g. septem annos pœnitentiæ juxta veterem disciplinam peragendos. In diplomatibus nonnullis veteribus omnium peccatorum remissio conceditur, quod de pœnæ plenaria remissione theologi intelligendum agnoscunt: in aliis tertiæ vel quartæ partis peccatorum remissio datur, quod de pœnitentiæ a canonibus præscriptæ in peccatorum pœnam remissione, quoad tertiam, vel quartam partem, pariter intelligunt. Indulgentia per modum absolutionis conceditur fidelibus, utpote qui Ecclesiæ potestati subjacent: per modum vero *solutionis* applicatur defunctis, in Purgatorio detentis, *suffragii* instar, quod emittit Ecclesia, pretium redemptionis nostræ, et Sanctorum merita Deo offerens in delictorum nostrorum satisfactionem: nec enim habet in defunctos potestatem.

250. *Ut valeat Indulgentia*, causa æqua et pia requiritur, proportionem habens cum fine qui proponitur: sed non exigitur ut opus injunctum sit valde arduum. Concessit Gregorius XVI. indulgentiam plenariam orantibus ter in ecclesia aliqua ab Ordinario designata, pro Hispaniarum levamine, rite tamen confessione expiatis, et Eucharistia refectis: quæ causa fuit æquissima ejus concedendæ, quum rei christianæ valde interesset, ut conjunctis omnium precibus, religionis triumphus in ea regione impetraretur. Recitantibus quinquies orationem dominicam cum salutatione angelica in honorem quinque Vulnerum Christi ampla indulgentia concessa dicitur; multum scilicet ad pietatem confert, ut mysterium recolatur.

251. *Status gratiæ* ad indulgentiam lucrandam necessarius est; nec enim potest pœnæ impetrare remissionem, qui, peccato inquinatus, Dei est hostis: attamen sufficit, juxta sententiam verosimiliorem, ut ultimum quod injungitur opus perficiatur ab homine jam gratiam adepto: cætera scilicet, quæ præcesserunt opera, pio quodam

(1) Theol. Dogm. vol. iii. tract. xv.

affectu facta, ad finem indulgentiæ quodammodo animum disponunt, eique inserviunt. Hinc qui jejunat, dat eleemosynas, visitat ecclesias animo lucrandi indulgentiam, non tamen adhuc confessione expiato, eam adipiscitur quando confessionem rite peragit, et opus ultimum perficit. « A fructu indulgentiæ, » inquit Benedictus XIV. « minime excludendos illos existimavimus, qui non præmissa confessione visitationem incipiunt, dummodo, quando opus ultimum perficiunt, in statu gratiæ sint. »[1] Si indultum exigat ut confessio præcedat visitationi ecclesiarum, erit necessaria conditio. Quæ præscribuntur sunt integre facienda, et ex pio animi motu; qui enim inanis gloriæ studio preces præscriptas recitat, nequit lucrari indulgentiam, quæ tamen comparatur ab his qui, operum substantia peracta rectum ob finem, venialiter deficiunt. Non igitur titillatio quædam superbiæ quæ obvenit pie oranti eum facit indulgentia indignum. Si notabile quid omittatur, etsi ex oblivione, vel si fiat ratione diversa a præscripto, non comparatur indulgentia.

252. *Indulgentiæ*, quum gratiæ habeant rationem, non desinunt morte concedentis, sed perpetuæ habentur, si limes iis non sit appositus : largissimam quippe excipiunt interpretationem. Comparandæ in mortis articulo impetrantur in proximo mortis discrimine, etsi mors haud statim sequatur; et iterata vice comparantur, si quis ex periculo evadens in illud denuo incidat. Conceduntur hæ plerumque invocantibus corde, si ore nequeant, nomen sanctissimum Jesu, vel acceptantibus mortem a manu Domini : quæ idcirco absque opera sacerdotis comparari queunt, nisi indultum Apostolicum eam exigat. Concessæ vivis nequeunt defunctis applicari, nisi in indulto exprimatur : quæ autem applicari possunt, exigunt opere diligenter impleri et in statu gratiæ perfici: debet enim prius sibi comparare indulgentiam qui eam vult alteri applicare. Porro effectus non est certus quoad defunctos : sed pendet ex Dei beneplacito, quum desit promissio.[2]

253. *Nemo plenariam indulgentiam consequitur*, qui ab omni erga peccatum veniale affectu liber non sit, quum pœna non remittatur culpa manente : sed potest cæterorum veniam plenam consequi, qui alicujus tantum tenetur affectu, ideoque pro animi dispositione perfectiore, effectus major est : nam Pontifex censetur concedere plenariam remissionem impetrandam pro capacitate subjecti, ut remittatur pœna peccatorum venialium remissorum. Confessio ad indulgentiæ consecutionem necessaria est, licet quis mortalis peccati sibi conscius non sit, si in diplomate verba hæc legantur : « Qui vere pœnitentes confessi, etc.; » ita enim probante Clemente XIII. statuit S. C. Indulgentiarum. Qui autem singulis hebdomadibus confitentur, nisi legitime impediantur, lucrari possunt omnes indulgentias, præter Jubilæum, dummodo sibi nullius peccati gravis conscii sint.

254. *Jubilæus est indulgentia plenaria* cum privilegiis conjuncta; fit scilicet facultas Regularibus confessarium quemlibet, etiam sæcularem, ex probatis ab Ordinario,[3] et sanctimonialibus quemlibet ex probatis ad audiendas monialium confessiones, sibi eligendi,[4] cui plena tribuitur potestas ab omnibus peccatis et censuris, licet reservatis Summo Pontifici, vel Episcopo, absolvendi; et vota simplicia,

(1) Constit. *Inter præteritos.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 534. 10.
(3) Die 19. Martii 1759.
(4) Alex. VII. in Const. *Unigenitus.*

exceptis iis quæ in communitatibus emittuntur, et in quibus aliorum interest, in alia pia opera commutandi; et dispensandi ab irregularitatibus contractis ob censurarum violationem [1] Dum celebratur Jubilæus, aliæ indulgentiæ suspenduntur, præter eas quæ moribundis conferuntur, vel quæ defunctis applicari queunt, [2] vel quæ quibusdam fidelibus datæ sunt, vel quæ ab Episcopo loci dantur. [3] Facultates autem Episcoporum jure communi, vel speciali indulto innixæ, manent. Facultates absolvendi a peccatis reservatis Sedi Apostolicæ et commutandi vota, Regularibus a Sede Apostolica concessæ, suspenduntur tempore Jubilæi Anni Sancti. [4]

255. *Jubilæus plerumque ad quindecim dies protenditur*, operaque in una hebdomada peragenda sunt : ex usu tamen confessio facta sabbato prævio, vel in festivitatis vigilia, censetur intra tempus præscriptum fieri : sicut et communio ultima Dominica facta : media autem Dominica ad utramque hebdomadam censetur pertinere [5] Jejunia ter in eadem hebdomada, feriis quarta, sexta et sabbato, plerumque præscribuntur; et eleemosyna pauperibus tribuenda pro cujusque facultate, vel animi arbitrio ; et ecclesiæ quædam designatæ visitandæ sunt, et quidem omnes eodem die. Cæterum conditiones ex diplomate quærendæ sunt ; nonnunquam enim, eleemosynæ et jejuniorum omissa mentione, Sacramentorum susceptio et visitatio Ecclesiæ cum oratione tantum exiguntur.

256. *Opera alias debita non sufficiunt Jubilæo lucrando :* nam « una solutione nequit satisfieri duplici debito oneroso, prout est opus, sive conditio apposita in Indulto : et sic hodie tenendum ex dictis a N. P. Bened. XIV. in Constitutione pluries citata. » [6] Itaque dans pauperibus pecuniam ex confessarii præscripto ad fraudem reparandam, vel jejunans quatuor anni temporibus, non præstat opera injuncta, sed debet alia sponte adjicere. Declaravit tamen Gregorius XVI. « per Confessionem et communionem die Paschatis Resurrectionis peractam, et indulgentiam plenariam Papali benedictioni adnexam lucrari et satis præcepto Paschatis fieri. [7] Communio Paschalis sufficit Jubilæo lucrando, nisi aliter constet ex bulla indictionis Jubilæi. » [8]

257. Non datur etiam in Jubilæo facultas absolvendi complicem : nec tollitur obligatio denuntiandi sollicitantem. Absolutio autem a peccatis reservatis et censuris, quæ culpa et mala fide confitentis nulla est, non tollit reservationem ; quum facultas detur ut indulgentia comparari queat : imo si bona fide confessio facta sit, quam doloris defectu contigerit esse nullam. [9] Quod si quis absolutionem a censuris et a peccatis reservatis obtinuerit, et deinceps neglexerit opera ad lucrandam indulgentiam præscripta, non incidit denuo in censuras, [10] nec peccare graviter plerisque videtur.

258. *Aliquando apponitur conditio, quod qui* censuras occultas contraxit, alium lædendo, ei satisfaciat, vel saltem se satisfacturum juratus pro-

(1) Bened. XIV. Constit. *Celebrationem*, in Bull. t. iii.

(2) Ibidem, Const. *Convocatis* n. 12.

(3) Ex decl. Urbani VIII. ann. 1625.

(4) Bened. XIV. Const. *Inter præteritos.*

(5) S. Alph. l. vi. n. 537.

(6) Ibidem. n. 538.

(7) S. C. Indulg. 19 Martii 1841.

(8) S. C. die 15 Decembris 1841.

(9) Vide S. Alph. l. vi. n. 537. Quær. ii.

(10) Bened. XIV. Const. *Inter præteritos*, n. 86.

mittat, antequam absolvatur : quapropter si copiam habeat satisfaciendi, satisfactio plerumque absolutioni præire debet. « Ab occultis censuris ob partem læsam incursis non prius absolvant (*confessarii*) quam parti læsæ pœnitens satisfecerit ; vel si prius pœnitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum cum primum poterit. »[1] Cæterum si perpetuo sit impotens, juramentum non exigitur. Quod si negligat deinceps juramentum implere, non censetur contrahere iterum censuras.

259. *In Jubilæo data facultate absolvendi ab omnibus peccatis et censuris*, etiam reservatis Sedi Apostolicæ, intelligitur facultas dari absolvendi a reservatis Episcopo, uti communiter dicunt theologi.[2] Ab hæresi tamen externa nequeunt confessarii absolvere, quum reservatio sit maxime specialis : in hac autem regione inter facultates a Pontifice concessas, quas missionariis communicant Episcopi, ea facultas reperitur, quam idcirco etiam extra Jubilæum exercent. Absolvunt etiam a censuris publice contractis, et ad forum externum deductis, et « a censura ab homine, seu a quocumque judice de partibus nominatim lata, » ad effectum, dumtaxat, indulgentias Jubilæi consequendi ; sed nequeunt ea de re dare ullum testimonium.[3] Ita concessit Benedictus XIV. qui tamen « præsentis Jubilæi » faciens mentionem, non videtur legem generalem statuisse.

260. *Qui* dum *tempore Jubilæi* confiteretur, *peccatorum reservatorum oblitus est*, vel ea omisit ex causa, poterit eorum absolutionem deinceps consequi, ad quam confitendo eo tempore jus acquisivit. Sic et qui cœpit confiteri, sed absolutione non est donatus intra tempus Jubilæi, poterit a reservatis absolvi, eo etiam transacto : nam est continuatio cœpti judicii.

261. *Votorum commutatio* post tempus Jubilæi ab eo impetrari posse videtur, qui opera præscripta implevit : acquisivit enim jus ad eam ; proinde ab alio quocumque confessario concedi potest.

262. *Vocalis aliqua oratio videtur plerisque necessaria* ad indulgentiam Jubilæi consequendam : nam ea præcipue intelligitur in decretis Ecclesiæ ; sed preces sunt ad uniuscujusque libitum, nisi peculiariter assignentur, prout declaravit S. C. Indulg. die 29 Maji 1841. Si visitatio Ecclesiæ præscribatur, sufficit extra eam orare, quoties multitudine hominum ingressus impeditur, vel clausum sit ostium.

263. *Eleemosyna*, si pro cujusque facultate danda sit, copiosa a divitibus detur oporteat, pro rei in quam conferenda est ratione, sed non admodum ampla ; secus si *pro arbitrio* danda præscribatur : tunc enim modica sufficiet. Ipsi pauperes modicam quamdam eleemosynam dare debent, si ea apponatur lucrandæ indulgentiæ conditio : quod si nihil omnino habeat quisque quod suo jure possit tribuere, superiorem roget ut ejus nomine quid tribuat, vel petat commutationem oportet.

264. Episcoporum in indulgentiis concedendis potestas a Concilio Lateranensi IV. restricta est : illis tantum licet unum annum indulgentiæ tribuere in Ecclesiæ consecratione quadraginta vero dies in anniversario, vel alia occasione.[4]

(1) Ben. XIV. Const. *Convocatis.*
(2) Apud S. Alphonsum. l. vi. n. 557. Quær. viii.
(3) Ben. XIV. Const. *Convocatis.*
(4) Cap. Cum ex eo, De pœn. et remiss.

APPENDIX II.

CANONES POENITENTIÆ.

PLACET LECTORIBUS SUBJICERE CANONES POENITENTIÆ OLIM IN ECCLESIA VIGENTES, UT INDE SUMANT OCCASIONEM POENITENTIUM STUDIUM ACCENDENDI, UT SUAS LUANT CULPAS.

CANONES POENITENTIÆ

Spectantes peccata contra primum Decalogi præceptum commissa.

Qui a fide Catholica desciscens, intimo summoque prævaricationis suæ dolore affectus ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis decem.

Qui more gentilium elementa coluerit; qui vel segetibus faciendis, vel ædibus extruendis, vel arboribus serendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit, pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

Nota : Feriæ legitimæ *sunt secunda*, *quarta*, *et sexta*, *Canonum legibus pœnitentiæ jejunioque in pane et aqua consecratæ.*

Qui auguriis et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos septem.

Mulier incantatrix pœnitentiam aget annum.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos consuluerit, quive domum suam conduxerit aliquid arte magica exquirendi causa, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui ædes magicis cautionibus lustrat, aliudve tale admittit, et qui ei consentit, quive consulit, in pœnitentia erit annos quinque.

Si quis ligaturas aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis sortilegus fuerit, pœnitentiam aget dies quadraginta.

Si quis in codicibus, aut in tabulis sorte ducta res futuras requisierit, pœnitens erit dies quadraginta.

Respiciens furta in astrolabio, annis duobus.

Si quis clericus vel monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum redierit, pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane et aqua.

Canones spectantes peccata contra secundum Decalogi præceptum.

Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia, et nunquam in testimonium recipiatur; post hæc communionem recipiat.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui sciens pejerat domini impulsu; pœnitens erit quadragesimas tres, et ferias legitimas : dominus autem quia præcepit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos.

Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane et aqua, et septem sequentes annos, et per tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, carinam in pane et aqua jejunet : *item*, si quis per cupiditatem pejeraverit, omnes res suas vendet, et pauperibus distribuet, et monasterium ingressus jugi se pœnitentiæ subdet.

Nota : Carina, *vocatur jejunium in pane et aqua per quadraginta dies; dicitur ab aliis*, carena, carentena *et* quadragena.

Si quis coactus, necessitateque alia impulsus perjurium commiserit, in pœnitentia erit quadragesimis tribus.

Item, si quis coactus pejeraverit, pœnitens quadraginta diebus pane et aqua victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

Si quis seductus, ignorans, et postea cognoscit, pœnitentiam aget annum unum, vel quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium ut falsum juret, quadraginta dies in pane, et aqua, et septem annos in pœnitentia erit.

Si quis se jurejurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, per annum a sacra Communione segregatus : ad charitatem vero celeriter redeat.

Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua et pane septem dies victitet, si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si per cœlum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item quindecim.

Si quis blasphemat, tamdiu pœnitens erit, quamdiu impœnitens permansit.

Si quis Deum, vel beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, pro foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet : ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligetur corrigiis circa collum; septemque præcedentibus feriis sextis in pane, et aqua jejunet, ecclesiam nullo modo tunc ingressurus. Singulisque item septem illis diebus Dominicis, tres aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest, alioquin alia pœnitentia afficiatur, recusans Ecclesiæ ingressu interdicatur; in obitu, ecclesiastica careat sepultura; dives a magistratu mulctetur pœna solidorum quadraginta, alioquin triginta, seu viginti.

Canones spectantes peccata contra tertium Decalogi præceptum.

Qui opus aliquod servile die Dominico Festoque fecerit, pœnitentiam aget tres in dies pane et aqua.

Qui die Dominico opus terrenum

fecerit. . . dies septem pœnitentiam aget.

Si quis ante Ecclesias, vel die festo saltationes fecerit, emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus.

Si quis sacram communionem sumpserit post aliquam vel minimam degustationem, pœnitentiam aget dies decem in pane et aqua.

Si quis in ecclesia confabuletur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane et aqua.

Si quis jejunia a sancta Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane, et aqua.

In Quadragesima, carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, et præterea a carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Si quis jejunium Quatuor Temporum non custodierit, pœnitens erit dies quadraginta in pane et aqua.

Canones spectantes peccata contra quartum Decalogi præceptum.

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit, tamdiu pœnitens, quamdiu in impietate permanserit.

Si quis contra Episcopum, Pastorem, et patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vitæ suæ pœnitentiam aget.

Si quis contra Episcopum conspiraverit, gradu suo amovebitur.

Si quis Episcopi sui, aut ministrorum ejus, vel parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua.

Canones spectantes peccata contra quintum Decalogi præceptum.

Qui presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos duodecim.

Si quis Presbyter presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos viginti octo.

Si quis presbyterum armis contra se irruentem occiderit, pœnitens erit annis decem.

Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu: abstineat a carne et vino dum vixerit; jejunet secunda, quarta, et sexta feria.

Si autem nolenti accidit, decem annis pœniteat judicio sacerdotis.

Qui voluntarie filium suum, aut filiam suam, vel germanum, aut germanam suam occiderit, quinque annis extra metas ipsius terræ exul fiat, deinceps viginti annis pœniteat.

Quæ mulier filios suos necarit, peracta septennii pœnitentia, in monasterium detrusa monasticam vitam perpetuo regulariter aget.

Si quæ mulier, post partum, filium, filiamque sponte interfecerit, pœnitentiam aget annos duodecim, et nunquam erit sine pœnitentia.

Paupercula, si ob difficultatem nutriendi id fecerit, annos septem.

Si quæ mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

Item, mulier partum suum perdens voluntarie ante quadraginta dies, pœnitens erit annum unum; si post quadraginta dies, annos tres; si vero postquam editus est in lucem, tanquam homicida.

Quæ, sceleris occultandi causa, filium necarit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppresserit, si post

baptismum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, oleribus et leguminibus; abstinebit ab uxore dies totidem; deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias. Si ante baptismum, quadraginta dies, ut supra, et quinquennii præterea pœnitentiam explebit.

Cujus parvulus sine baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua.

Cujus parvulus sine Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Si quis, explendæ causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, homicida teneatur.

Qui uxorem occiderit, aut monasterium ingrediatur pœnitentiam perpetuam acturus, aut cuncta negotia sæcularia dimittens, perpetuo abstineat a carne, sagimine, vino, melone, mellina, cerevisia, exceptis diebus Resurrectionis et Nativitatis Domini; uxorem non ducat, etc.; in fine tantum vitæ Eucharistiam accipiet.

Si mulier maritum suum, causa fornicationis, veneno interfecerit, aut quacumque arte perimere facit, sæculum relinquat, et in monasterio pœniteat.

Qui mortem sibi consciverit, pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, neque cum Psalmis cadaver ejus sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet; si casu necarit, pœnitentiam aget annos septem.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut homicida, pœnitentia afficietur.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necaverit, pœnitentiam aget annos tres.

Si quis, jussu domini, homicidium perpetrarit, dies quadraginta in pane et aqua, et præterea septem annos sequentes per legitimas ferias jejunabit.

Qui homicidii auctor fuit ob consilium quod dedit, erit in pœnitentia quadraginta dies in pane et aqua cum septem sequentibus annis.

Si quis casu homicidium fecerit, pœnitens erit quadraginta dies in pane et aqua; quinquennio communione privabitur; a cibis abstinebit arbitrio sacerdotis.

Qui homicidio, quod postea factum est, consenserit, pœnitentiam aget annis septem; tres in pane et aqua.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias; si cicatrix gravis est, et vulneratum deformem reddit, quadraginta etiam dies pœnitebit in pane et aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane et aqua, clericus, unius anni et mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens, debilitaverit, soluta medicamenti impensa, si laicus est, pœnitens erit quadraginta dies in pane et aqua; si clericus, duas quadragesimas; si diaconus, septem mensibus; si Presbyter, uno anno.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane et aqua pœnitentiam aget quoad reconcilietur.

Canones spectantes peccata contra sextum Decalogi præceptum.

Si laicus solutus cum femina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres; et quanto sæpius, tanto majori pœnitentia afficietur.

Uxor viro conscio mœchata, ne in obitu quidem communicabitur; si dignam pœnitentiam egerit, post decem annos, sacram communionem sumet.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare, coegerit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane et aqua, et septem præterea annos, e quibus unum in pane item et aqua.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, mulier quinque.

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali.

Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos quinque: si sæpius mœchatus est, in fine vitæ est conveniendus; sique promisit se cessaturum, dabitur ei communio.

Si quis uxorem simul et concubinam habuerit, pœnitens erit quadraginta dies.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam aget unum annum.

Qui puellam, aut mulierem libidinose obtrectaverit, si clericus est, quinque dies; si laicus, tres dies pœnitentiam aget; monachus vel sacerdos a ministerio suspensus, pœnitens erit dies viginti.

Si quis in balneis cum muliere se laverit, pœnitentiam aget triduo.

Qui concupierit virginem, quam postea uxorem duxerit, pœnitentiam aget annum per legitimas ferias: si vero non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Vidua quæ stuprum admiserit, pœnitentiam aget annum unum, et præterea altero anno dies jejuniorum, *feriis nempe legitimis.*

Cum duabus sororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto vitæ suæ tempore.

Qui incestum fecerit (*non ita enormem*) ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem pœnitentiam constituunt.

Quicumque sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honorem amittet, et perpetuam pœnitentiam aget.

Qui monialem violaverit, pœnitens sit annis decem.

Presbyter, si fornicationem admiserit, sponte confessus, pœnitentiam aget annos decem.

Qui cum brutis coierit, pœnitentia afficietur annorum decem et diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui contra naturam coierit, si servus est, scopis castigabitur, et pœnitebit annos duos; si liber est, et matrimonio junctus, annos decem; si solutus, annos septem: pueri, dies centum: laicus matrimonio junctus, si in consuetudine habet, annos quindecim. si clericus, de gradu amotus, ut laicus pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, pœnitensque erit annos quindecim; si clericus, diuturniori et graviori pœnitentia.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, pœnitentia afficietur duorum annorum. Vir in se inquinans, primo dies decem; si iterum, dies viginti; si tertio, dies triginta: si nefarie agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta; si major, quindecim annis, dies centum.

Qui complexu feminæ vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta: qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec vere peccare voluit, pœnitentiam aget dies viginti: si vero impugnatione tentationis et cogitationis inquinatur, pœnitebit item dies viginti.

Quicumque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias : item sacram communionem non accipiet, nisi in fine.

Si quæ mulier perusia, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur annorum trium.

Canones spectantes peccata contra septimum Decalogi præceptum.

Qui furatus est aliquid de ecclesiæ supellectili, vel thesauro, quod sustulit, reddet; et tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Qui sacras reliquias furatus est, illis restitutis, carinas jejunabit.

Pecuniam ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet, si quid item de ministerio ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens erit annos septem. Sacrilegus rerum ecclesiasticarum invasor, tres annos communione privabitur : ac præterea sine esu carnis et potatione vini usque ad septennium pœnitens permanebit.

Qui Ecclesiam incenderit, aut incendio consenserit, restitutione facta, pœnitentiam aget annos quindecim.

Si quis malo studio, vel odio, vel ulciscendæ injuriæ causa, incendium commiserit, committive jusserit, aut incendiario auxilium vel consilium scienter dederit, excommunicetur : mortuus christiana sepultura carebit. Nec vero absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resarcierit; juretque se in posterum tale facinus nunquam admissurum.

Si quis sepulchrum violaverit, pœnitens erit annos septem, e quibus tres in pane et aqua.

Qui sepulchrum infregerit, ut defuncti sepulti vestimenta furaretur, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane et aqua.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, et pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

Qui hospitalis domus administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit, ejusque bona abstulerit, reddet ei suum, et pœnitens erit dies triginta in pane et aqua.

Clericus furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explebit; laicus quinquennii, et quod furatus est, uterque reddat.

Qui fregerit noctu alicujus domum, ut aliquid auferret, pretium reddet, et pœnitentiam aget annum in pane, et aqua ; si non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit : idcirco tamquam de furto pœnitentiam aget.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicumque illas exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua.

Canones spectantes peccata contra octavum Decalogi præceptum.

Qui affirmaverit verum esse quod falsum est, pœnitentiam aget ut adulter; ut homicida, qui sponte id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falsum crimen objecit, pœnitentia afficitur ut falsus testis.

Qui proximo peccatum imputarit, priusquam eum arguerit, primum illi satisfaciens pœnitentiam aget tres dies.

Si quis contra proximum lingua laxivus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Si quis murmuraverit, judicio sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem in pane et aqua.

Qui falsitatem fraudemve in ponderibus et mensuris admiserit, pœnitens erit in pane et aqua dies viginti.

Falsarius, in pane et aqua pœnitentiam agat, quamdiu vivit.

Canones spectantes peccata contra nonum Decalogi præceptum.

Si quis concupiscit fornicari : si Episcopus, pœnitens erit annos septem; si presbyter, quinque ; si diaconus ve monachus, tres, e quibus unum in pane et aqua ; si clericus, aut laicus, annos duos.

Si quis in somniis ex immundo desiderio polluitur, surgat et cantet psalmos pœnitentiales, et dies triginta pœniteat.

Si clericus, aut laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaque semen effuderit, pœnitens erit dies septem.

Canones spectantes peccata contra decimum Decalogi præceptum.

Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena concupiscit, furtum est; qui aliena rapere cupit, rapina est : qui rem ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est : ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat, mortale peccatum concipit, cujus pœnitentiam aget, ut supra dictum est de furto.

CANONES POENITENTIÆ.

De septem Peccatis Capitalibus.

Pro capitali mortalique crimine pœnitentia septem annorum indicitur, nisi peccati gravitas, et personæ status severiorem diuturnioremque pœnitentiam requirat.

Pro capitali crimine pœnitentiam aget laicus annos quatuor; clericus quinque; subdiaconus sex ; diaconus septem ; presbyter decem ; Episcopus duodecim.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane et aqua pœnitentiam agat dies septem; si negligenter, dies quindecim; si per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus et alius clericus ebrius factus, arbitrio sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane et aqua mensibus tribus : si clericus, viginti dies.

Laicus ebriosus graviter arguatur, et pœnitentiam agere a sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies septem : si per contemptum, dies triginta.

Qui ad bibendum invitat plus quam naturæ satis est, pœnitentiam agat.

Qui præ ebrietate et crapula vomitum fecerit, si presbyter aut diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta : si monachus, aut clericus, dies triginta : si laicus, dies quindecim, abstineatque a vino et carne dies tres.

Si quis gulæ causa ante horam legitimam jejunium fregerit, duos dies pœnitentiam agat in pane et aqua.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut inde dolorem senserit, unum diem pœnitentiam aget in pane et aqua.

CANONES POENITENTIÆ.

De variis peccatis.

Si quis sacerdos Missam canit, neque communicat, per annum pœnitentiam agat, nec vero interea celebret.

Sacerdos excommunicatus, si celebret, tribus annis pœnitens sit, hebdomadisque singulis feria secunda, quarta, et sexta a vino, et carnibus jejunet.

Sacerdos sacerdotii gradu, ordineque in perpetuum amotus, si celebrare audet, privatur communione Corporis et Sanguinis Jesu Christi usque ad ultimum diem, et in excommunicatione est, Viaticum tantum in fine sumens.

Si gutta Sanguinis Christi in terram cadit, sacerdos in pœnitentiam sit quinquaginta diebus : si usque ad tres, diebus novem. Si incaute dimisit, quamvis nil nefandi acciderit, tribus mensibus a sui muneris administratione amovetur.

Si per ebrietatem Eucharistiam evomit, si laicus est, quadraginta diebus ; si clericus, sexaginta ; si Episcopus, nonaginta diebus : si infirmus, pœnitentiam aget diebus septem.

Sacerdos qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium ab officii sui administratione amovetur.

Qui legata pia Ecclesiæ non solvit, uno anno pœnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, et mulier habitu viri, emendationem pollicitus, annis pœnitens sit tribus.

Infirmos aut vinctos visitare negligens, pœnitentiam aget dies decem, pane et aqua.



TRACTATUS XIX.

DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT UNICUM.

§. I. De materia et forma.

1. *Extrema unctio est sacramentum* a Christo Domino institutum, quo per unctionem olei et orationem a sacerdote factam, confertur ægroto, vita periclitanti, gratia, qua tentationibus resistat, dolores patienti animo ferat, et peccati reliquiis abstersis, bene moriatur: vel si ita expediat animæ saluti, pristinam recuperet sanitatem. Christi institutio ex S. Jacobi verbis jure optimo colligitur; nec enim nisi divinitus instructus, descripsisset certa cum fiducia effectus unctionis: « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei. » [1] S. Thomas opiniones diversas de ejus institutione recenset: « quidam enim dicunt, quod Sacramentum istud, et Confirmationis, Christus non instituit per se, sed Apostolis instituendum dimisit....... Alii dicunt, quod omnia sacramenta Christus instituit per seipsum: sed quædam per seipsum promulgavit, quæ sunt majoris difficultatis ad credendum; quædam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut Extremam Unctionem et Confirmationem. Et hæc opinio pro tanto videtur probabilior, quia Sacramenta ad fundamentum legis pertinent: et ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio: et iterum, quia ex institutione efficaciam habent, quæ eis nonnisi divinitus inest. » [2]

2. *Materiam hujus sacramenti* oleum esse ex verbis S. Jacobi liquet: « et quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum, olei nomen accipiant; ideo oleum olivæ etiam debet esse, quod assumitur in materiam hujus sacramenti. » [3] Constat illud, saltem ex præcepto Ecclesiæ, debere esse ab Episcopo benedictum: utrum autem id ad essentiam referendum sit, disputatum est, quod fere decisum videtur, damnata a Paulo V. propositione negante, tamquam temeraria et errori proxima. [4] Posse Summum Pontificem delegare sacerdoti benedicendi oleum faculta-

(1) Jac. v. 14.
(2) Suppl. iii. p. qu. xxix. art. iii. *Resp.*
(3) Ibidem, art. iv. *Resp.*
(4) In Cong. Inq. 13. Jan. 1655.

tem colligitur ex concessione pluries facta,[1] cui etiam suffragatur Græcorum consuetudo, apud quos sacerdotes illud perficiunt; quod nullo pacto liceret, si ita Episcopi esset, ut nequaquam posset presbyteris communicari. Sacerdotem autem Latini ritus numquam debere hoc munus sibi arrogare, nequidem Episcopo probante, constat, quum Summi Pontificis sit delegare hanc facultatem, quam sacerdotes Græci ex Patriarchæ forsan cui subjiciebantur venia, et ex Pontificis ipsius indulgentia, qua consuetudini vetustæ robur adjicitur, exercent. Probabile est olei benedictionem specialem ad infirmos ungendos requiri necessario, adeo ut oleo catechumenorum, vel chrismate, nequeat confici unctio extrema: sed quum contraria aliquorum sententia verosimilitudine haud careat, culpandus non est qui deficiente oleo infirmorum, alio utitur, conditione apposita: *si idoneum sit:* sed postea, si copia olei infirmorum habeatur, unctio sub conditione iteranda erit.

3. Pollice in oleum intincto *facienda est unctio*, adeo ut oleum diffundatur, ad quod gutta una sufficit, quamvis præstet ut major sit copia. Virgula in ungendo non est adhibenda, nisi in magno discrimine, quando ex tactu contagio imminet: extra quam necessitatem ea uti, venialis saltem est culpa,[2] quum a ritu Ecclesiæ temere discedatur. Crucis signum faciendum est dum unctio fit: quod si omittatur, salva est essentia sacramenti, quamvis sacerdos venialiter peccet.

4. *Forma hujus sacramenti* sunt verba hæc: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per *visum* deliquisti » variata voce pro diversis sensibus. Hæc conveniunt præcepto Apostoli orationem cum unctione conjungendam. Quod autem misericordiæ Dei fiat mentio, nonnulli putant prorsus necessarium, aliis negantibus: quæ sententiarum varietas de vocibus « quidquid deliquisti, » etiam reperitur. Apud omnes constat mortale esse peccatum voces quæ in quæstione positæ sunt, consulto omittere, quum sacramenti valor periclitetur cum moribundi injuria.[3]

§. II. DE RITU UNGENDI.

5. *Unctio quinque sensuum*, saltem ex præcepto Ecclesiæ *facienda est;* « quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinæ ad diversas vulnerum radices:[4] et ideo plures actiones sunt de perfectione hujus sacramenti. » Multi censent eam ad essentiam pertinere. Si tempus non suppetat ritui perficiendo, unica, in capite præsertim, poterit fieri unctio,[5] vocibus illis prolatis: « Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid per sensus deliquisti; » vel « quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum. » Deinceps si supervixerit aliquantulum unctus, poterit ritus sub conditione perfici, ordine consueto. Ad essentiam non censetur attinere, ut duplex sensus organum, v. g. uterque oculus ungatur; quapropter si infirmus nequeat verti, vel si pes alter sit impeditus, omitti poterit; quamvis utraque unctio ex præcepto plerumque facienda sit. Oculi, aures, nares, os, manus, pedes, et renes ungendi sunt juxta Rituale Romanum. « Renum unctio in mulieribus honestatis gratia semper

(1) *De Synodo diœc.* l. vii. c. xvi. n. 3.
(2) S. Alph. l. vi. n. 710.
(3) Ibidem, 711.
(4) S. Thom. Supp. iii. p. qu. xxix. art. ii. *Resp.*
(5) Vide Benedict. XIV. *de Synodo diœces.* l. vii. c. xviii. n. 3.

omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest: sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet. » Apud nos renum unctio, tum in viris, tum in mulieribus, omittitur: pedes tamen semper unguntur, quamvis non ubique terrarum eadem sit consuetudo. [1] Unctionum ordinem temere invertere grave foret peccatum, sed sacramenti valorem non attingit.

6. *Si quis careat aliqua parte corporis ungenda,* « pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma. » [2] Si aure careat, pars capitis propinqua inungenda est : si pede vel brachio, genu vel humero esset unctio facienda: si cæcus semper fuerit, inungendi tamen sunt oculorum loculi, ut si quid videre concupiscens admiserit, ignoscatur.

7. « *Dum oculos, aures*, et alia corporis membra, quæ paria sunt, sacerdos ungit, *caveat ne* altero ipsorum inungendo, sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit. » Ita Rituale Romanum.

8. *Sacerdos solus* est hujus Sacramenti *minister :* sed extra necessitatem succurrendi periclitanti, opus est jurisdictione, ut liceat illud ministrare: nam ad parochi munus spectat. Hoc jus ut vindicaretur, excommunicatio in Religiosos lata est, qui sine parochi licentia Unctionem Extremam sæcularibus conferunt; [3] quæ tamen non est necessaria, si Episcopi venia habeatur. Unus sufficit sacerdos, uti definivit Alexander III. [4] Tres saltem, septem plerumque, a Græcis adhibentur: quem morem commendandum esse docet S. Thomas : [5] sed a Ritualis præscripto discedendum non est; unus quippe ritum perficit, aliis adstantibus, et prece tantum adjuvantibus : in periculo tamen imminente, censet Busembaum [6] plures posse simul ungere, dummodo organa cujuscumque sensus ab uno ungantur, et verba congrua simul ab eodem proferantur, altero simul alterius sensus organa ungente. Si sacerdos deficiat viribus, vel moriatur, dum ægrotum ungit, alter poterit statim prosequi. « In Extrema Unctione non potest a capite incipere, sed debet semper procedere : quia unctio in eadem parte facta tantum valet, ac si consecraretur bis eadem hostia : quod nullo modo faciendum est. Nec tamen ministrorum pluralitas tollit unitatem hujus Sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur. Mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri. » [7] At si tempus notabile elabatur, antequam sacerdos reperiatur qui unctionem perficiat, censet S. Alphonsus unctionem esse iterandam sub conditione, ut ex singulis unctionibus unica integra simul habeatur. [8]

9. *Minister adstare debet sacerdoti ungenti :* quem omittere culpa videtur venialis, sed apud nos vix haberi potest, ideoque omissio necessitate excusatur.

10. *Ritus præscriptus accurate servandus est.* Dicit S. Alphonsus certum esse graviter peccare sacerdotem qui extra necessitatem stola et superpelliceo in ungendo ægroto non utitur. Decrevit etiam S. C. R. non licere Extremam Unctionem facere, sola stola adhibita, et eliminandam esse eam consuetudinem. [9] Curandum igitur ut

(1) Vide Benedict. XIV. *de Synodo diœces.* l. vii. c. xviii. n. 1.
(2) Ibidem.
(3) Clement. I. *de privileg.*
(4) In cap. Quæsivi, *de verb. signific.*
(5) L. iv. *contra gent.* c. lxxv.
(6) Vide S. Alph. l. vi. n. 724.
(7) S. Thom. Suppl. iii. p. qu. xxix. art. ii. ad 3.
(8) L. vi. n. 724.
(9) Die 16 Dec. 1826. ad II. n. 2. 4474.

hac in re disciplinam generalem sequamur, hortante Concilio Baltimorensi I. ad superpelliceum, una cum stola, in omni sacro munere obeundo adhibendum. [1]

11. « *Omittere orationes in Rituali præscriptas*, extra casum necessitatis, sine dubio est mortale. » [2] Litaniæ autem ab astantibus dicendæ cum Psalmis pœnitentialibus, dum ungitur ægrotus, non videntur injungi sub peccato, et raro apud nos dicuntur. Cæterum dum plures adstant, curandum ut eas recitent lingua vernacula; nec enim Latino sermone eas recitare valent. Quæ præscribuntur sacerdoti recitandæ orationes integre perficiendæ sunt, nisi immineat mors : quo casu licebit ungere statim periclitantem, et preces deinceps recitare, prout Rituale monet.

12. *Oleum infirmorum in ecclesia servari debet*, et ad infirmum deferri, præcedente lumine, quod et in unctione adhibendum est : cæterum apud nos missionariis permittitur, ob necessitatem, illud apud se retinere, et occulte deferre ad ægrotum; sed curandum omnino est, ut loco decenti habeatur in vase nitido, et ut decenter deferatur. Lumen in unctione facienda adhibendum est, et quidem ex cera, pro more Ecclesiæ : sed si ejus copia non sit, non audeo damnare sacerdotem ungentem ægrotum, oleo vel sebo lumen præbente, vel si nec hoc haberi possit, absque lumine in necessitate.

13. *Novus globulus bombycis* in cujuslibet sensus organi unctione adhibendus est, et deinceps comburendus, et cineres in sacrarium projiciendi : quod vix a missionariis accurate servari potest.

14. *Parochus tenetur ovibus suis præstare* Extremam Unctionem, etiam cum discrimine vitæ, si alio subsidio salutis nequeant adjuvari : « Qui autem peste affectus, » ait Synodus Namurcensis anno 1639, « non est confessus, nec potest confiteri, pastor tenetur illi Extremam Unctionem, etiam cum periculo vitæ, dare. » [3]

§. III. De effectibus.

15. *Effectus Extremæ Unctionis* sunt imprimis gratiæ sanctificantis augmentum, cum illis auxiliis, quibus anima sublevatur, et excitatur : quæ gratia, juxta nonnullos, tribuitur, quando organum quodlibet sensuum ungitur; juxta alios, nonnisi in totius ritus consummatione : tolluntur peccata, si quæ supersint; venialia, scilicet, vi Sacramenti propria; mortalia autem secundario et per accidens, si ea admiserit moribundus, nec eorum veniam adhuc impetraverit : « si in peccatis sit, remittentur ei. » De eo dicit Concilium Tridentinum : « Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit. » Equidem qui sibi conscius est peccati mortalis, ad Pœnitentiæ Sacramentum debet confugere : sed si non valeat illud suscipere, adhuc idoneus esse poterit Extremæ Unctioni, qua animæ, alioquin pœnitentis, delicta deleantur. « Adhibetur autem hoc Sacramentum, » inquit S. Thomas, « secundum modum cujusdam medicationis, sicut Baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendum infirmitatem. Unde principaliter hoc Sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati : ut sicut Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, et Pœnitentia quædam spiritualis suscitatio, ita et Extrema Unctio sit quædam

(1) Decr. xxvii.

(2) S. Alph. l. vi. n. 727. (3) Tit. xiv. cap. x.

spiritualis sanatio vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc Sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale, vel mortale : sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ. Et hic defectus nihil aliud est, quam quædam debilitas et ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali : et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum : ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis. »[1]

16. *Inservit hoc Sacramentum valetudini recuperandæ*, si ita expediat animæ saluti ; quo refertur excitandi ægrotum promissio, quin instar miraculi sit ; virtus quippe Sacramenti tantum adjuvat remedia et subsidia ut valeant. « Extrema Unctio, » inquit S. Thomas, « non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina quæ rationabiliter operatur. Et quia ratio operans numquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem : ideo ex hoc Sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem : et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis. »[2] Qui differunt unctionem expetere ad exitum usque vitæ, non possunt sanationem sibi pollicere, quum absque miraculo contingere non posset : quapropter oportet ungi, dum quis, licet graviter ægrotet, possit animo conjungere se ungenti.

§. IV. Quinam ungendi sint.

17. Administrari potest Unctio Extrema *cuilibet homini Catholico morbo periclitanti*, cujus voluntatis indicium præcessit, non tamen si in manifesto peccato moriatur. Equidem, quum sit vivorum Sacramentum, qui sui compos est, debet se ad illud suscipiendum parare, Sacramentum Pœnitentiæ prius excipiendo, quod tamen lege non præcipitur, et omitti potest absque culpa ab eo qui contritionem perfectam animo concepit. Eucharistia etiam, instar viatici, ex consuetudine generali Ecclesiæ prius suscipienda est, juxta Rituale Romanum : quod si obstet corporis conditio, vel rerum adjuncta, poterit unctio præcedere : sed non est facile recedendum ab ordine consueto :[3] quamvis inversio vix venialis habeatur culpa.[4]

18. *Mos autem dandi unctionem*, omisso prorsus Viatico, moribundis qui hebetis sunt ingenii, et vitiis insenuerunt, v. g. mancipiis, *nequit cum Ecclesiæ consuetudine*, et lege Christi de Eucharistia suscipienda *conciliari* : ideo instruendi sunt, et quo melius fieri possit pacto, præparandi, ut utroque Sacramento muniantur, ne necessario prorsus Viatico careant. Recte ministratur etiam adultis statim post baptismum, qui in exitu vitæ positi videntur, quia præcipuus ejus effectus est, ut moribundum vi quadam muniat contra dæmonis tentationes in ultimo certamine.[5] Ministratur ex Ritualis Romani præscripto etiam moribundis qui sensa sua pandere ne-

(1) Suppl. iii. p. qu. xxx. art. i. *Resp.*
(2) Ibidem, art. ii. *Resp.*
(3) Bened. XIV. *de Syn.* l. vii. c. xxiii.
(4) S. Alph. l. vi. n. 716. (5) Ibidem, n. 721.

queunt, sed qui merito censentur velle hoc subsidio adjuvari : quales sunt omnes qui fidem Catholicam professi sunt. « Impœnitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptizatis, penitus denegetur. »

19. « *Infirmis de quorum* morte timetur »[1] *ministranda est* : hi enim voce infirmorum viribus deficientium a S. Jacobo intelliguntur : iis « qui præ senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate » ministrari potest. Si morbus mortis periculum afferat, unctio fieri poterit, quamvis infirmus non sit in exitu vitæ adhuc positus. « Non ministretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus. » Pueris qui satis compotes rationis visi sunt, ut peccare possent, datur Unctio Extrema : et aliis de quibus dubitatur, sub conditione dari potest. Amentibus, si lucida habeant intervalla, dari potest : sed non furiosis : datur etiam morituris ex vulnere, vel veneno, etiam qui mortem sibi consciverunt, vel qui in singulari certamine percussi sunt, dummodo pœnitentiam deinde professi sint. « Parochus Unctionis Sacramentum ministrare non debet mulieribus in partu laborantibus » juxta Concilium Mediolanense : iis tamen in proximo periculo mortis actu versantibus ministrari potest.

20. *Haud expectandum est, ut omnis vitæ spes* amissa fuerit, vel ut ægrotus sensibus destitutus sit : gravissime enim peccant, juxta Catechismum Romanum qui adeo differunt unctionem. Id de parocho culpa sua differente ungere moribundum qui ungi petit intelligendum videtur. « Ratio, » inquit S. Alphonsus, « quia sic privatur infirmus uberiori fructu quem recepisset, si suscepisset Sacramentum, dum erat rationis compos, cum magis tunc se ad illud disposuisset; item quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum dæmoni, et ad perferenda morbi incommoda; item, quia infirmus, si forte esset in mortali, et compos rationis Sacramentum recepisset, auxilio attritionis gratiam forte fuisset adeptus, qua alioquin privatur; demum quia virtute hujus Sacramenti forte consecutus fuisset sanitatem corporis, si tempore congruo collatum fuisset : licet enim hoc Sacramentum virtute quadam supernaturali operetur etiam salutem corporalem, si animæ saluti expedierit (ut loquitur Tridentinum) non tamen per modum miraculi operatur, sed via quodammodo ordinaria, nempe causas naturales adjuvando. »[2]

21. *In eodem vitæ discrimine non iteratur* unctio : sed si morbus sit diuturnior, et quis e periculo imminente eripiatur, nil vetat iterare unctionem, variato jam periculo. « Quædam sunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, hydropisis et hujusmodi; et in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis : et si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, et iterum ad similem statum per illam ægritudinem reducatur, ite-

(1) Rit. Rom. Anabaptistæ Anglicani olim ungebant ægrotos : « So for extream unction of the sick, spoken of in James v. 14, 15, Mr. Russen of Hyth in Kent, a place that is full of these people, says : « I am sure it is both their opinion and practice, as to some, tho' probably all do not use it. » P. S. This I find to be confessed since by Mr. Sennet. But he tells me, it is but rarely practised : and that not (as the Papists use it) only or chiefly in cases desperate; but mostly in hopes of recovery, and for that end. » Wall, *Hist. Infant Baptism*, p. ii. ch. viii.

(2) L. vi. n. 714.

rum potest inungi.[1] Si dubium sit utrum idem sit periculum, ad iterationem propendendum dicit Benedictus XIV. ex veteri Ecclesiæ consuetudine. Paucorum dierum intervallum non sufficit ut quis e periculo evasisse censeatur; sed notabile temporis spatium requiritur.

22. *Utrum quis divina teneatur lege ad unctionem expetendam*, disputatur. Affirmantibus favent Jacobi verba : « inducat presbyteros Ecclesiæ : »[2] et Conciliorum decreta ejus susceptionem urgentium : « Secundum beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. » Ita Concilium Cabillonense II.[3] Constat contemptum tanti Sacramenti absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus sancti injuria, esse non posse :[4] sed non putamus graviter peccare, qui, necessariis subsidiis jam munitus, differt recipere unctionem, sibi persuadens, licet leviter et temere, se haud adeo periclitari. Nec peccare graviter videtur aliquis, qui moribundum, alioquin satis paratum, urgere negligit ad unctionem recipiendam.

(1) S. Thom. Sup. iii. p. qu. xxxiii. art. i. *Resp.*
(2) Jac. v. 14
(3) Cap. xlviii.
(4) Conc. Trid. Sess. xiv. cap. iii.



TRACTATUS XX.

DE ORDINE.

CAPUT UNICUM.

§. I. De ordinum materia et forma.

1. *Ordo, prout hic sumitur*, vel indicat ritum quo potestas confertur ad munera sacra obeunda, qui plerumque ordinatio dicitur; vel ipsam potestatem ea obeundi munera. Septem numerantur Ordines, Sacerdotium scilicet, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus: quorum tres priores dicuntur majores et sacri, eo quod sacra munera propius respiciant, et hominem Deo sacratum perpetuo ligamine devinciant. Hi omnes recensentur a Cornelio Papa, in epistola ad Fabium Antiochenum tertio sæculo medio scripta. [1] Prima tonsura est ritus ecclesiasticus quo quis ad ordines suscipiendos paratur, capillorum, coronæ adinstar, tonsione. Lato sensu dicitur ordo, quatenus quis in clerum e laicorum cœtu sic transfertur.

2. *Ordinem esse Sacramentum* fide constat; quapropter nemo inter Catholicos dubitat sacerdotium sacramentum esse; quod plerique de diaconatu etiam affirmant. De cæteris non adeo constat, quum impositio manuum in iis non fiat, et iidem non sint ordines minores apud Græcos qui apud Latinos.

3. *Utrum Episcopalis consecratio sit sacramentum* a sacerdotio distinctum numero, inter theologos quæritur. Affirmantibus plura favent. Testimonia ad Timotheum episcopalem ordinationem respicere videntur. Apostolus etiam affirmat Episcopos a Spiritu Sancto constitutos: « Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. » [2] Clemens Alexandrinus ait, in Ecclesia « esse progressiones Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, quæ sunt imitationes gloriæ Angelicæ, et illius œconomiæ ac dispensationis. » [3] S. Epiphanius, refellens Aerium, qui presbyteros Episcopis adæquabat, ait: « Episcoporum ordo ad gignendos patres præcipue pertinet: hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter » (nempe ordo presbyterorum) « cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit;

(1) Apud Euseb. l. vi. hist. Eccl. c. xliii. alias xxxv.

(2) Act. xx. 28.

(3) L. vi. Strom.

non tamen patres aut magistros. »[1] S. Leo ad Episcopos Mauritaniæ scribens, Ordinationem episcopalem diserte vocat Sacramentum, cui injuriam irrogari ait, bigamum ordinando Episcopum.[2] Et quidem quum Episcopatus conferat jus Confirmationis et Ordinis sacramenta ministrandi, quod nunquam amitti potest, nulla videtur esse ratio cur sacramentum a sacerdotio distinctum non habeatur. Nec tamen inde sequitur Episcopum posse consecrari, qui sacerdotium non sit consecutus : jure enim divino sacerdotalis character in Episcopis exigitur, uti patet ex traditione Apostolica.

4. *Materia subdiaconatus* in Concilio Carthaginensi IV. præscripta est calicis vacui cum patena traditio,[3] et libri Epistolarum. Plerique dicunt hunc non necessario tradendum : qui tamen, securitatis causa, adhibendus est : nec enim absque gravi peccato munus tanti momenti discrimini objicitur. Ex lege Ecclesiæ calix et patena subdiacono tradenda consecrata sint necesse est, quamvis plures contendant non inde pendere valorem ordinationis : cæterum peccaret graviter qui haud consecratis uteretur cum periculo Ordinem haud conferendi.

5. *Subdiaconi munus* est calicem et patenam tradere diacono, panem et vinum in Sacrificium præsentare, canere Epistolam in Missa solemni, et deferre crucem in processionibus.

6. *Materia diaconatus* videtur esse manus impositio ab Episcopo, forma vero quæ ea occasione profert verba : « Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et angelis ejus, in nomine Domini. Amen. » Equidem constat Apostolos diaconis imposuisse manus,[4] quem ritum refert etiam Concilium Carthaginense IV.: « Cum diaconus ordinatur, solus Episcopus manus super caput ejus ponat. »[5] Cæterum quum probabilis sit theologorum sententia dicentium Evangelium necessario tradendum esse, haud absque gravi peccato omitteretur.

7. *Materia presbyteratus* videtur esse ea manuum impositio, quæ fit silentio ab Episcopo, manu deinceps supra caput ordinandi extensa : nam utraque pro eadem haberi merito potest : forma autem est quæ simul fit invitatio ad precandum manu extensa supra caput, et quæ statim sequitur brevis oratio. Quæ fit a sacerdotibus manuum impositio et extensio ad solemnitatem tantum spectat. Manuum impositio quæ fit sub finem Missæ, dicendo : « Accipe Spiritum sanctum, etc., » eum jam sacerdotio insignitum habet, quum vocetur passim ordinatus, et una cum Episcopo consecrare censeatur. Instrumentorum autem traditio vix haberi potest materia, nisi lato quodam sensu, prout in decreto pro Armenis usurpata videtur, quum non consueverit fieri apud Græcos, et apud Latinos haud ante sæculum nonum, vel octavum inducta credatur.[6] Præterea in Scriptura manuum impositione sacra potestas semper tradita refertur. Quæ igitur dicuntur verba dum traduntur instrumenta : « Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, etc. ; » et dum manus ultimo imponuntur : « Accipe Spiritum sanctum ; » explicant potestatem jam datam priori manuum impositione. Cæterum quum alii aliud opinentur, grave foret peccatum ritum præscriptum aliqua ex parte omittere, valore ejusdem discrimini temere exposito. « Ordinatio facta sine secunda manuum impositione tota repetenda est, ut etiam declaravit

(1) Hær. lxxv. (2) Epist. lxxxvii.
(3) Can. v. et Flor. in decr. pro Armenis.
(4) Act. vi. (5) Can. v.
(6) Bened. XIV. *de Synodo*, l. vii. c. ii. n. 5.

S. Congregatio apud Benedictum XIV.[1] Ratio, quia qui non accipit potestatem supra Corpus Christi verum, nec etiam potuit accipere potestatem supra Corpus Christi mysticum. Si vero Ordinatio facta fuit sine tertia manuum impositione, hæc tantum supplenda est. »[2] Si prima manuum impositio omissa fuerit, videtur etiam totus ritus iterandus sub conditione, quum nonnulli habeant eam una cum secunda instar unius, eamque ad valorem censeant requiri. Physica manuum impositio videtur necessaria : quum enim Episcopus ætate jam gravatus manus ordinando in plano genuflexo imposuisset, absque ullo contactu, jussit S. Cong. totum ritum iterum peragi, quod secreto factum est. Illud plerumque servandum est, quod « non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum. »[3] Si de valore actus constet, ritus omissus, v. g. manuum unctio, sub gravi peccato supplendus erit quamprimum ab eodem Episcopo, si fieri possit, sed cætera non erunt iteranda. Occulte defectus plerumque supplendus est, ne scandalum nascatur.

8. *Materia Episcopatus* videtur esse manuum impositio, quæ fit, dum Episcopi dicunt : *Accipe Spiritum sanctum :* quod autem in antiquis desit Ritualibus, et nonnisi sæculis mediis inducta dicatur, suadet verborum formam ex Ecclesiæ auctoritate pendere, quæ poterit pro temporum ratione ea determinare quæ ad potestatem episcopalem significandam sufficiant. Forma autem illa ex adjunctis sensum habet definitum.

9. *Quoties defectus essentiam respicit* supplendus est « statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos ; »[4] secus si defectus sit accidentalis. « Probabiliter vero dicit Tamburini. . . quod si ob solum dubium iteretur Ordo sub conditione, vel cæremonia aliqua poterit iterari quovis die, et a quovis Episcopo ; eodemque die poterunt simul conferri Ordines, tam majores, quam minores, adhibitis solis solemnitatibus probabiliter necessariis ad valorem. »[5]

10. *Si quis ad porrectionem calicis cum vino, et patenæ cum hostia, non accesserit*, dum presbyter fieret, erit sub conditione iterum ordinandus, ex decreto S. Congregationis apud Benedictum XIV.[6] Utrum instrumenta hæc physice, seu reapse tangi debeant, vel sufficiat contactus quem dicunt moralem, scilicet quo tangi censentur ob propinquitatem, controvertitur inter eos qui eorum porrectionem æstimant necessariam : curandum autem omnino est ut reapse tangantur, nec enim dum de valore sacramenti agitur, probabilem sententiam sequi licet. Peccaret igitur graviter Episcopus, vel Ordinis susceptor, qui incuriose se de ea re gereret : et ad omnem tollendam dubitationem instrumenta tradenda forent iterum sub conditione.[7] Censent probabiliter nonnulli tangendam esse necessario utramque speciem, panem scilicet et vinum : quod ad omne discrimen valoris evitandum servandum est. Si hostia tangatur, et non patena, sufficit juxta plures ; sed quum a nonnemine in dubium vocetur, securitati consulendum. Sufficit tangere patenam et calicem, quin hostia tangatur ; sed hæc quoque tangenda est, ut nullus sit dubitationi locus. Calicem qui tangit, patenam, quæ ei superimposita

(1) Bened. XIV. *de Synodo*, l. vii. c. ii. n. 13.
(2) S. Alph. l. vi. n. 749.
(3) Cap. i. *de sacramentis non iterandis.*
(4) Cap. Presbyter, *de eodem.*
(5) S. Alph. l. vi. n. 759.
(6) L. viii. c. x. n. 13. (7) S. Alph. l. vi. n. 743.

est, tangere censetur : sed curandum ut ipsa quoque tangatur.

§. II. De ordinum ministro.

11. *Solus Episcopus est minister ordinarius* Ordinum, uti ex Conciliis Florentino et Tridentino constat : attamen ex Papæ auctoritate sacerdos dare potest tonsuram et Ordines minores, imo et subdiaconatum; quæ facultas consuevit Abbatibus concedi. Multi negant sacerdoti tribui posse potestatem diaconatum conferendi. Constat nemini, qui Episcopus non sit, dari posse potestatem conferendi sacerdotium, vel Episcopatum : id enim perpetua Ecclesiæ consuetudo et traditio docet.

12. *Ad Episcopatum conferendum* ex lege Ecclesiæ *tres requiruntur Episcopi :* « Episcopum, » inquiunt Nicæni Patres « convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in id ipsum convenientibus, tunc ordinatio celebretur. » [1] Sufficere tamen unum Episcopum ut valeat consecratio, plurimis probatur dispensationibus pontificiis vetustis et recentioribus, aliisque veterum exemplis. Theodoretus testatur Evagrium consecratum fuisse Episcopum Antiochenum a solo Paulino : quam tamen ordinationem ratam habuit Ecclesia in Synodo Romana. [2] Equidem Canones, quibus trium Episcoporum opera exigitur, concedunt ut necessitate urgente a duobus Episcopus ordinetur. [3] Pelagius Pontifex a duobus Episcopis, presbytero adsistente, consecratus est, uti refert Anastasius Bibliothecarius in ejus vita. Dioscorus Alexandrinus a duobus Episcopis munus consecrationis suscepit. [4] Siderius Palæbiscæ Episcopus a Philone Cyrenensi solo ordinatus est. [5] Augustino concessit S. Gregorius M. Episcopos ordinare absque aliorum Episcoporum opera : « Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis potes. » [6] Dicit Browne Anglicanus : « Multos Episcopos reperire est ab uno solo Episcopo ordinatos, quorum rata fuit ordinatio ; cum talem Ordinationem Sedes Romana sibi quasi speciale προνομιον, et prærogativam vindicet, ut ex Concilio discimus : unus Episcopus Episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana. » [7]

13. *Qui in statu peccati mortalis Ordines dat minores et tonsuram*, persuasum habens eos non esse sacramenta, non videtur damnandus novi peccati : secus si censura ligatus sit, quam violare peccatum est grave. Qui eo in statu diaconatum, sacerdotium, vel episcopatum dat, novum peccatum admittit, et quidem pro numero ordinandorum toties peccat : singuli enim actus sunt in se completi.

§. III. De ordinandis.

14. *Qui baptizatus non est*, Ordinem nullum recipere potest, licet ritus in eo peragitur : nam minister Christi

(1) Can. iv.

(2) Hist. Eccl. l. v. c. xxiii.

(3) Constit. Alex. c. v. apud Ecchel. *de Eccl. Alex. orig.*

(4) Vide epist. Episcoporum Ponti ad Leonem Imp. apud Bin. Conc. tom. ii. p. 400. edit. an. 1618.

(5) Synes. epist. lxvii. p. 210. edit. Pet.

(6) Apud Bed. hist. Eccl. l. i. c. xxvii. Lectionem propugnat, et unum sufficere Episcopum ostendit Beveregius in Annot. ad Can. Ap. i. Vide et Bingham *Antiq. Eccl.*

(7) Thom. Brun. judic. *de Can. et Const. Apost.* num. xviii.

esse non potest, qui charactere christiano non est insignitus. [1]

15. *Soli subditi ab unoquoque Episcopo ordinandi sunt*, nisi litteras dimissorias sui Ordinarii alii afferant, vel privilegium habuerint speciale. Ratione *originis* subditus est qui in diœcesi est natus, « dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, permanentiæ ejus patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Ita Innocentius XII. [2] Attamen « ubi quis baptizatus est, inde trahere originem dicitur : » [3] sed nulla habetur ratio baptismi sub conditione. Ratione *domicilii* subditus fit qui ad diœcesim pervenit animo ibi permanendi, qui decennii habitatione probetur, vel domo ædificata, et majore bonorum parte illuc translata, [4] et per notabile aliquod tempus ibi manendo : debetque jurare hunc animum tunc se habere. Ratione *beneficii* subditus fit qui beneficium ecclesiasticum ab Episcopo accepit, [5] qui tamen si fuerit tonsura, vel minoribus Ordinibus, a suo Episcopo initiatus, debet exhibere litteras testimoniales de suis natalibus, ætate, et moribus. Quum nulla apud nos sint stricti nominis beneficia, originis et domicilii jura attendenda sunt. Qui ex Europa huc venerunt suorum Episcoporum litteras dimissorias plerumque afferunt : quod si legibus patriis vetetur ne Episcopus, absque civilis regiminis venia, det exeundi facultatem, imploranda erit S. Sedis indulgentia, ut liceat advenam absque litteris dimissoriis ordinare. Qui ex Statu aliquo in alterum migraverunt, easdem litteras debent afferre, ut ordinentur : quod si animo redeundi in suam diœcesim morati sint in collegio, vel alibi studiorum vel negotiorum causa, possunt redire, quum manendi animus requiratur, ut jus illud perfectum sit. Quando integra familia migrat, et animus manendi liquet, domicilium acquiritur. Non sufficit præsumpta Ordinarii licentia, et spes ratihabitionis, sed expressa licentia requiritur. [6] Quoties quis ratione domicilii ordinandus est, debet juramento probare se illud contraxisse : debet etiam afferre litteras testimoniales Episcopi originis de natalibus ac ætate, etiamsi in ætate infantili ab illius diœcesi discesserit. Qui per triennium apud Episcopum moratus est, inter familiares adscitus, potest ab eo ordinari, dummodo beneficium ei statim conferatur, [7] scilicet intra mensem. [8] « Nomine autem *familiarium* intelliguntur omnes qui Episcopo famulantur, et vivunt ejus expensis, etsi in ejus ædibus non habitent, modo degant in loco, ubi est Episcopus, vel prope. » [9]

16. *Pœna ordinantis alienos* est suspensio ab Ordinum collatione ad annum; et ordinatus suspenditur ab

(1) Conc. Nic. Can. xix. et c. Veniens, *de presb. non baptiz.*

(2) Constit. *Speculatores.* Communis juris principia consonant : « It is said, that, in every case, the children born of English parents were capable, at common law, of inheriting as natives if the father went and continued abroad in the character of an Englishman, and with the approbation of the Sovereign. » Kent's Comm. vol. ii. n. 51. Queritur de civium Americanorum filiis in exteris regionibus natis nihil lege definitum. Ib. n. 53.

(3) Barbosa, *de officio et pot. ep.* p. et alleg. iv. n. 3. et Const. *Cupientes*, Pauli III. 21. Martii 1542.

(4) Const. *Speculatores.*

(5) C. *cum nullus, de temp. ord.*

(6) Conc. Trid. Sess. xiv. cap. ii. *de Ref.*

(7) Ibid. Sess. xxii. cap. ix. *de Ref.*

(8) Const. *Speculatores.*

(9) S. Alph. l. vi. n. 780.

ordinis suscepti exercitio, donec Ordinario suo videatur. [1]

17. *Licentia ordines suscipiendi voce data* sufficit; quapropter Episcopus tuto ordinat eum quem certo testimonio novit a suo Episcopo ad se remissum. [2]

18. *Licentia data* alicui ordines suscipiendi ab Episcopo alieno *non expirat* morte concedentis : est enim gratia. [3]

19. *Episcopus confirmatus*, *quamvis non consecratus*, potest litteras dimissorias concedere : sunt enim actus jurisdictionis. Cui ablata est jurisdictio nequit eas concedere. Hinc quando constat Episcopum esse excommunicatum, vel suspensum, licet ordines a viciniori Episcopo suscipere. [4]

20. *Episcopus extra suam diœcesim versans*, potest suis subditis dare litteras dimissorias : non enim est actus jurisdictionis, quam dicunt, contentiosæ. Nequit tamen ordines conferre, vel Pontificalia exercere absque Ordinarii licentia, sub pœna suspensionis ipso jure. [5]

21. Absque speciali Episcopi mandato Vicarius generalis nequit litteras dimissorias concedere, nisi Episcopus sit extra provinciam, vel una vel altera dieta a sua diœcesi distet. « Episcopo autem in remotis agente, ipsius Vicarius generalis, Sede vacante, Capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi. » [6] Intra annum ab Episcopi morte Capitulum, vel diœcesis administrator, non potest litteras dimissorias concedere, nisi urgeat [7] necessitas beneficii suscipiendi vel providendi animarum curæ.

§. IV. De dotibus ordinandorum.

22. *Vocatio divina* omnino necessaria est ut liceat Ordines suscipere : nam nec in veteri Lege permissum est temere sacra munera usurpare : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu. » [8] Monuit idcirco Christus Dominus Apostolos : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. » [9] Præcipua autem vocationis divinæ indicia sunt I. scientia conveniens. II. probitas vitæ. III. desiderium salutis suæ et alienæ. Qui in ministerium se ingerit absque vocatione, et suæ utilitati, honori, vel voluptati præcipue studens, gravis peccati reus est : « Qui enim se ingerit, et propriam gloriam quærit, gratiæ Dei rapinam facit, et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem. » Ita præclare scribit S. Anselmus. [10] Episcopus temere ordinans eos qui indicia cœlestis vocationis haud præseferunt, eorum peccati fit particeps : tenetur enim vi sui muneris idoneos homines quibus sacra munera credat, seligere. In verba Apostoli : « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis : » [11] scribit S. Leo : « Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari? » [12] Sed et

(1) Conc. Trid. Sess. xxiii. c. viii. *de Ref.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 788.
(3) C. Super gratia, *de offic. deleg. in* 6.
(4) C. ii. *de temp. ord. in* 6.
(5) Conc. Trid. Sess. vi. c. v.
(6) C. Cum nullus, *de temp. ord. in* 6.
(7) Conc. Trid. Sess. viii c. x.
(8) Heb. v. 4.
(9) Joan. xv. 16.
(10) In c. v. ad Heb.
(11) 1 Tim. v. 22.
(12) Epist. i. alias lxxxvii.

major adhibenda est diligentia in parochis et Episcopis designandis.

23. *Examen ordinandorum* faciendum est. Si contingat Episcopum proprium eos dimittere ad alium ordinandos, debet prius examen instituere : nam « non aliter quam probatos et examinatos ad alium Episcopum ordinandos » dimittere debet ex Concilio Tridentino. [1] Licet quoque Episcopo ordines conferenti examen instituere eorum qui jam a suo Præsule probati sunt.

24. *Linguam Latinam callere debent* qui minores Ordines suscipere volunt. Qui ad subdiaconatum et diaconatum promoventur, examen subire debent de litteris, et de iis quæ ad ordinum exercitium pertinent. Examen eorum qui sacerdotium ambiunt, debet respicere quæ docendi sunt fideles, scilicet quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et quæ pertinent ad sacramentorum administrationem. Præcipua ethices christianæ principia,et quæ magis necessaria sunt scitu, omnes callere debent, etiam qui ad munus confessiones audiendi non destinantur, sed ii præsertim qui sacris missionibus vacaturi sunt. Mitiorem nullam decreti Tridentini dari posse interpretationem censuit Benedictus XIV. quam si Theologiæ Moralis scientia ab iis exigatur. A gravi culpa non excusat S. Alphonsus sacerdotem, qui non habet aliqualem scientiam circa materias magis obvias, quæ pertinent ad sacramentum Pœnitentiæ. [2] Consonat S. Thomas : « Ad quod homo ordinatus officium exequatur, oportet quod habeat tantum de scientia, quod sufficit ad hoc quod dirigatur in actu illius Ordinis, ideo talis scientia requiritur in eo, qui ad ordines promoveri debet. » [3] Qui ordinandi sunt, quin statim vacent missionibus, haud indigent ea scientia qua alii quibus cura animarum committitur.

25. *Qui litteras ignorant*, adeo ut nequeant omnino perficere quæ ordinis sui sunt, irregulares habendi sunt : nam illiteratus arcetur a suscipiendis Ordinibus eo pacto quo corpore vitiatus. [4]

26. *In Regularibus non eadem exigitur scientia* ac in sæcularibus, quia magis addicuntur pietatis exercitiis, et nonnisi ex Superiorum judicio ad aliorum salutem assumuntur, postquam in scientia profecerint. Cæterum qui ordinantur eo fine ut curam animarum statim suscipiant, debent scientia congrua instrui. Episcopus potest eorum Superioris testimonio fidere, eosque absque examine ordinare : sed et licet eos examini subjicere. [5]

27. *Nulla certa ætas præscribitur* qua tonsura et minores Ordines suscipiantur : quapropter in regionibus Catholicis dantur nonnumquam pueris, qui haud ita pridem ex infantia excesserunt. Subdiaconatus non datur nisi iis qui vigesimum secundum, Diaconatus iis qui vigesimum tertium, Presbyteratus iis qui vigesimum quintum annum attigerunt : [6] sed ipso initio anni potest dari. Triginta anni completi jure communi requiruntur ad Episcopi munus. [7] Qui absque ætate legitima scienter ordinatur, incurrit suspensionem perpetuam Papæ reservatam. [8]

28. *Ut liceat suscipere Ordines*, debet quis censuris, irregularitate et labe gravi esse immunis, et iis ornari virtutibus quæ spem faciunt muneris

(1) Sess. xxiii. c. iii. *de Ref.*
(2) L. vi. n. 791.
(3) In iv. dist. xxiv. qu. i. art. iii. qu. ii.
(4) Cap. Illiteratus, dist. xxxvi.
(5) Ex Bulla Benedicti XIV. *Impositi nobis.*
(6) Conc. Trid. cap. xii.
(7) Cap. vii. *de elect.*
(8) Extrav. Pii II. « *Cum ex sacrorum.* »

utiliter exercendi. Qui in statu peccati recipiunt Ordines majores, novo peccato se adstringunt: qui minores suscipiunt, pro animi persuasione judicandi sunt: si enim eos habeant veluti munera ecclesiastica, non videntur peccare mortaliter: secus, si ea credant esse Sacramenta.

29. *Regulares ordinantur titulo paupertatis*, scilicet quod, voto paupertatis emisso, fit spes certa sustentationis ex communitatis bonis. Mensæ communes titulo ordinantur sacerdotes Congregationis Missionis, aliique nonnulli ex privilegio pontificio. *Sæculares indigent titulo*, seu certo quodam subsidio e re fructuoso, vel censu perpetuo quo sustententur, ne cum ordinis sacri dedecore mendicare cogantur. Statuit quippe Synodus Tridentina « ne quis deinceps clericus sæcularis . . . ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. » . . . « Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum. » [1] Primum patrimonii tituli exemplum refert Fleurius, anno 823, comite Cadurcensi fundum Lemovicensem tribuente filio Rodulpho in sustentationem; qui Archiepiscopus Burgensis deinceps factus est. Episcopi est lege diœcesana definire quantum sufficiat ad sustentationem. Modica pensio plerumque requiritur, ut mendicitatis periculum procul sit. Præter *beneficii*, et *patrimonii*, seu bonorum suorum, quæ instrumento certo designantur, titulos, invectus est recentius *missionis* titulus, quo ordinantur speciali venia Sedis Apostolicæ, qui se sacris missionibus vacaturos jurati affirmant: [2] nec enim alias licet eos ordinare, quum non teneantur vi obedientiæ promissionis ad missiones amplectendas, ideoque subsidio vitæ, quod inde derivandum foret, carere facile possent. Qui fingunt titulum ut ordinentur, ecclesiasticas pœnas contrahunt. [3] Episcopo qui sacerdotem absque titulo ordinat, in pœnam injungitur, ut ei necessaria ad sustentationem suppeditet. [4] Concilium autem Baltimorense Missionarios, etiam ægrotantes, a fidelibus quibus inservierunt sustentandos decrevit. [5]

§. V. De ordinationis adjunctis.

30. *Dum ordinatio fit*, ipse Episcopus qui ordinat Missam celebrare debet, quamvis valeat ordinatio, etiamsi presbyter Missam celebret, dummodo Episcopus totum ritum essentialem ordinationis ipse peragat: illicita quippe, quamvis valida, ejusmodi ordinatio foret. [6] Sed minores Ordines dari possunt, quin Missa celebretur.

31. *Prima tonsura non est danda nisi* confirmatis, et fidei rudimenta edoctis, quos verosimile est, « ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. » [7] Qui tonsuram recipit absque animo mancipandi se divino cultui, videtur peccare venialiter, quum externæ professioni mens non respondeat. Cæterum nulla lege tenetur ad Ordines suscipiendos: nec videtur peccare, si, re melius perpensa, deinceps recedat, et uxorem ducat: liber enim manet donec sacrum ordinem susceperit. Equidem qui divinæ vocationis conscius, ad sæculi amorem revertitur, magno se

(1) Conc. Trid. Sess. xxi. cap. ii. *de Ref.*
(2) Conc. Balt. iii. decr. i.
(3) Const. Urbani VIII. *Secretis.*
(4) Cap. iv. et xvi. *de præbend.*
(5) Conc. Balt. iii. decr. ii.
(6) S. C. Gen. habita an. 1715, coram Clemente XI. et Cong. 5 Febr. 1722.
(7) Conc. Trid. Sess. xxiii. cap. iv.

discrimini objicit; quamvis non statim sit peccati mortalis damnandus ob propositum derelictum. Apud nos nemo potest tonsuram appetere sæcularis judicii fugiendi fraude, quum nulla sint clericorum in foro civili privilegia: sed posset quis eam recipere animo in seminario manendi, ut studia coleret, deinceps ad sæculum reversurus; quod fraudem et injustitiam gravem secum ferret

32. « *Minores Ordines iis qui* saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur . . . Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat. . . . Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. » . . . « Ad Presbyteratus ordinem assumuntur . . . qui . . in diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem, aliud Episcopo videretur, ministraverint. » [1] Hæc de Ordinum interstitiis statuit Concilium Tridentinum, judicio Episcoporum ea permittens. Minores Ordines dantur iis qui bonum testimonium a parocho et magistro scholæ in qua educantur, habent.

33. *Eorum qui ad sacros ordines sunt assumendi* nomina sunt in Ecclesia recitanda, quod solet fieri ter diebus dominicis, vel festis, ante ordinationem, ut de eorum natalibus, ætate, moribus, et vita constet. [2] Mos hic apud nos non obtinet.

34. *Ordines majores nonnisi quatuor anni temporibus*, et Sabbato *ad Sitientes*, et Sabbato sancto conferendi sunt: nam quinto sæculo exeunte Gelasius statuit ordinationes quatuor anni temporibus et mediana Quadragesimæ die faciendas. Ordines minores qualibet die Dominica, et festo Duplici, de præcepto tamen. [3] Sed Episcopis Fœderatarum Provinciarum indulgetur, ut Ordines conferant extra tempora: quapropter videtur licere eos conferre quolibet die, pro æquo Episcopi arbitrio. Alibi restringitur ad dies festivos, quibus intelliguntur festa de præcepto, vel quæ olim ita celebrabantur. Episcopatus nonnisi in festis Apostolorum, vel die Dominica, conferendus est.

35. *Si Episcopus Ordines collaturus protestetur se non habere intentionem* ordinandi irregulares, excommunicatos, vel alio pacto indignos, ex ejus intentione repetendum esse utrum vere sint ordinati, docet Benedictus XIV. [4] et S. Congregatio sæpius ita determinasse dicitur; sed hujusmodi protestatio, et intentionis determinatio omnino reprobandæ sunt: nam dubios faciunt Ordines, vel invalidos, cum magno fidelium detrimento. Si ordinandus apud se statuat se nolle ordines suscipere, nisi a Deo vere vocatus sit, perperam hanc sibi dubitandi occasionem accersit, sed nihili facienda est, quum reapse suscipiat munus illi collatum.

36. *Qui duos sacros Ordines eodem die suscipit*, incurrit suspensionem ab eorum exercitio et fit irregularis. [5] Qui in sabbato unum sacrum Ordinem susciperet, et in Dominica, continuato jejunio ecclesiastico, alterum, fictione juris eos eodem die suscipit, et in-

(1) Sess. xxiii. c. xi. et seq.
(2) Conc. Trid. Sess. xxiii. cap. v. *de Ref.*
(3) S. Alph. l. vi. n. 794.
(4) De Sacr. Miss. Sect. ii. §. 70.
(5) C. Innotuit, *de eo qui furtive*, et C. Litteras, ac C. Dilectus *de temp. ord.*

currit irregularitatem. [1] Id vero non intelligendum, quando habetur facultas eos, interstitiis haud servatis, suscipiendi. Quando, absque hac dispensatione, ordines sacros quis suscipit continuatis diebus extra tempora, incurrit suspensionem; non vero si temporibus statutis ordinetur, licet interstitia non servet : sed peccat graviter. « Qui eadem die susciperet quatuor Ordines minores una cum subdiaconatu, etiam peccaret graviter, ut habetur ex c. II. *de eo qui furtive* : ubi dicitur : « Quatuor minores ordines contulisti, quibus non contentus subdiaconatum etiam temerario ausu recepit. » « Mandamus quatenus eum in minoribus duntaxat celebrare permittas. » [2] Sed si alicubi esset consuetudo subdiaconatum eodem die quo Ordines minores, conferendi, eam sustineri posse censet S. Alphonsus. Suspensio non incurritur a subdiacono sic ordinato, sed absque dispensatione nequit ad Ordines alios promoveri.

37. *De cœlibatu a sacris ministris servando alibi egimus.* Conjugio ligatus nequit hanc obligationem assumere, sine licentia uxoris, quæ etiam ad primam tonsuram requiritur. [3] Irregularis fit qui absque ea, vel divortio legitimo, ordinatur, etiamsi matrimonium non fuerit consummatum. Uxor debet castitatem vovere, ut liceat marito Ordines sacros suscipere : [4] sed non videtur teneri ad religionem profitendam, nisi vir ad Episcopatum assumatur, [5] vel ipse religionem ingrediatur. Uxori seni indulgetur ut maneat in sæculo, castitatem tamen promittenti. [6] Post viri mortem vetatur mulieri nubere ; et si quod ab ipsa attentatum fuerit matrimonium, irritum habetur. [7]

(1) Litteras sup. cit.

(2) Apud S. Alph. l. vi. n. 797.

(3) C. ult. *de temp. ord.* in 6. et in Extrav. Antiquas, *de voto.*

(4) C. Conjugatus *de convers. conjug.*

(5) C. Sane. 6. *de conv. conjug.*

(6) C. Cum sis. 4. eod. tit.

(7) Sanchez *de mat.* l. vii. disp. 40. Bened. XIV. *de Syn.* l. xiii. c. xii. n. xvi.

TRACTATUS XXI.

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

—

§. I. QUÆ SINT SPONSALIA.

1. « *Sponsalia sunt* mentio et repromissio nuptiarum futurarum. »[1] Ut valeant, *verus consensus* requiritur, scilicet animus se obligandi per verba, vel alia signa externa, indicatus et acceptatus. Qui nullum animi serium propositum præseferentes, dicunt se inituros matrimonium, plane non contrahunt sponsalia, quia verus consensus omnino deest. Si alteruter fingat se consentire, altero vere consentiente, nulla sunt sponsalia; injuria autem, si qua inde orta sit, reparanda est. « Tenetur quidem, » inquit S. Alphonsus, « postea ratione deceptionis damna resarcire : sed non tenetur ratione promissionis verum consensum ponere, et matrimonium contrahere. Secus vero dicendum si intervenerit defloratio, quia tunc deflorans omnino tenetur ad matrimonium, cum non possit tunc alia via sat æquivalenter damnum resarcire. »[2] Quoties ex adjunctis fictio facile conjicitur et detegitur, vis nulla sponsalibus inest, licet altera reapse non suspicetur fraudem. Qui igitur opibus abundans, et genere, vel munere insignis, ancillæ promittit se eam ducturum, si ipsi morem gerat, non censetur sponsalia contrahere; nam fictio se prodit, adeo ut ipsa sibi imputare debeat errorem.

2. *Sponsalia exigunt* eam animi deliberationem quæ ad gravem contrahendam obligationem requiritur : nec enim leviter, et re haud perpensa, tantum assumendum est onus. Hinc qui inter ludendum interrogati promittunt se matrimonium inituros, non censentur sponsalia contrahere, licet ex animo promittant, sed re parum perpensa : attamen necesse non est ut per magnum temporis spatium deliberatio fiat, vel ut oneris assumendi gravitas judicio maturo et æquo libretur.

3. *Verbis plerumque fiunt sponsalia;* sed et nutibus valent. Quando dubitatur utrum verba vel signa vim sponsalium habeant, communis loquendi et agendi ratio spectanda est, sed et pollicentium animus : quod si dubitatio

(1) Leg. i. §. *de sponsal.*

(2) L. vi. n. 833.

tolli nequeat, videtur favendum libertati : onus enim contrahendi matrimonii haud temere imponendum est.

4. *Mutua promissio requiritur:* sponsalia enim pactum duorum est de futuro matrimonio. Si vir promittat se ducturum puellam, dummodo ipsa det sui corporis usum, conditione impleta absque mutua promissione, sponsalia non sunt, sed mera promissio, quæ tamen gravem obligationem plerumque inducit. Si promittat etiam juratus, ipsaque renuat promissione se adstringere, ipse solutus promissione habetur : nec enim promissio, nisi acceptata, obligat.

5. *Uterque debet esse idoneus matrimonio*, adeo ut nihil impediat illud suo tempore contrahi : nam promissio de re impossibili, vel illicita, vim non habet. Hinc promissiones etiam juratæ sponsalium instar habendæ non sunt, si alteruter sit jam ligatus matrimonii vinculo, vel si sit impotens, vel si canones obstent. Qui votum emisit simplex ingrediendi religionem, vel suscipiendi ordines sacros, nequit sponsalia contrahere : si igitur alteri illuserit, debet, quatenus possit, satisfacere. Promissiones inter sanguine junctos, vel alias lege impeditos, non sunt sponsalia : quod si apponatur conditio dispensationis impetrandæ, quæ facile detur, pluribus videntur eam habere vim : sed verius ea carent, quum lex adhuc obstet : obligant tamen ad quærendam dispensationem, qua impetrata, vim statim obtinent. Ab iis igitur non est temere recedendum, præsertim cum damno alterius. Promissiones factæ hæreticis de nuptiis cum iis ineundis non sunt sponsalia, quum sint de re illicita, et cum perversionis suæ et prolis periculo conjuncta. [1]

6. *Ut liceant sponsalia*, debent inter eos fieri inter quos nuptiæ conciliari queunt absque gravi familiarum discordia et incommodo : nemini enim licet se obligare ad id quod in plurimorum vergat damnum. In hac quidem regione, ubi nulla agnoscitur prosapia nobilis, omnes censentur eodem gradu : quamvis revera plurimum inter se distinguantur vel genere, vel divitiis, vel munere publico. Conditionum diversitate neglecta, plerumque licebit sponsalia implere; nam parentum et propinquorum objectiones ex vitæ conditione desumptæ non debent facile vim obtinere contra jus certum ex sponsalibus ortum : attamen nonnumquam rescindenda erunt. Quod si extorserit quis copulam a puella honesta, sponsalibus cum ea initis, tenetur eam ducere, licet aliquatenus sit inferior, dummodo non sit humillimæ conditionis, quæ familiæ afferret dedecus : « Casu quo sponsus vi promissionis copulam extorserit a virgine, vel a femina honesta, tunc omnino tenetur eam ducere : quia proditio virginitatis, aut bonæ famæ, est res pretio inæstimabilis, quæ prævalet, aut saltem æquivalet excessui disparitatis sponsi. » [2]

7. *Utrum alteruter occultos defectus alteri detegere teneatur*, dum ineuntur sponsalia, vel ante nuptias, quæritur. Constat defectus qui perniciem afferunt esse manifestandos, vel a nuptiis abstinendum esse : nam nemini licet cum altero inscio contrahere in ejus detrimentum. Hinc qui morbo venereo, vel alio contagioso, vel lepra laborat, nequit sponsalia contrahere, nisi in animo habeat nuptias haud inire antequam eo liberetur, vel altero monito, et consentiente. Si defectus minus noceant, non tenetur quis ad eos manifestandos ; nec enim sic fert consuetudo, et nimis grave foret eos detegere,

(1) Sanchez *de Mat.* l. vii. disp. lxxi. 4.

(2) S. Alph. l. vi. n. 851.

præsertim cum sui probro et infamia. Qui epilepsim patitur, vix tenetur eam declarare ante nuptias. Quæ puella vitiata est, non tenetur suum fateri delictum. Quod si interrogata illud neget, plures eam habent excusatam, eo quod responsum intelligendum sit de delicto quod fateri teneatur. Nequit tamen nubere quæ jam ab alio est gravida, quia injuria fieret alienam prolem nutrituro. Quæ filium alteri jam peperit, non tenetur illud fateri : sed nec debet temere se discordiæ, jurgiisque domesticis objicere, si verosimile sit illud alio pacto notum fore. Cæterum adeo grave est suam manifestare infamiam, vel perpetuo abstinere a nuptiis, ut plures excusent puellam nubentem, etsi timeat quod olim ei contigerat deinceps marito notum futurum.[1]

8. *Error circa personam*, *vel qualitatem quæ in personam redundet*, vim sponsalibus tollit, sicut et matrimonio : oportet enim ut duo consentiant ad se invicem excipiendos, quocum agatur perspectum habentes. Quod si alter alterum deceperit in iis quæ dotes quasdam et commoda respiciunt, non ideo tollitur vis contractui, quamvis jus habeat deceptus postulando ut rescindatur : injuria quippe ei facta est. In foro conscientiæ a pluribus habetur liber ab omni sponsalium vinculo, etiam absque judicis ecclesiastici sententia, quando error suus fuit invincibilis, et alter dolum adhibuit : vel si tertius quidam, altero etiam ignorante, eum in errorem traduxerit.

9. *Metus levis* non obstat sponsalium valori; sed cui injuria incussus est, jus habet ut rescindantur, « quia cum metus dederit causam contractui, ita ut alias initus non fuisset, incutiens metum tenetur contractum rescindere. »[2] Metus gravis injuste incussus sponsalia facit irrita ; nam libertas eadem exigitur in sponsione ac in executione, et matrimonium ex metu hujusmodi nullum est. Qui, propinquis puellæ vim mortemque minantibus, sponsalia cum ea facit, non iis tenetur, quum mortis minæ injustæ sint, etiamsi eam corruperit consentientem : secus si minati sint eum coram tribunali traducere plectendum, est enim metus juste incussus.

10. *Jure canonico septennii ætas* ad valorem sponsalium requiritur :[3] quod consonat juri civili.[4] Ea ætate aliquando fiunt eorum nomine a parentibus, quorum voluntas filiorum habetur, donec ad pubertatem pervenientes contradixerint. « Ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus, plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. »[5] Si contraxerint parentes, filiis insciis et ignaris, non valent sponsalia, nisi hi rata ea habeant vel tacite, vel expresse. « Filio familias dissentiente, sponsalia nomine ejus fieri non possunt. »[6] Sic et licet puberi rescindere sponsalia suo nomine et consensu facta ante pubertatem.[7] Frater vel soror nequit suo consensu ligare sororem, vel fratrem adstantem : nam jus id speciale de parentibus statuit.

11. *Qui puberes facti sunt*, suo veluti jure sponsalia contrahunt : attamen obsequium parentibus debitum exigit ut eorum voluntas et consensus exquiratur. Constat quidem ex Scripturis

(1) S. Alph. l. vi. n. 863.
(2) Ibidem, n. 844.
(3) C. iv. et v. *de despons. impub.*
(4) L. xiv. D. *de sponsalibus.*
(5) Cap. un. §. i. fin. *de desp. impub.*
(6) Leg. 13. §. *de sponsalibus.*
(7) C. viii. *de desp. imp.*

eos in matrimoniis conciliandis præcipuas semper egisse partes : quod et commendant plurimæ utilitates : sed et lex civilis, qua regimur, vetat ne nuptiæ ineantur a minoribus ætate, absque parentum venia. Salva tamen parentibus reverentia, filiorum libertas tum in eligendo matrimonio, vel cœlibatu, pro lubito, tum in conjuge seligenda, vindicanda est : « Pater, » inquit S. Thomas, « non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, sed potest eum inducere ex rationabili causa ; et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris ; at si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate, et præceptum similiter cogat ; alias non. » [1] Plerumque fiunt sponsalia parentibus insciis, quorum jura graviter infringi, pro moribus nostris, vix dici possunt, ideoque a gravi peccato, quamvis haud ab omni culpa, excusantur spondentes, si nihil aliunde occurrat reprehendendum.

12. *Sponsalia ineuntur aliquando inter absentes*, per litteras, vel per procuratorem : nam « constat et absenti absentem desponderi posse. » [2] Si sponsalibus conditio apposita fuerit, ante eam impletam impedimentum non pariunt : [3] sed expectandus est rei eventus. Quæ spopondit se nupturam viro, si intra biennium advenerit, debet totum illud temporis spatium expectare ejus adventum : sed si interim fratri ejus nupserit, valet matrimonium. Si mittantur dona mutua, præcipue annulus, et acceptetur, videntur fieri sponsalia : sed utriusque animus clare significari debet.

13. *Sponsalia aliquando fiunt publice* coram parocho et testibus ; sed nulla hujusmodi solemnitas exigitur ut valeant : nam « sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia : [4] » et nihil innovavit hac in re Concilium Tridentinum. Cæterum quæ leviter et temere fiunt promissiones, non sunt sponsalium instar habendæ ; sed de seria voluntate se utrinque obligandi constare debet, ut iis tanta inesse vis agnoscatur.

14. *Ex sponsalibus oritur gravis obligatio* contrahendi suo tempore matrimonii : quapropter « hi qui de matrimonio contrahendo pure et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. » Ita docet Innocentius III. [5] Peccant igitur qui temere resiliunt : fidem enim fallunt in re gravissima, quæ et famæ discrimen alteri plerumque affert. Penes Episcopum est censuris cogere sponsos ad fidem servandam ; et si tempus ab ipsis definitum non fuerit, illud statuere, intra quod nuptiæ celebrentur : quod si renuat alteruter constanter, raro expedit rem urgere. « Cum libera debeant esse matrimonia, » inquit Lucius III. de muliere renuente implere promissionem, « monenda est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. » [6]

15. *Oritur etiam ex sponsalibus impedimentum* dictum publicæ honestatis, quo fit ut non possit iniri matrimonium cum consanguinea in primo gradu : sed de eo erit deinceps locus dicendi.

16. *Ex sponsalibus jus quoddam inchoatum habetur* ad usum corporis sponsi : quod quidem nequit ullatenus exerceri, quum id non liceat nisi matrimonio conjunctis. Negari vix potest tantam necessitudinem cohonestare

(1) In iv. dist. xxix. qu. i. art. iv.
(2) Leg. iv. *de sponsal.*
(3) C. unic. *de sponsal.* in 6.
(4) Leg. iv. *de sponsal.*
(5) Cap. ii. *de sponsal.*
(6) Cap. xvii. *de sponsal.*

quæ amoris indicia, pro more patriæ, dantur, oscula scilicet et amplexus leviores, dummodo absit libido, et pollutionis periculum, quod vix abesse, nisi hæc raptim fiant et leviter, fatemur. Equidem in re adeo lubrica facile quis labitur, ideoque verba S. Alphonsi, qui vix quid hujusmodi permittit, lectorum oculis subjicienda duximus. Quum Sanchesii [1] aliorumque retulisset sententiam, excusantium a mortali oscula et tactus pudicos inter sponsos, vel etiam a veniali, si adsit justa causa : v. g. ostendendi amorem, captandi benevolentiam, effugiendi inurbanitatem, vel servandi morem patriæ; » subjunxit : « Secunda sententia longe probabilior et omnino sequenda . . . docet tales actus prohibitos esse sponsis eodem modo quo vetantur omnino solutis. Ratio, quia sponsus ratione sponsalium nullum acquirit jus ad corpus sponsæ; et si forte aliquale jus acquirit per sponsalia, quia tamen non adhuc est perfecte dominus rei, non potest re illa uti, ne imperfecte quidem; sicut ille cui promissa est venditio vineæ, nequit illa uti, ne imperfecte quidem, donec vinea de facto ei vendatur et tradatur. Præterea, cum sponsis non liceat copula, nec licent tales actus, qui tantum ad copulam sunt ordinati. Concedunt tamen Croix et Viva, cum aliis auctoribus ab ipsis adductis, quod oscula et amplexus juxta morem patriæ aliquando sponsis permitti possunt; sed non aliter quam solutis permittuntur. Et hoc est probabile, modo tales actus non sint pressi et per aliquod tempus protracti, ut bene advertit Roncaglia, qui etiam eos admittit ad benevolentiæ demonstrationem : sed ego non admitterem nisi ubi vigeret talis usus. » [2] Si habeatur copula affectu maritali a sponsis, matrimonii vim habet, ubi non obstat lex Tridentina de clandestinitate. [3]

§. II. De sponsalium solutione.

17. Solvuntur sponsalia *mutuo consensu*, [4] quamvis fides jam præstita temere revocanda non sit. Impuberes nequeunt ante pubertatem ea scindere : [5] potest tamen alteruter pubes jam factus, etiam altero invito, consensum retrahere, quum ob ætatem teneram parum firma sint : dummodo copula non intervenerit. [6] Licet fuerint juramento firmata, solvi possunt : quia sequitur naturam contractus cui adnectitur.

18. *Matrimonio post inito* cum alia sponsalia solvuntur; [7] quamvis enim fide violanda peccet sponsus, matrimonii vis non tollitur, resque data alteri non potest retrahi ob promissionem alteri prius factam : sicut si merx tradatur emptori, valet contractus, licet alteri prius fuerit promissa. Hinc sponsalia de futuro, etiam jurata, amittunt vim, matrimonio contracto : sed sponsalia posteriora de futuro matrimonio, omni carent vi, præcedentibus aliis sponsalibus : nam illicita est promissio rei alteri jam promissæ. Hinc Innocentius III. respondit Episcopo cuidam : « Si forte per verba de futuro sponsalia cum utraque contraxit, juramentum primum, sicut licite factum est, ipsum servare compellas : de secundo ei pœnitentiam injuncturus. » [8] Quod si copula cum secunda conscia prioris vinculi intervenerit, adhuc manet vis priorum

(1) L. i. de *spons.* Disp. ii. §. ii.
(2) L. vi. n. 854.
(3) Vide Scavinium, Theol. Mor. vol. 4. tr. 12. p. 405. cit. Habert et Busembaum.
(4) Cap. ii. *de sponsal.*
(5) Cap. vii. *de despons. impuberum.*
(6) Cap. viii. ibid.
(7) C. xxxi. de *sponsalibus.* (8) C. xxii. ibid.

sponsalium; si hæc illud ignoraverit, plures ei favent: sed communius et probabilius theologi dicunt adhuc cum priori contrahendum necessario. Plerumque volenti secundam, cum qua rem habuit, ducere, vix obex objiciendus est, quum alio pacto injuria haud reparetur, et sponsa prior censeri possit jus suum remittere, nisi et ipsa fama periclitetur. Præterea de vi sponsalium priorum poterit dubitari, quum iis parum tribuat qui ea fecit. Quod si de iis constet, et ipsa suum jus nolit remittere, poterit eum maritum sibi vindicare.

19. *Soluto matrimonio* conjugis morte, sponsalium priorum vis non reviviscit, juxta plerosque: « in perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest; »[1] sed contra sentit S. Alphonsus.[2] Hinc qui, neglectis quæ fecit sponsalibus, uxorem duxit, ea mortua, tenetur, juxta eum, implere sponsalia, si puella adhuc innupta maneat: nam suspensa, haud extincta, ea censet, quod alii negant.

20. *Superveniente impedimento dirimente* matrimonium, solvuntur sponsalia: nec enim amplius impleri possunt. Sic qui sponsæ sororem vitiat, nequit alterutram ducere: nam obstat impedimentum in primo gradu ex copula illicita, ne sponsalia impleat:[3] obstant sponsalia ne vitiatam ducat. Tenetur tamen reus dispensationem quærere, ad reparandum jus alterius læsum, nisi ipsa eum liberum faciat. Qui posuit impedimentum, non potest commodum ex sua iniquitate reportare, ideoque non fit liber a sponsalium obligatione: sed innocenti statim licet resilire, quando de impedimento culpa alterius inducto constat, etiam fama communi, quæ fide sit digna.

21. *Discessus sponsi in terram longinquam*, altera inconsulta, est justa causa solvendi sponsalia:[4] nam cedere censetur juri suo qui ita discedit. Si in terram propinquam profectus sit, animo redeundi, non solvuntur: sed monendus est, et certum præfigendum tempus, intra quod redeat; sponsalibus alioquin solvendis in alterius utilitatem.

22. *Mora diuturna* implendi sponsalia est justa causa alteri ea solvendi: nam æquum non est, ut alter habeatur ligatus, dum alter sua culpa ea implere differt. Hinc qui levi ex causa nimium moratur contrahere, suo cadit jure, quamvis ipse non possit, altero invito, resilire. Sic sponsæ licet nuptias cum alio inire, si sponsus in tempus longinquum differat matrimonium:[5] nam « in omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur. »[6] Non ita si dilatio, etiam diuturna, contingat necessaria ex causa:[7] quamvis, si ponatur terminus ad finiendam obligationem, eo elapso, desinat.

23. *Fornicatio sponsæ* est causa legitima sponsalia solvendi, licet fuerint juramento firmata, « quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit. »[8] Ipsa fornicatio injustitiæ speciem induere nonnemini visa est: sed id non probatur: nam jus sponsi non est perfectum ante nuptias. Præcedens fornicatio quæ jam innotuerat sponso, nequit esse ratio cur solvantur sponsalia,[9] nisi forsan deinceps fama divulgata fuerit: secus si post ea inita innotuerit:[10]

(1) Leg. xcviii. *de solutionibus.*
(2) L. vi. n. 875.
(3) C. ii. de eo qui cognovit.
(4) Cap. v. *de sponsalibus.*
(5) L. v. c. *de sponsalibus.*
(6) L. In omnibus ff. *de Reg. Jur.*
(7) L. xvii. D. *de spons.*
(8) Cap. xxv. *de jurejurando.*
(9) Ibidem.
(10) L. v. c. *de sponsalibus.*

non enim censetur spondere nisi ejus virtute integra confisus. Licet etiam sponso resilire, si sponsa ita se gerat ut dubiam faciat fidem de ejus virtute, se ab aliis impudice tangi sinens, vel alias minus caute agendo. Utrum autem liceat sponsæ resilire ob sponsi fornicationem inquiritur. Communiter dicunt non licere ob fornicationem quæ præcessit, nisi prolem ex alia habuerit, vel nisi noscatur huic vitio deditus, ita ut cum pluribus consueverit. Quod si post sponsalia fornicetur, plerique dicunt non licere resilire, quum sponsi fornicatio ex communi hominum æstimatione non inferat dedecus sponsæ. Cæterum si cum meretricibus versatus morbum inde contraxerit, erit utique causa resiliendi. Si uterque fornicetur, sponso licet resilire, non item sponsæ, quia turpior est hujus quam illius fornicatio, et non datur idcirco injuriæ compensatio. Si comperiat sponsa sponsum esse in aliam proclivem, et cum ea consuescere, erit causa rescindendi sponsalia; nec enim fidem sibi servandam potest sperare.

24. *Professio alterutrius in religione approbata* solvit sponsalia; nam quum liceat ingredi religionem etiam post matrimonium contractum, non consummatum, sponsalibus intelligitur conditio inesse, *nisi ingressus fuero religionem*. Licet idcirco perfectionis studio hunc amplecti statum: sed qui ingreditur religionem, non liberatur promissione nubendi, nisi votis emissis; ideoque si iterum egrediatur, tenebitur ad sponsalia implenda, si alter ita velit. Ipso ingressu alterius in religionem, qui manet in sæculo liber est, nec expectare donec tyrocinium fiat, tenetur; alter enim suo juri renuntiasse censendus est.

25. *Ordinis sacri susceptione* solvuntur sponsalia, quippe quæ jam nequeunt impleri. Utrum autem liceat hunc ponere obicem disceptatur: sed quoties nulla sponsæ injuria illata est, nullumque famæ detrimentum imminet, videtur licere divino se mancipare cultui, quum hæc conditio promissioni haud repugnet. E contra, si damnum sponsæ injuste illatum sit, quod nonnisi nuptiis initis queat reparari, non licet ordines sacros suscipere, fide sponsalium neglecta. Voto Ordines suscipiendi, vel servandi castitatem solvi sponsalia, quoad voventem, tenent plures, si fuerit bona fide emissum: sed cavendum ne fiat cum alterius injuria. Si eam deinceps cognoverit, debet omnino matrimonium inire, ad reparandam injuriam, dispensatione a voto prius impetrata.

26. *Quælibet notabilis mutatio* potest esse causa justa sponsalia rescindendi, scilicet quoties prudenter judicatur consensum ad eam rerum conditionem non extendi. De sponsalibus etiam juratis decisum est ab Innocentio III.: « Si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret, nunquid vir teneretur eam ducere in uxorem? » [1] Idem dicendum videtur de paupertate, infamia, familiarum inimicitiis, sponsæ etiam invitæ ab alio violatione, lapsu sponsi in hæresim, morum corruptione, vel alia gravissima rerum mutatione. Quæ spopondit se nupturam homini sobrietatis et aliarum virtutum laude insigni, non tenetur ad implendam promissionem, ipso jam potui nimio et vitiis aliis indulgente. Quæ latebant vitia, si detegantur, vel dotum, quæ falso jactabantur, absentia, causam resiliendi præbent. Si sponsa reperiatur fuisse jam vitiata,

(1) Cap. xxv. *de jurejurando.*

nequit ut sponsalia impleantur urgere : si sponsus fraudes patrasse detegatur, non potest sponsam sibi vindicare. Si divitem nobilemve se falso jactaverit, nullum jus ex sponsalibus, quæ mendaciis ejus nitebantur, poterit comparare. Quod si alterutrius mutatio contingat, divitiis vel honoribus subito acquisitis, esse poterit causa cur sponsalia rescindantur, quando scilicet videri posset ad gradum altiorem evectus. Familiarum etiam dissidia post sponsalia orta poterunt præbere occasionem ea rescindendi.

27. *Plerumque Præsulis auctoritas imploranda est*, quando de sponsalibus publice initis solvendis agitur, ne offensio fidelibus nascatur : imo et implorari poterit a parentibus ad impediendas nuptias ex quibus grave dedecus familiæ oriturum sit. Apud nos sponsalia nunquam contrahuntur ritu aliquo solemni, sed solo consensu spondentium, parentibus nonnumquam testibus. Hæc ut solvantur, solo partium consensu, vel causa gravi opus est ; quamvis expediat sacerdotis judicium expetere, si Præsulem adeundi non sit copia. In sacro tribunali res plerumque judicatur.

CAPUT II.

DE NATURA MATRIMONII.

—

§. I. DE CONSENSU.

28. *Matrimonium*, *tamquam contractus*, est duorum pactum quo sibi invicem tradunt perpetuo potestatem in sua corpora in generationis actum : vinculum seu status matrimonii est « maris et fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens. »[1] Puberes seu pubertati proximi in quibus malitia supplet ætatem, contrahentes sint necesse est. [2] Sacramentum matrimonii est ipse contractus inter baptizatos initus. Signum est conjunctionis Christi cum Ecclesia, gratiamque, qua anima Deo conjungitur, auget, specialiaque impertitur auxilia, quibus sancte se gerant conjuges. *Legitimum* dicitur matrimonium, quandocumque lex Dei, vel Ecclesiæ, non obstat contractus valori : sic qui baptismum non susceperunt, quales sunt ex *Amicorum* seu *Quakerorum* secta, legitimum inter se fœdus conjugii ineunt. *Ratum* matrimonium est inter baptizatos, nullo obice objecto, quale Catholicorum, vel etiam hæreticorum, nullo impedimento laborantium, dicitur, antequam conjuges coierint. *Consummatum* dicitur post copulam perfectam. Ipsos contrahentes esse Sacramenti hujus ministros alias docuimus, [3] juxta sententiam communem quam S. Alphonsus probat,[4] quamque adoptare visus est Pius IX. in litteris ad regem Taurinensem. Docuit pariter in allocutione 27 Sept. 1852. « inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum » Sacerdotis ministerium ad solemnitatem pertinet : *forma* vero sunt verba, vel nutus, vel alia consensus indicia. *Materia* remota ipsa sunt corpora, quæ in usum conjugii traduntur. Proxima est traditio juris in ea, quæ fit dum consensus exprimitur.

29. *Contrahentes matrimonium debent esse in gratia*, quum sit Sacramentum vivorum, et ideo peccati mortalis rei sunt illud indigne suscipientes :

(1) Cap. xi. *de præsumpt.*
(2) Cap. ii. de desp. impub.
(3) Theol. Dogm. tract. xviii. *De Matrim.* c. iii.
(4) L. vi. n. 880.

quamvis autem a plerisque habeantur ministri Sacramenti, ideoque peccare dicantur indigne ministrando Sacramentum, et indigno, probabiliter excusantur a novo reatu, qui præcipue adstringit ministrum specialiter ad id muneris consecratum. Procurator alieno nomine contrahens, qui peccato inquinatus contractum init, haud novo reatu tenetur : non enim suscipit, vel administrat Sacrmentum ; quod contrahentium est.

30. *Consensus contrahentium imprimis necessarius* est ut sit matrimonium ; qui quidem debet esse verus et internus, mutuus, liber, ex animi deliberatione profectus, et per verba de præsenti enuntiatus. « Matrimonium, » inquit Innocentius III., « in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum. » [1] Hinc si alteruter fingat se consentire, absque consentiendi consilio, non perficitur matrimonium, licet coierint, uti decrevit idem Pontifex de homine qui mulierem deceperat, alieno nomine consensum enuntians, quin animo consentiret : « Si res ita se habet, videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri ; quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit ; et defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale. » [2] Cæterum in foro externo consensus præsumitur quoties matrimonium publice initum est, etsi uterque juret se ficte consensisse : tenetur etiam in conscientia deceptor reparare injuriam vere consentiendo, nisi gravissima excuset eum ratio, v. g. quod deceptio potuerit facile conjici, vel quod mulier moribus sit levioribus, vel conditione vili.

31. Consensus *de præsenti* esse debet ; quapropter Gregorius IX. scripsit : « Si inter virum et mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quod unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, utroque dicente : *Ego te in meam accipio :* et *ego te accipio in meum ;* vel alia verba consensum exprimentia de præsenti, sive sit juramentum interpositum, sive non ; non licet alteri ad alia vota transire. » [3]

32. Debet esse *mutuus* consensus : est enim duorum pactum ; ideoque qui consensum prius enuntiat, non tenetur matrimonii vinculo, nisi mulier consensum etiam præstet. Debet simul dari, adeo ut prudenti judicio uterque eodem tempore consentire censeatur : sed si breve sit temporis intervallum, et alter pergat consentire animo, consensus alterius huic accedere et conjungi videtur : secus si consensus revocatus sit dum alter differret suum enuntiare.

33. *Liber* consensus requiritur : nam contractus, præsertim de individua vitæ societate, propriæ voluntatis electionem et libertatem exigit. Hinc metus gravis injuste incussus ejus valori obstat, [4] uti postea explicabitur fusius.

34. *Debet ex animi deliberatione consensus procedere*, quatenus hæc ad gravem obligationem contrahendam requiritur ; cæterum valet consensus temere datus, dummodo contractus intelligatur, et contrahens libertate utatur. Ebrius autem, qui sui compos non est, nequit necessarium præstare consensum : secus qui aliquatenus vacillat judicio, satis tamen habet per-

(1) Cap. xxv. *de sponsalibus.* (2) Ibidem, c. xxvi.
(3) Cap. xxxi. *de sponsalibus.* et cap. iii. *de sponsa duorum.*
(4) Cap. xxviii. *de sponsalibus.*

spectum quod aggreditur, et sua voluntate consentit. Qui animi æstu fertur quodammodo extra se, vix capax est consentiendi.

35. Externa consensus indicia, sive verbis, sive nutibus, exiguntur, ut Ecclesia matrimonium agnoscat, quod ipso animi consensu constat. [1] Si puella verecundia præpedita non respondeat presbytero interroganti, utrum velit quemdam in maritum habere, manus prensatio, vel capitis inclinatio sufficiet ad consensum exprimendum.

36. *In usum matrimonii tradunt sua corpora* contrahentes : attamen necesse non est ut sibi proponant jure inde acquisito uti, quum dominio sibi invicem tradito, contractus perficiatur. Hinc S. Joseph censetur vere conjux Virginis, quamvis huic propositum fuerit a viri consuetudine abstinere, uti liquet ex ejus dicto : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? » [2]

37. *Procuratoris opera contrahi posse* declaravit Bonifacius VIII., dummodo speciale detur mandatum ; nec enim valeret matrimonium ab alio contractum alterius nomine, qui generale dedisset mandatum uxorem ei quærendi : « procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale : » [3] sed nec valet, si procurator, absque speciali in id auctoritate, alium deputaverit, qui contrahat : vel si mandati leges prætergressus fuerit. [4] Quod si mandatum fuerit revocatum ante contractum, nullum est matrimonium, quum desit consensus. « Sane si procurator, antequam contraxerit, a domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent,) nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit. » [5] Per litteras etiam contrahi valet matrimonium, quum contractus quilibet sic iniri possit : sed non solet hæc ratio contrahendi matrimonium usurpari, quum plurima habeat incommoda, et pericula : sed nec plerumque adhibentur procuratores, nisi inter magnos principes.

38. *Distinguit S. Alphonsus fines matrimonii :* « Fines *intrinseci essentiales* sunt duo : traditio mutua cum obligatione reddendi debitum, et vinculum indissolubile. Fines *intrinseci accidentales* pariter sunt duo, procreatio prolis, et remedium concupiscentiæ. Fines autem *accidentales extrinseci* plurimi esse possunt, ut pax conciliandа, voluptas captanda, etc. » [6] Constat nullum esse posse matrimonium absque mutua illa obligatione, et vinculo : sed haberi potest, licet quis non sibi proponat prolem gignere : senes enim nuptias solent inire. Qui matrimonium contrahit in remedium concupiscentiæ, videtur plerisque venialiter peccare, eo quod finis proprius sit prolis procreatio ; sed aliis videtur ab omni culpa excusatus : Apostolus enim ait : « Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque suum virum. » [7] Ideo autem Patres videntur hunc finem culpæ arguere, quia libidine agi conjuges existimabant : quod si huic repugnantes infirmitatis quærant remedium, non videntur culpandi. Quando quis finem sibi proponit externum et accidentalem, excusari eum S. Alphonsus existimat, si finis per se sit ho-

(1) Cap. xxv. *De sponsalibus.*
(2) Luc. i. 34.
(3) Cap. ult. *de procurat. in* 6.
(4) L. Diligenter D. Mandati.
(5) Cap. ult. *de procur. in* 6.
(6) L. vi. n. 882. (7) 1 Cor. vii. 2.

nestus, v. g. pax familiarum, honoris earum conservatio : secus si finis sit mera voluptas, divitiarum cupiditas, ambitio.

§. II. De conditionibus.

39. *Conditio apposita consensui* eum suspendit, si de re futura contingenti agatur; v. g. *si pater consenserit:* [1] qua conditione non impleta, consensus irritus est. Si vir mulieri nuptias polliceatur, [2] dummodo pecuniam quamdam donet, non tenebitur, ipsa dare renuente : si vero de re præsenti vel præterita, de qua dubitatur, conditio sit, consensum suspendit, donec de rei veritate constet; sic si puella ignoto homini dicat : « Contraho tecum, si sis, uti affirmas, filius viri illius : » matrimonium valet, si reipsa sit qualem se exhibuit : secus non valebit.

40. « *Si conditiones contra substantiam conjugii* inserantur, puta si alter dicat alteri : « Contraho tecum, si generationem prolis evites; » vel « donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem; » aut « si pro quæstu adulterandam te tradas, » matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu : licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant, propter favorem ejus, pro non adjectis haberi. » [3] Ita decrevit Gregorius IX. Cæterum eorum qui coram sacerdote contrahunt, nulla adjecta conditione, voluntas non videtur colligenda ex pactis quæ forsan inter se inierant, nisi ipsi omnino voluerint consensum ita definire. Hinc qui sponsalia fecit, illa apposita conditione de vitanda generatione, si more consueto consensum de præsenti præstet, matrimonium vere contrahere censendus est : multo magis constat de valore consensus simpliciter præstiti, licet contrahentes sibi proposuerint ad tempus vitare generationem. Sed iniqua sunt et scelesta quæcumque hujusmodi pacta. Acatholicorum error quo plerique sentiunt conjugia solvi posse ob adulterium, vel aliam ob causam, status auctoritate, non obstat valori contractus : potior est enim intentio contrahendi, juxta legem naturæ et Christi. [4] Servorum conjugia, si apposita sit conditio, quamdiu te bene gesseris, irrita sunt.

§. III. De parentum consensu.

41. *Parentum consensus necessarius non est* ad valorem matrimonii filiorumfamilias, quamvis expetendus omnino sit. Equidem theologi plures « excusant a culpa gravi filios matrimonium ineuntes invitis parentibus, quia . . . . . . per matrimonium quisque perpetuæ obligatur servituti, maxima secum afferenti onera, quæ nisi ex omnino spontanea voluntate suscipiantur, difficillime perferri poterunt. » [5] Quoties consensum denegant injuste, vel religionis odio, vel arbitrio suo abutentes, filiifamilias excusantur a culpa, sed obnoxios se præbent legibus, quæ patriæ potestati hac in re favent : quod si extra *status*, seu provinciæ, limites se conferant ad nuptias contrahendas, vel alio pacto legum pœnas evadere studeant, veritate illæsa, non videntur culpandi : secus si falso juramento, vel falsis testibus rem

(1) Cap. v. *de conditionibus.*
(2) Cap. iii. *eodem tit.*
(3) Cap. vii. *de condit.*

(4) Vide litteras Pii VI ad Archiep. Pragens. 11 Julii 1789.
(5) S. Alph. l. vi. n. 851.

conficiendam curent. Magistri artium similem habent, juxta leges, potestatem in matrimonia tyronum suorum, et alii omnes quibus instrumento scripto alii sunt adscripti, donec ad ætatem maturam pervenerint.

42. *Sacerdos suam præstans operam filiofamilias*, cui pater injuste refragatur, vel tyroni, vel alii lege obligato, obnoxium se facit mulctæ gravi, a qua immunis non habetur, licet deceptus fuerit a contrahentibus, vel testibus : sed eam solvere cogitur, quam deinceps actione civili in deceptorem poterit recuperare. In Marilandia immunis habetur, si duo testes eum de scripto patris, quo consensum præstitisse visus est, sigillo etiam adjecto, certiorem fecerint. [1]

§. IV. De vinculo.

43. Docet Bonifacius VIII. quod « Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditione, ipsum in paradiso, et in statu innocentiæ instituente, unionem et indissolubilitatem acceperit. » [2] Matrimonii perpetuum sit vinculum oportet, et unicum, quo pacto mutuus conjugum fovetur amor, et proli consulitur.

44. *Polygamia*, plurium scilicet uxorum consortium, ab initio non fuit, sed, Lamecho auctore, inducta est, quæ postea, Deo sanciente, ob humani generis propagationem, præsertim populi electi, invaluit : Christi vero auctoritate sublata est, qui conjugium ad suam originem revocavit : « erunt duo in carne una. » [3] Optime animadvertit Innocentius III : « Non dixit tres, vel plures, sed duo : nec dixit : adhærebit uxoribus, sed uxori. » [4] Sic etiam fert perpetua Ecclesiæ traditio et consuetudo ; quapropter Concilium Tridentinum decrevit : « Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum ; anathema sit. » [5] Equidem recta filiorum institutio et pax domestica ex unitate conjugii plurimum pendent. Qui plures habent uxores, si ad fidem conversi fuerint, primam retinere debent, reliquis dimissis : quæ si noluerit fidem amplecti, Pontificia datur dispensatio, ut aliam quæ fidem amplectitur seligat, priori postposita : quod fit eo quod Apostolus facit converso facultatem solvendi conjugium in infidelitate initum, si infidelis discedat, scilicet renuat vivere cum eo absque pietatis detrimento.

45. *Polyandria*, seu plurium virorum consuetudo, per se repugnat conjugio, quod, quum ad humanum genus propagandum institutum sit, tollitur, dum eadem mulier cum pluribus viris consuevit : nam plurimorum semen admixtum sterile est.

46. *Matrimonium infidelium consummatum*, utpote naturalis contractus, perpetuam habet vim. Valet autem hujusmodi contractus, si lex naturæ non obstet ; nec enim quæ lege Ecclesiæ statuta sunt, homines baptismo haud imbutos spectant. Quod si alteruter ad fidem conversus, baptismum acceperit, solvi poterit matrimonium, si infidelis noluerit cum fideli conversari : « si enim alter infidelium conjugum » inquit Innocentius III., « ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit : et in hoc casu intelligi-

(1) Ch. xii. Sect. ix. Feb. 1797.
(2) Cap. i. *de voto in* 6.
(3) Matth. xix. 5.
(4) Cap. viii. *de divort.* (5) Sess. xxiv. cap. ii.

mus quod ait Apostolus : « Si infidelis discedit, discedat : frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi. »[1] Si infidelis nolit converti, quamvis consentiat habitare cum converso, multi theologi censent solvi adhuc posse matrimonium : quum periculum perversionis conjugis fidelis, vel prolis, vix absit.[2] Coitu post alterutrius conversionem nulla vis additur contractui, qui proinde solvi deinceps possit quocumque tempore, si infidelis nolit habitare absque contumelia Creatoris : sed utroque simul converso, contractus naturalis vim obtinet firmam, et indissolubilem, absque ritu ullo, vel novo consensu, dummodo copula intercedat, quæ indicium est consensus, ut contractus juxta Christi institutum valeat in perpetuum. Si consummatum non fuerit matrimonium post conversionem, censet S. Alphonsus Pontificem posse ex urgentissima causa dispensare.[3]

47. *Interpellandus est infidelis conjux a converso*, ut de voluntate constet, ex præcepto Gregorii XIII. et S. Pii V.: quod si infidelis detrectet, vel respondere prorsus negligat, converso licet ad novas nuptias transire. Si constet eum esse pertinacem, vel si in longinquas abierit regiones, vel adiri nullatenus queat, nonnulli theologi censent conversum posse, interpellatione omissa, ad nova vota transire, saltem accedente pontificia dispensatione.[4] Non solvitur matrimonium infidelis dissensu, sed fidelis actu novas contrahentis nuptias : quapropter nuptiæ infidelis cum altero infideli initæ, fideli adhuc cœlibe, sunt irritæ.

48. *In hac regione si contigerit quempiam ad fidem converti*, qui non fuerit baptizatus, conjugio tamen cum altero haud baptizato junctus, omnis opera adhibenda erit ut consors retineatur, absque fidei et pietatis detrimento : nam libertate ad nova vota transeundi lex civilis frui vetat, nisi iis qui divortio separati sunt : quod si absit consors, et consensus ejus exquiri nequeat, quum domicilium ejus lateat, ab alio conjugio ineundo abstinere oportet, ne novæ nuptiæ offensionem pariant, et speciem bigamiæ præseferant. Si graves rationes suadeant eum e vivis discessisse, quum diutissime abfuerit, et nuntius nullus plurimos annos de eo advenerit, non videtur consors prohibendus nuptiis : nam alter nequit moneri, ideoque fidelis jure suo utitur, præsertim accedente mortis opinione verosimili. Quod si ad fidem converti contigerit aliquem qui ab hæreticis baptizatus cum altera pariter baptizata nuptias inierat, nuptiæ nullatenus solvi queunt; ratæ quippe ac consummatæ sunt. Si de consortis baptismo non constet, nec certum haberi queat testimonium, in eam propendere oportet sententiam de baptismo, et matrimonii valore, cui favent indicia et adjuncta : et si quid obstet valori, ex dispensatione supplendum. Equidem conjugium semel initum censendum est valere, quamdiu obex non se prodat : quod si bona fide aliæ initæ fuerint nuptiæ, non sunt solvendæ, donec de priori vinculo, re plene investigata, exploratum sit.

49. *Christi lege ea vis contractui matrimonii indita est*, ut conjugium baptizatorum semel consummatum nullo unquam casu solvi queat : « Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet : »[5] quod si opere completum non sit, non tantam habet vim : nam Christi cum Ecclesia conjunctionem non ple-

(1) Cap. vii. *de divortiis.*
(2) Vide Antoine tract. *de Matr.* c. ii. qu. 8. et S. Alph. l. vi. n. 957. (3) L. v. n. 956.
(4) Ibid., n. 957. (5) Matt. xix. 6.

ne exhibet.[1] Hinc baptizatorum conjugium *ratum*, quod scilicet initum est, sed non consummatum, solvitur professione religionis alterutrius conjugis, adeo ut alter valeat novas inire nuptias : « quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in sæculo manere. »[2] Intra duos menses conjux cogitur ad Religionem transire, vel conjugi adhærere :[3] sed quamdiu consummatum non fuerit matrimonium, libera manet facultas eligendi Religionem. Quæ Scripturæ testimonia matrimonii vim perpetuam declarant, illud re perfectum spectant : solvi posse idcirco a Summo Pontifice matrimonium ratum censent plurimi theologi, aliis negantibus. Re quidem vera plures Pontifices ea potestate usi fuisse dicuntur, quando boni publici plurimum intererat ut proles nasceretur : « Summus Pontifex, » inquit S. Alphonsus, « tamquam Christi Vicarius, cui regimen Ecclesiæ est commissum, bene potest cum justa causa dispensare in aliquibus quæ sunt de jure divino, et humanos actus concernunt. »[4]

§. V. De dubio contractu.

50. *Ante adhibitam diligentiam ut veritas detegatur*, nullatenus licet dubitanti de impedimento dirimente matrimonium contrahere: temere enim se objiceret periculo contractus irriti ; sed, re diligenter investigata, plerisque videtur matrimonium iniri posse, si opinio juris ejusmodi sit quam theologi vulgo habent veluti probabilem, quod scilicet impedimentum non subsit : « quando enim adest opinio probabilis de jure, quod non subsit impedimentum, tunc Ecclesia ex antiquissima consuetudine præsumitur contractum matrimonii approbare, et omne removere impedimentum, ut communiter dicunt præfati auctores cum aliis, et fuse probat Cardenas pluribus decisionibus Rotæ Romanæ, ac quibusdam declarationibus Urbani VIII. »[5] Sed in dubio seu positivo, seu negativo, de morte prioris conjugis, non licet ad secundas transire nuptias. Si constet de impedimento, et dubitatio sit de dispensatione, impedimentum est servandum : si constet de dispensatione, et dubius sit ejus valor, habenda est valida, quia præsumitur pro actus valore, in iis quæ juris ecclesiastici sunt, et in quibus proinde Ecclesia supplere censetur ; non ita in iis quæ sunt juris divini, vel naturalis, quæ potestatem Ecclesiæ excedunt.

51. *Quando probabile est impedimentum de jure naturali*, et probabilis e contra opinio illud non subsistere, plerumque non licet contrahere matrimonium, quia valor Sacramenti periclitaretur, quum Ecclesia non possit impedimentum, si subsit, tollere. Si dubitetur utrum quoddam matrimonium verum fuerit, probabilibus utrinque pugnantibus rationibus, non licet novas nuptias inire. Id facile contingit apud mancipia, quæ pluribus inter se connubiis aliquando conjunguntur, eo tamen pacto ut non constet aliquod verum connubium ab iis initum. Dicit S. Alphonsus soli Pontifici licere jus divinum hac in re explicare, in specialibus rarisque rerum adjunctis, quod contigisse refert Lugo, regnante Urbano VIII., qui inter sententias probabiles theologorum quos consuluit, eas quæ Indis magis faverent secuturum se declaravit, ut iis qui in regionibus Paraquariæ versabantur,

(1) Cap. v. *de Bigamis.*
(2) Cap. ii. *de convers. conjug.*
(3) Cap. vii. *eodem tit.*
(4) S. Alph. l. vi. n. 959. (5) Ibidem. n. 901.

de matrimoniis in infidelitate contractis consuleret. [1]

52. *Quando dubium est factum*, adeo ut probabile sit rem evenisse cui adnectitur impedimentum, et e contra probabile videatur eam non evenisse, tunc Ecclesia non potest censeri impedimentum, si forte adsit, tollere, quia plerique doctores non affirmant hanc ei esse mentem; et proinde non licet, dubitatione manente, nuptias contrahere: nam Sacramenti valor esset dubius. Attamen sunt qui dicunt propositionem quæ vetat uti opinione probabili in administratione Sacramentorum, damnatam esse præsertim ob injuriam recipientibus inferendam, incerta illis suppeditando subsidia: qui idcirco contendunt in hac rerum conditione licere probabili opinione de facto haud subsistente uti, ut consulatur utilitatibus suscipientis Sacramentum, qui tamen monendus est, ne incommodum inde patiatur. « Quod si vero (addunt Sanchez et Cardena) in tali dubio præsumptio urgeret pro impedimento, et nulla esset præsumptio pro illius carentia, v. g. si vir coierit, et postea dubitet an seminarit, vel an intra vas, aut extra, tunc præsumptio orta ex communiter contingentibus est pro impedimento, et impediendum est matrimonium. Secus autem, si adsit præsumptio in contrarium, ut si vir seminaverit prope vas; tunc enim (ut ait Sanchez) procul dubio nuptiæ contrahi possunt. » [2]

53. *In impedimentis dubiis* quæ juris sunt ecclesiastici, Episcopi censentur probabiliter posse dispensare, quia Pontifex non videtur voluisse sibi reservare nisi certos casus; et dispensandi necessitas, utpote odiosa, est restringenda.

54. *Quando post contractum matrimonium* oritur dubitatio de ejus valore, diligentia adhibenda est ut rei veritas innotescat; sed interim conjux dubitans petenti reddere debet, ne jure quod possidet temere eum privet. Si, re investigata, dubium non evanescat, plures dicunt licere tum petere, tum reddere; nam jure ex matrimonio bona fide inito privandus non est, absque certa auctoritate. Equidem dubitantibus de impotentia trium annorum experientia a Jure conceditur; [3] cujus rei ratio ex possessione matrimonii videtur desumpta: habetur scilicet validum donec contrarium plane sit exploratum. Si ratio probabilis suadeat matrimonium esse nullum, nec ullum habeatur argumentum quod valeat, disputant hinc inde theologi utrum post diligentiam frustra adhibitam, liceat tum petere, tum reddere. Qui affirmant, dicunt dubitantem posse certam sibi conscientiam efficere, eo nixum principio, quod nemo jure bona fide acquisito privandus sit, nisi certo probetur quod nullum jus habeat. Quod si conjux dubitans habeat rationes ita convincentes de nullitate matrimonii, ut fundent de ea moralem certitudinem, tunc certe nec petere, nec reddere potest. « Item recte advertit Croix . . . quod dubitans, si adhuc spem prudentem habet inveniendi majorem certitudinem, tunc nequit petere, quia, cum dubium adhuc est vincibile, non potest uti jure petendi. » [4]

55. *Si quis dubius de impedimento contraxerit* matrimonium, et deinceps, omni adhibita diligentia, haud potuerit rei veritatem habere exploratam, nonnulli dicunt eum posse jure petendi uti: quia in dubio standum est pro valore actus, [5] et matrimonio favendum

(1) L. vi. n. 902. (2) Ibidem.

(3) C. Laudabilem, *de frigidis et malefic.*

(4) S. Alph. l. vi. n. 905.

(5) L. Quoties, ff. *de reb. dub.*

est, et fori interni judicium hac in re cum externo concordare debet, in quo pro valore matrimonii fit sententia.

56. *In dubio positivo* de valore matrimonii, ex. gr. si dubitetur de impedimento, vel de consensu præstito, judicandum est in favorem matrimonii contracti, quia actus semper habendus est validus, nisi contrarium constet.

57. Quando conversorum ad fidem nuptiæ bona fide contractæ in dubium revocantur ob prius ligamen, quod divortio civili solutum est, inquirendum utrum valuerit coram Deo contractus. Quod si de valore non constet, probabiles rationes quæ ei adversantur, poterunt sufficere ad eos in bona fide relinquendos, donec rerum veritas in comperto posita fuerit. De novis nuptiis dicit Gregorius XVI : « Cavendum ut novum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab hæretica parte jam antea initi cognita fuerit ecclesiastico judicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum. »[1]

58. *Plerumque non tenetur conjux* alteri fidem adhibere protestanti se haud præstitisse consensum, licet id juratus dicat : nam « nimis indignum est, ut quod quisque sua voce protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare : »[2] sed in specialibus rerum adjunctis quæ fidem conciliant loquenti credi potest. *Rumor incertus*, vel nullo certo teste commendatus, non est ratio sufficiens, cur quis a matrimonio abstineatur : sed unius testis fide digni affirmatio de re sibi cognita, est ratio inquirendi, quamvis nemo teneatur uni testi credere.

CAPUT III.

DE OFFICIIS CONJUGUM.

—

§. I. De officiis generalibus.

59. *Individua vitæ consuetudo* servanda est inter conjuges, adeo ut neuter debeat, altero invito, discedere a domo, mensa et toro. Cæterum major libertas marito permittitur, quam uxori, tum ob negotiorum necessitatem, tum ob sexus præstantiam; sed graviter peccat maritus uxoris consortium deserens, vel diu negligens. Peccat graviter qui solum mutat temere, conjuge derelicta, quam tenetur quamprimum accersere, ut culpam reparet. Regulariter tenetur uxor sequi domicilium viri, licet illud mutet absque justa causa, quia cum vir caput sit, ejus est sedem eligere. Tenetur idcirco, marito id exigente, parentes patriamque derelinquere, et in regione longinqua consistere : sed si haud diu abfuturus sit, poterit ejus reditum domi expectare : quod si urgeat maritus ut secum iter in mari agat, debet obtemperare. Non tenetur eum vagantem sequi, nisi nupserit probe conscia eum vitam ducere incertam, per regiones varias iter agentem. Non tenetur cum proximo vitæ vel salutis periculo ei comitari. Quod si maritus velit in longinqua se conferre, ubi deerunt subsidia salutis, precibus eum flectere poterit uxor, sed vix ei nolle obtemperare; nam Deus non deerit piis ejus conatibus. Maritus plerumque non tenetur secum ducere uxorem, cum magno incommodo et impensis, quando negotiorum causa circumcursari contigerit.

(1) Breve ad Ep. Bavariæ 27 Maji 1832.

(2) C. Cum a nobis, *de testibus et attest.*

60. *Quum* matrimonium ideo *ineatur ut conjuges una sint caro*, valde se invicem diligere debent : « nemo enim unquam carnem suam odio habuit. » [1] Dilectionem hanc marito præsertim injungit Apostolus, Christi erga Ecclesiam affectu benevolo in exemplum proposito : « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea. » [2] Quod autem Christus ait : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem . . . non potest meus esse discipulus : » [3] indicat uxorem minus Deo diligendam, adeo ut ejus voluntas nihili habeatur, quoties divinæ legi adversatur. Merito injungitur amor, ut affectu potius quam imperio regat uxorem, quæ obediendo se illi gratam debet præstare. « Mulieres, » (jubet Apostolus), « viris suis subditæ sint, sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris : sicut Christus caput est Ecclesiæ : Ipse, Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. » [4]

61. *Contra amorem uxori debitum* graviter peccat vir, nimium erga fœminam aliam fovendo affectum, vel ita se gerendo ut uxori det gravem rationem suspicandi se minus diligi, adeo ut infelix fiat, et misera. Item peccat levi de causa uxorem suspicans illicitum habere cum altero commercium, eamque idcirco incusans, et vituperans. Peccat pariter eam durius tractando, et negligendo, adeo ut sui consortii eum tædeat. Hinc qui tabernas, theatra, aliave hujusmodi loca frequentat, nec nisi nocte jam adulta domum redit, quique, uxore nesciente, alio recedit, abestque plurimum temporis, nulla necessaria de causa, graviter deest affectui quo uxorem prosequi debet. Qui eam ira correptus vehementer percutit pugno, calce, vel telo aliquo, cum vitæ suæ, vel fœtus discrimine, reus est gravioris delicti : sed et qui contumeliose tractat uxorem, quin vulnus inferre aggrediatur. Qui eam deserit inopem, et sibi providere non valentem, præsertim cum filiis, gravissime peccat contra munus maritum. Reus etiam est occasione criminum quibus uxor objicitur, et discriminis fidei amittendæ et salutis, in quo filii constituuntur.

62. *Singularem affectum erga se invicem fovere oportet*, adeo ut nec vir fœminam aliam, nec mulier virum alium ita diligat, sed, propinquis naturæ instinctu dilectis, conjuges unice amandi sunt Cum magna animi lenitate vir debet uxoris defectus tolerare, eamque consiliis suis dirigere, et instruere. Ei etiam debet providere, sicut et filiis, præsertim si ipsa omni ad se sustentandum subsidio careat. Quod si sua habeat ipsa bona, quæ dicuntur paraphernalia, non ideo denega anda sunt alimenta consueta, et quæ ad conditionem suam spectant, præsertim si dotem acceperit vir, qua oneribus matrimonii satisfieret : nam specialia illa bona ad impensas alias uxori reservata plerumque censentur : nec ab ea alenda excusatur maritus si dos perierit. [5] Uxor tamen viri pauperis debet suam præstare operam, ut communibus necessitatibus subveniatur. Lege civili tenetur maritus ad necessaria alimenta præstanda uxori, et ad solvendum æs alienum quod ea de causa ipsa contraxit : nec eximitur onere, licet in ephemeridibus, vel alias, monuerit omnes se nihil uxoris causa soluturum. Attamen si ipsa adul-

(1) Eph. v. 29. (2) Ibidem, 25.
(3) Luc. xiv. 26. (4) Eph. v. 22.

(5) ff. Solut. matrim. l. *Si cum dotem*, §. *Maritus.*

terii noscatur rea, vel fuga se subduxerit nulla mariti culpa, [1] non tenetur solvere.

63. Monet Apostolus maritos ne amaros se præbeant conjugibus : « Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. » [2] Abstinendum idcirco est a contumeliis, vel reprehensione acerba, multo magis a verberibus, alapis, aliave punitione. Equidem pro conditione conjugum verba vim habent majorem, vel minorem; inter homines enim viles non adeo gravem pariunt offensionem. Contingere etiam poterit ut uxor hujusmodi correptione gravi, vel punitione etiam indigeat; sed cavendum ne quid sævitiem redolens admittatur. Plerumque benigne et cum honore quodam uxor tractanda est, juxta illud Petri : « Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo mulieri impertientes honorem, tamquam et cohæredibus gratiæ vitæ : ut non impediantur orationes vestræ. » [3]

64. *Uxor viro obediat oportet* in iis quæ conjugium spectant, et domus et familiæ gubernationem: « Mulieres, » inquit Apostolus, « subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. » [4] Exemplum sanctarum mulierum, quæ sub Veteri lege extiterunt, proponit S. Petrus imitandum. « Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. » [5] Honor igitur præstandus est ab uxore, quæ verbis et obsequiis virum colere debet.

65. *Quod ad munus conjugii spectat*, Apostoli præcepta servanda sunt : « Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. » [6] Quod Apostolus per indulgentiam profert: constat enim licere ex mutuo consensu in perpetuum se abstinere, instar S. Joseph et Deiparæ, quos in veteri Ecclesia plures imitati sunt. [7] In usu autem conjugii quidquid ejus fini repugnat sedulo vitandum est, ut sit « honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. » [8]

§. II. De usu conjugii.

66. Ignoscat lector mihi vestigia S. Alphonsi in re lubrica prementi; intellexit scilicet peritissimus hic animarum medicus impudicitiæ præ cæteris animæ plagis remedia adhibenda, et larvam alioquin et speciem inanem virtutis haberi. Pleraque ipsius verbis describemus, ne quid nostrum offen-

(1) « The husband is bound to provide his wife with necessaries suitable to her situation, and his condition in life; and if she contracts debts due for them during cohabitation, he is obliged to pay those debts; but for any thing beyond necessaries he is not chargeable. . . . If the husband abandons his wife, or they separate by consent, without any provision for her maintenance, or if he sends her away, he is liable for her necessaries, and he sends credit with her to that extent. But if the wife elopes, though it be not with an adulterer, he is not chargeable even for necessaries. . . . If he turns her out of doors, and forbids all mankind from zupplying her with necessaries, or if she receive such treatment as affords a reasonable cause for her to depart from his house, and refuse to cohabit with him, yet he will be bound to fulfil her contracts for necessaries, suitable to her circumstances, and those of her husband. » *Kent*, vol. ii. n. 147, 149.

(2) Col. iii. 19. (3) 1 Pet. iii. 7.

(4) Coloss. iii. 18. (5) 1. Pet. iii. 5.

(6) 1 Cor. vii. 3.

(7) Vide hist. eccl. Socr. l. iv. c. xiii.

(8) Hebr. xiii. 4.

sioni sit. Constat ex Justino quam sancte de hac re edoctæ fuerint ab initio mulieres christianæ : quædam enim a marito luxuriante discessit. [1]

67. *Conjugii usus*, modo rationi convenienti, *licitus est:* nam ex ipso Conditoris instituto fit ut maris et feminæ conjunctione genus propagetur humanum. « Situs naturalis est, ut mulier sit succuba, et vir incubus: hic enim modus aptior est effusioni seminis virilis, et receptioni in vas femineum ad prolem procreandam. Situs autem innaturalis est si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere, vel præpostere more pecudum, vel si vir sit succubus, et mulier incuba. Coitum hunc, præter situm naturalem, alii apud Sanchez l. ix. D. XVI. n. 2. generice damnant de mortali; alii vero dicunt esse mortale ultimos duos modos, dicentes ab his ipsam naturam abhorrere. Sed communiter dicunt alii, omnes istos modos non excedere culpam venialem. Ratio, quia ex una parte, licet adsit aliqua inordinatio, ipsa tamen non est tanta, ut pertingat ad mortale, cum solum versetur circa accidentalia copulæ; ex alia parte, mutatio situs generationem non impedit, cum semen viri non recipiatur in matricem mulieris per infusionem, seu descensum, sed per attractionem, dum matrix ex se naturaliter virile semen attrahit. » [2] Attamen « potest esse signum mortalis concupiscentiæ, » [3] uti animadvertit S. Thomas, nempe si ex bestiæ affectu, vel sodomiæ proveniat. Ob causam justam absque peccato situs mutatur, nempe si vir sit obesus, gravisque annis, vel infirmus; si sit periculum abortus, vel si adstent in cubiculo alii, quos vix, nisi mutato situ, latere possint concumbentes. « E converso conveniunt omnes . . . . quod si experientia constaret, quod mutato naturali situ nihil seminis femina retineret ob nimiam vasis laxitatem, vel humiditatem, vel propter aliquam infirmitatem naturalem, ut ait Palaus, tunc esset mortale : secus vero dicit Sanchez, si non ex situ, sed ex aliquo morbo mulieris, talis effusio provenit. Si pars seminis decidat, retento quod generationi sufficiat, plures cum Sanchez dicunt non esse mortale : quia per accidens contingit ut veluti superfluum a matrice expellatur, præcipuo fine obtento. Non tenetur confessarius interrogare pœnitentem situs mutati se accusantem, utrum semen fuerit effusum, quum id raro evenire dicatur. Eos vero qui coeunt stando, vel sedendo, vel muliere incuba, puto esse in majori periculo semen effundendi. » [4] Quando mutatur situs eo consilio ut procreatio filiorum impediatur, vix potest peccato lethali carere : saltem si ea occasione fundatur semen extra vas.

68. *Si conjuges incœpta copula*, ex mutuo consensu cohibeant seminationem absque effusionis periculo, per se non est peccatum mortale : « illa enim penetratio vasis fœminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter conjuges permittitur, vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis : ita communiter..... Dixi I. Si ambo consentiant; nam si alter se retrahat sine alterius consensu, certe graviter peccat, ut dicunt omnes auctores præfati. Dixi II. *Per se loquendo :* nam sapienter advertit Sanchez . . . id ordinarie esse mortale, quia ordinarie adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi conjuges experti sint oppo-

(1) Apol. apud Euseb. hist. l. iv. c. xvii.
(2) S. Alph. l. vi. n. 917.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem.

situm : quo casu tamen puto nullo modo posse eos excusari saltem a veniali, quicquid dicat Sanchez cum aliis. »

69. « Si vero fœmina jam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi, non potest quidem vir data opera a seminatione se retrahere, sine gravi culpa, quia tunc ipse est causa, ut semen uxoris prodigatur : uti communiter dicunt S. Antoninus . . . et alii passim. Hoc tamen non erit ita intrinsece malum, ut aliquo casu permitti non possit, puta si vir desisteret a copula ob periculum mortis, vel scandali aliorum ; tunc enim licite potest se retrahere etiam cum periculo pollutionis, quia hæc per accidens, et præter intentionem eveniret, et contra non tenetur cum periculo tanti damni generationem procurare ; ita communiter. . . . Hæc sunt certa apud omnes. » [1]

70. *Si vir jam seminaverit,* femina retrahendo se a seminando plerisque videtur peccare lethaliter, quia juxta plures utrumque semen ad generationem requiritur : et quamvis verosimile sit semen viri sufficere, tamen non licet opinionem sequi probabilem de rei veritate, cum periculo damni alieni. « Hinc neque practice probabile puto id quod dicunt Sanchez et Sporer . . . nimirum posse mulierem in actu coitus animum ad alia divertere, ne concitetur ad seminationem. » [2] Dubreyne tamen dicit pro certo nunc haberi fœminam nullum verum semen habere : sed voluntatis nisu peccat, cupiens generationem impedire.

71. *Vir*, juxta plures, postquam seminavit, *tenetur uxorem*, si ipsa non seminaverit, *expectare*, ut actus generandi sit integer : alii negant eum teneri : « concedunt tamen ei posse continuare copulam, usque dum seminet femina, quia hoc pertinet ad complementum copulæ uxoris. » [3]

72. *Si vir se retrahat post seminationem suam*, sed ante seminationem uxoris, *poterit hæc*, juxta plerosque, *tactibus se excitare* ad seminandum, quia utriusque seminatio pertinet ad eumdem actum conjugii. «Omnes autem concedunt uxoribus, quæ frigidioris sunt naturæ, posse tactibus se excitare ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim habendo. » [4]

73. *Peccat mortaliter vir* copula inchoanda in vase præpostero, ut postea in vase debito eam consummet. Ita communius et verius sentiunt theologi. « Ratio quia ipse hujusmodi coitus (etsi absque seminatione) est vera sodomia, quamvis non consummata, sicut ipsa copula in vase naturali mulieris alienæ est vera fornicatio, licet non adsit seminatio. » Virilia perfricare circa vas præposterum uxoris est etiam mortale ; « ratio est quia saltem talis tactus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico. » [5]

74. *Non licet plerumque copulam habere*, cum vitæ vel morbi gravioris periculo, sibi, vel conjugi. Equidem quando de conjugis periculo agitur, si gravis sit causa petendi debiti, periculum manifestandum est, ne conjux invitus damnum patiatur. Si quis morbo venereo laboret, debet abstinere a copula, vel uxorem monere, ne injuria ei fiat invitæ. Si autem periculum remotum sit, quod scilicet in partu periclitetur, vel quod valetudo jam infirma frequenti congressu frangenda prorsus sit, videtur licere, quia hoc veluti conjugio inhæret, et grave foret a copula perpetuo abstinere. Conjugi morem gerit uxor absque culpa, ut eum a consuetudine prava avertat, et servet. In morbo diuturno,

(1) L. vi. n. 918. (2) Ibidem.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem, n. 919.
(5) Ibidem, n. 916.

qui vires non tollit, copula habetur, licet haud absque valetudinis detrimento : « si morbus esset diuturnus, et non proxime tendens ad mortem, nempe quod non soleat de brevi et facili mortem inferre, ut esset pestis, aut lepra leonina, (qua frustatim membra decidunt), tunc non erit illicitum sano petere, si aderit justa causa, nimirum fovendi amorem conjugalem, aut vitandi incontinentiam in se, vel in altero, quia alias esset valde onerosum tamdiu abstinere ab usu conjugii, quod vix poterit esse sine periculo incontinentiæ. » [1]

75. *Non licet petere statim* a balneis, vel sectione venæ, quia coitus tunc habet grave periculum. Cum ea quæ febri laborat, coire etiam periculosum est. Cum muliere quæ gonorrhæam patitur, coire non decet; sed quum hæc diuturna sit, vix prohiberi potest: periculum autem afferre non videtur.

76. *Post prandium cœnamve* coire nulla lege vetatur, nec grave fert damnum. Antequam ablactetur infans, coire non decet : juxta illud Gregorii M.: « Ad ejus vero concubitum vir accedere non debet quousque qui gignitur ablactetur : » [2] sed res consilii est, non præcepti.

77. *Copula ob solam voluptatem* culpa veniali non vacat : damnata enim est propositio : « Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali. » [3] Equidem venialem esse culpam liquet, dum quis veluti finem copulæ proponit, quod natura tamquam medium adsignavit, quo ad prolis procreationem alliceretur : sed quum gravis non sit ordinis perversio, non excedit culpam venialem. Quod si quis utatur voluptate ut se excitet ad copulam, nulla erit culpa, quum generationem præcipue sibi proponat.

78. *Peccatum est mortale copulam habere mente adultera*, affectu scilicet ad aliam directo. Quod si quis de alterius pulchritudine cogitet, ut se excitet, absque tamen affectu turpi, excusatur a nonnemine : sed in periculo manifesto consensus in copulam cogitatam cum aliena versatur. Si quis de aliena copula cogitet, in magno etiam est periculo, licet ea uti tantum velit ad se excitandum ad copulam cum propria conjuge : « hæc tamen cogitatio, si esset de copula inter personas determinatas, non excusarem a mortali, ob facile periculum consentiendi in delectationem de copula cum conjuge aliena. » [4]

79. *In loco sacro* copula habenda non est, extra necessitatem, quæ contingit exercitu in ecclesia diversante.

80. *In diebus festivis*, et jejunii; abstinentia ab opere conjugii commendatur; sed nullam violat legem qui eo fruitur.

81. *Graviter nonnunquam arguebant Patres* maritos uxoribus prægnantibus haud parcentes : sed gravem culpam in eo non agnoscunt theologi plerique : nam abortus, quod objicitur, periculum non est proximum, quum semine recepto claudatur matrix arctissime, haud facile coitu iterato aperienda. Quo magis accedit tempus pariendi, eo minus plerumque est periculum : nam fœtus ita secundinis involvitur, ut eum non possit semen contingere. Imminente tamen partu periculum augetur. Coire cum prægnante S. Alphonso videtur culpa venialis, « nisi adsit periculum incontinentiæ, vel alia honesta causa. » [5]

82. « *Fluxus mulieris* alius est naturalis et ordinarius, et iste proprie

(1) L. vi. n. 199.
(2) C. fin. dist. v.
(3) Prop. ix. damn. ab Innoc. XI.
(4) S. Alph. l. vi. n. 914. (5) Ibidem, n. 924.

dicitur menstruus, quia communiter singulis mensibus solet in feminis accidere, et durat, ut plurimum, per duos vel tres dies. Alius extraordinarius, proveniens ex aliquo morbo diuturno, qui aliquando durat usque ad duodecim dies et ultra. Tempore fluxus extraordinarii certum est licere tam reddere quam petere. »[1] Durante fluxu consueto venialis videtur culpa coire, quia talis coitus est minus aptus generationi, quum femina minus sit idonea semini retinendo : quapropter tempus opportunius, brevi adventurum, expectandum foret. « Conveniunt autem . . . . . quod nullum sit peccatum coire tali tempore, si adsit aliqua causa turpitudinem illam cohonestans, nempe ad vitanda dissidia, aut incontinentiam in se, vel in altero, aut alia similia. » At si nulla sit causa cohonestans, negat S. Alphonsus uxorem posse, absque culpa veniali, obtemperare marito coitum petenti : nam actus ipse inordinatus est.

83. *Post partum aliquamdiu*, puta per mensem, a coitu est abstinendum ; est enim quædam indecentia : « Nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri ; » uti tradit S. Gregorius M.[2] Sed venialis plerumque censetur culpa, nisi periculum gravis morbi inde immineat, uti contingit coeuntibus eodem vel sequenti die.

84. *Proprius finis sibi proponendus* in congressu marito est prolis generatio, quæ tamen aliquando absque gravi culpa excluditur animo, dummodo nil fiat quo impediatur. Pauperes et ægrotantes aliquando volunt prole carere numerosa, quin ideo peccent mortaliter, si eam non impediant. Quando vir impedit, effundendo semen, graviter peccat, uti liquet ex exemplo Onan, quem effundentem semen super terram percussit Deus.[3] Quando vero uterque se cohibet, ut non fiat seminis ulla effusio, a peccato gravi forsan excusari possunt, quamvis mala specie coitus hujusmodi non careat. *Coeuntes tempore menstrui* ne conceptus sequatur, non graviter peccant, quia jure suo utuntur tempore per se haud vetito, et nihil directe faciunt ad impediendam generationem.[4]

85. *Ad vitandam conjugis incontinentiam* licet debitum petere. « Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hæc est quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet : »[5] imo id licet ad sui periculum vitandum ; charitas enim tum sibi, tum alteri, debetur : et sibi quisque consulit, subsidio quod conjugium præbet utens. Valetudinis causa eo uti haud vetitum est, quamvis aliqui in eo venialem culpam agnoscant.

86. *Petere debitum aliquando tenetur maritus*, quando scilicet id necessarium existimat ad amorem conciliandum, et ad uxori satisfaciendum, quæ præ verecundia plerumque non audet petere. « Quando vir percipit, » inquit S. Thomas, « per aliqua signa, quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet, tenetur reddere. »[6] Mulier autem vix tenetur reddere nisi maritus expresse petat, dummodo non sit timidioris indolis et abjectæ ; quo casu obligabitur uxor ex charitate petere, si periculum incontinentiæ in eo percipiat.

87. *Conjux impeditus a petendo* ratione delicti, v. g. ob cognationem,

(1) S. Alph. l. vi. n. 925.
(2) C. fin. Dist. v.
(3) Gen. xxxviii. 9.
(4) Dubreyne, Mœchialogie, n. 360.
(5) Suppl. iii. p. qu. xlix. art. v. ad 2.
(6) Ibidem, qu. xliv. art. 2.

vel affinitatem contractam copula illicita, potest aliquando prævenire alterius voluntatem, quando percipit eam velle debitum sibi reddi : tunc enim ipse non petit, sed reddit ; quod licet. Sic mulier rea, si virum in periculo incontinentiæ versari percipiat, poterit se offerre, ut eum eripiat. Si conjux, altera consentiente, voverit castitatem, nequit petere, vel reddere, nisi ipsam viderit periclitari : quo casu plures dicunt licere ei subvenire, ex ipsa matrimonii institutione.

88. *Ob suæ incontinentiæ periculum* probabiliter dicit nonnemo licere ei qui voverat, petere debitum, quando tentatio vehemens est, et dispensationis a voto obtinendæ nulla datur copia. [1]

89. *Licet conjugi excommunicato* reddere debitum, et ab eo illud petere : nam lex conjugii excusat uxorem obtemperantem, uti constat ex Gregorii VII. declaratione. [2] Imo plerique dicunt excommunicatum posse petere debitum, quia non censetur Ecclesia eum in periculum adeo manifestum conjicere.

90. *Negare una alterave vice* debitum conjugale petenti, secluso periculo pollutionis et gravis dissidii, videtur venialis culpa : quum ex communi hominum æstimatione munus conjugii non semper urgeat. Id dicendum si conjux remisse petat, et precibus facile cedat, vel si frequentius petat eadem nocte, vel die. Quod si periculum incontinentiæ sit, cedendum toties, quatenus vires ferant. Peccat igitur graviter quæ viro vehementi libidine acto repugnat, vel quæ renuit, cum certo furoris vel blasphemiæ periculo.

91. *Paupertas conjugum* non est causa sufficiens negandi debiti : nam conjugii finis prævalere debet incommodis ex prole orituris, præsertim quum incontinentiæ plerumque sit periculum, si negetur. « Conveniunt omnes esse obligationem reddendi, si adsit in altero periculum incontinentiæ : quod revera, (ut bene advertit Coninch) vix non aderit, si in eodem toro conjux habitet, et alter debitum petat. » [3] Ex mutuo consensu oporteret quidem abstinere, eamque adhibere cautelam qua tollatur periculum : sed si alteruter petat, vix licet repugnare ob solam paupertatem. Si vir, sua inertia vel prodigalitate, causa sit paupertatis, videtur licere ei resistere ; nam jus sibi nequit vindicare procreandæ prolis, cui nullatenus studet providere. Quod plerique nolint numerosam habere prolem, cui vix valent opes suppeditare, non est æqua causa negandi debiti, multo minus cavendi arte aliqua ne proles nascatur.

92. *Non debet vir jejuniis nimiis* se reddere impotentem, nec mulier jejunando fieri nimis deformis, adeo ut eam vir aversetur.

93. Constat neminem ad peccandum teneri, *ideoque conjugem non teneri* reddere debitum, quoties actus ipse malus fit : « Si culpa se tenet ex parte actus, puta si alter petat in loco sacro, vel publico, vel si cum periculo abortus, vel sanitatis propriæ, aut alterius, omnes conveniunt non teneri conjugem, nec posse reddere sine gravi culpa ; tunc, cum actus sit per se malus, alter injuste petit, eo quod non habet jus petendi. » [4]

94. *Si ex parte petentis* actus sit illicitus, v. g. quod castitatem voverit, plerique dicunt conjugem reddere posse instanter petenti, si nequeat a proposito averti, absque gravibus dissidiis et peccatis : tunc enim reddens actum

(1) S. Alph. l. vi. n. 930.

(2) C. *Quoniam multos*, Caus. xi. qu. 3.

(3) L. vi. n. 941.

(4) Ibidem, n. 943.

per se honestum facit, qui alteri sua culpa nocet. Si petens jure petendi privatus sit in pœnam, v. g. incestus, conjux non tenetur reddere, quum jus eam eximat, sed potest : nam suo jure petendi privata non est, ideoque reddere potest, quum petitio nimis gravis sit feminæ.

95. *Si actus sit venialiter malus*, S. Alphonsus sic distinguit : « Actus est illicitus ex parte petentis, puta si petat ob voluptatem, vel alium finem leviter malum, vel die quo vult Eucharistiam accipere, tunc tenetur reddere ; quia, cum actus sit per se honestus, tenetur ex justitia ad reddendum, etiamsi exigens peccet graviter in petendo, ut diximus n. 944. Dub. 1. Si vero actus est venialiter illicitus ex parte ipsius actus, seu copulæ, ut si petatur situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, tunc quando adest justa causa, potest quidem reddere, cum quælibet justa causa excuset a veniali. Justa autem causa erit, v. g. ne incurrat indignationem alterius, sive rancorem illius quodammodo notabilem, et non possit eum commode avertere. . . . . Dixi, *potest reddere*, sed non tenetur, quia licet vinculum justitiæ fortius sit vinculo charitatis, attamen cum actus sit tali modo per se illicitus, alter non habet jus ad illum. »[1]

96. *Si homo extra vas seminaturus noscatur*, utrum uxor possit eum excipere inquiritur. Equidem constat eam non posse id consilii, quum detestandum sit, probare : sed excusant eam plures obtemperantem, quia copula inchoata per se licet, et quod seminatio extra fiat, culpa aliena contingit. Cæterum quotiescumque possit precibus et monitis eum inducere ut coitum integrum habeat, videtur teneri : nec facile excusatur si ipsa absque gravi causa petat debitum, quando novit eum ita rem habiturum ; nam ex charitate tenetur impedire peccatum viri : « justam autem causam habet petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiæ, vel si deberet alias privari suo jure petendi plusquam semel, vel bis, cum perpetuo scrupulo an ei sit satis grave incommodum, vel ne, nunc se continere. »[2] S. Pœnitentiaria pluries hac de re consulta respondit mulierem quæ viri metuit sævitiam, posse citra peccatum passive se habere.[3]

97. *Non tenetur reddere* debitum conjugi qui remisit jus suum, v. g. castitatem vovendo ex consensu mutuo. Quod si ita consenserit, ut non cesserit suo juri, tunc instanter petenti videtur reddendum, quum per se debeatur, et alter suo jure non ceciderit bono voluntatis proposito. Amenti reddendum non est debitum, quum dominii usus ratione indigeat. Attamen si non sit omnino mente captus, licet ei petenti obtemperare, præsertim ne prodigatur semen, quando ex coitu nullum incommodum grave timendum sit. Cum muliere amente non licet coire, nisi sterilis noscatur : proli enim inferretur damnum. Peccaret qui conjuges amentes conjungeret ad copulam, quum proles careret necessaria educatione. Si mulier plerumque partus occasione insaniat, sed filios pariat incolumes, licet conjugio uti, etiam cum tanto discrimine, cui ipsa sponte se objecit : sed non licet vitare procreationem semen prodigendo : hoc enim per se malum est.

98. *Non tenetur conjux* debitum reddere alteri adulterii reo ; fides enim semel fracta alterum obligatione solvit, manente tamen conjugii vinculo. Igitur si de delicto constet, vel vehementia

(1) L. vi. n. 946.
(2) Ibidem, n. 947.
(3) Decr. 15 Nov. 1816. 23 Aprilis 1822. 8 Juni 1842.

sint ejus indicia, culpanda non est uxor quæ renuit subesse marito.

99. *Ebrio non tenetur conjux* morem gerere; caret enim usu rationis, qui ad exercendum dominium requiritur. Quod si non adeo ebrius sit ut nequeat rem habere, licet utique obtemperare, quamvis vix teneatur. Ad impediendum dissidia, rixas, et blasphemias plerumque oportet petenti acquiescere : quod si contingat effundi extra vas semen, id ebrio imputandum erit.

100. *Qui ob incestum* privatus est jure petendi debiti, tenetur nihilominus ad reddendum : nec enim alter ob ejus culpam puniendus est. Qui castitatem vovit, absque conjugis consensu, pariter tenetur reddere; quamvis nequeat petere : nam non potuit conjugis jus afficere suæ voluntatis proposito.

101. *Conjuges tenentur* ad reddendum debitum cum levi suo incommodo et damno : nam conjugio ineundo se obligarunt ad ea quæ huic insunt. Si contingat alterutrum morbo aliquo laborare, qui contagiosus non sit, non debet alter ejus effugere consortium : nam et leproso debitum reddendum est. Quod si infectio timenda sit, ex medicorum judicio, uti si syphili vel phthisi alter laboret, excusatur : vel si conjux sanus vehementer abhorreat ab alterius consortio, excusandus videtur : impossibilium enim nulla est obligatio. *Non tenetur conjux reddere* debitum cum gravi periculo propriæ vitæ; nec etiam plerumque potest : nemo enim est vitæ suæ dominus. Nequit igitur coire cum laborante peste : nam proximum est et manifestum mortis periculum. Attamen si proles necessaria sit ad bonum commune, plerique dicunt licere se objicere discrimini. Si conjux petens in periculo incontinentiæ sit, plures affirmant licere ei subvenire, cum sui periculo. Ad vitandum incontinentiam propriam, vel dissidia domestica, et ad fovendum mutuum amorem, sentiunt quoque licere se objicere hujusmodi discrimini, dummodo non sit proximum. Quod attinet ad morbum venereum, nunquam tenetur conjux reddere debitum eo laboranti : quod si velit obtemperare, penes ipsam est periculum morbi contrahendi in se suscipere, et prolis concipiendæ, quæ aliquam hujusmodi labem habeat. Ob prolis periculum plerumque non tenentur conjuges se abstinere, quum præstet esse, quam penitus non esse.

102. Vix excusatur a debito reddendo uxor ex eo quod noverit prolem catholice non esse instituendam, patre repugnante; nam vis naturalis contractus tanta est, ut non deficiat ob alterius propositum pertinax : sed omni animi nisu debet prolis saluti providere, et numquam assentiri ut hæretice instituatur.

103. *Uxor quæ experta est se non posse parere* absque vitæ periculo, non tenetur reddere debitum : nam cum tanto sui detrimento nequit obligari : attamen potest reddere : nam licet illi se objicere periculo quod ex sui conditione oritur, præsertim si id ad vitandam sui, vel conjugis, incontinentiam necessarium sit. Si semper pariat filios mortuos, plures dicunt eam posse reddere, quamvis non teneatur; nam præstat infantes esse, etiam cum peccato originis, quam non esse; et per accidens eorum mors contingit, quum conjugii usus per se licitus sit. Equidem optandum ut abstinerent conjuges; sed quum incontinentiæ sit periculum, excusari forsan poterunt, chirurgorum permittentes arbitrio, quomodo cum uxore parturiente agendum sit. Inventa est apud Gallos, anno 1831 ratio qua proles post septem menses edatur incolumis, quo pacto

mulieribus, quæ fœtum maturum parturire nequeunt, consulatur.

104. *Uxor quæ in usu matrimonii se vertit*, ut non recipiat semen, vel statim post illud exceptum surgit, ut expellatur, lethaliter peccat; sed opus non est ut diu resupina jaceat, quum matrix brevi semen attrahat, et mox arctissime claudatur. *Puellæ vim patienti* licet se vertere, et conari, ut non recipiat semen, quod injuria ei immittitur: sed exceptum non licet expellere, quia jam possessionem pacificam habet, et haud absque injuria naturæ ejiceretur.

105. *Conjuges senes* plerumque coeunt absque culpa, licet contingat semen extra vas effundi : id enim per accidens fit ex infirmitate naturæ. Quod si vires adeo sint fractæ ut nulla sit seminandi intra vas spes, jam nequeunt jure conjugii uti.

106. *Tactus*, *aspectus*, *et verba turpia* inter conjuges, directa ad copulam, permittuntur, quia veluti media sunt ad finem licitum adhibita. Hinc licet illis se invicem ita excitare ut copulam facilius perficiant. Quæ autem ad copulam non referuntur, et solius voluptatis causa fiunt, non excedunt culpam venialem, si tactus per se non sit valde fœdus, et si non adsit periculum pollutionis. Equidem status conjugalis jure censetur hæc pleraque quodammodo cohonestare, et gravem auferre turpitudinem : secus plurimis periculis scrupulisque foret obnoxius. « Et hoc, » inquit S. Alphonsus, « etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob morbum, vel esset impossibilis ob impotentiam quæ supervenisset. » [1] Quod si quis voto castitatis se ligasset, tunc plane forent illa omnia mortalia. Si impedimentum copulæ proveniat ex affinitate vel cognatione spirituali, etiam tunc tactus hujusmodi excusari possunt a mortali, quum pœna legis sit strictæ interpretationis.

107. *Quando periculum pollutionis* in se, vel in altero *prævidetur*, difficilius excusantur tactus hujusmodi a gravi peccato, præsertim si videantur inchoata quædam pollutio (« prout esset digitum morose admovere intra vas femineum. ») S. Alphonsi judicium damus : « Puto probabilius dicendum, quod actus turpes inter conjuges cum periculo pollutionis, tam in petente quam in reddente, sunt mortalia : nisi habeantur, ut conjuges se excitent ad copulam proxime secuturam, quia cum ipsi ad copulam jus habeant, habent etiam jus ad tales actus, tametsi pollutio per accidens copulam præveniat. Actus vero pudicos etiam censeo esse mortalia, si fiant cum periculo pollutionis in se, vel in altero, casu quo habeantur ob solam voluptatem, vel etiam ob levem causam : secus si ob causam gravem, puta si aliquando adsit urgens causa ostendendi indicia affectus ad fovendum mutuum amorem, vel ut conjux avertat suspicionem ab altero, quod ipse sit erga aliam personam propensus. Probabiliter dicunt Sanchez, Bosius, et Escobar « In reddente, tactus etiam impudicos, nisi sint tales ut videantur inchoata pollutio, esse licitos, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro, quia tunc reddens dat operam rei licitæ, ad quam obligatur propter jus petentis, qui tametsi peccat, non tamen jus amittit, cum culpa se teneat ex parte personæ. » [2] Immittere pudenda in os uxoris etiam obiter, videtur peccatum mortale, « tum quia in hoc actu ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis, tum quia hæc per se videtur nova species luxuriæ contra naturam (dicta ab aliquibus *irrumnatio*.) » [3]

(1) L. VI, n. 933.

(2) Ibidem, n. 934. (3) Ibidem, n. 935.

108. *Tactus turpes sui ipsius*, conjuge absente, vix possunt carere periculo proximo pollutionis, ideoque plerumque damnantur peccati mortalis. » Ratio, tum quia conjux non habet jus per se in proprium corpus, sed tantum per accidens, nempe tantum, ut possit se disponere ad copulam; unde cum copula tunc non sit possibilis, tactus cum seipso omnino ei sunt illiciti; tum quia tactus pudendorum, quando fiunt morose, et cum commotione spirituum, per se tendunt ad pollutionem, suntque proxime connexi cum ejus periculo. »[1]

109. *Conjuge absente*, *delectatio de copula cogitata* non caret gravi periculo. « Si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, sentio cum Concina . . . contra Sporer, eam non posse excusari a mortali, quia talis delectatio est proxime conjuncta cum periculo pollutionis. Secus vero puto dicendum, si absit illa voluptuosa titillatio, quia tunc non est delectationi proxime adnexum periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spirituum, et sic revera sentit Sanchez, cum ibi non excuset delectationem cum voluptate venerea, sed tantum (ut ait) cum commotione et alteratione partium absque pollutionis periculo. At quia talis commotio propinqua est illi titillationi voluptuosæ, ideo maxime hortandi sunt conjuges, ut abstineant ab hujusmodi delectatione morosa. »[2] Venia sit dictis.[3]

CAPUT IV.

DE DIVORTIO.

—

§. I. DE VINCULI SOLUTIONE.

110. *Vinculum matrimonii solvi* olim permisit Moyses Judæis, eorum duritiei cedens; sed vim ejus integram statuit Christus lege illa gravissima: « Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet; »[4] inde enim factum est, ut nulla prorsus hominis auctoritate solvi queat ligamen inter baptizatos homines contractum, et re perfectum; duorum quippe in eadem carne conjunctio est Christi cum Ecclesia imago simillima. Equidem constat nonnunquam baptizatos homines, ritu Ecclesiæ conjunctos, deinceps divortio separatos fuisse, facta alterutri potestate ad nova transeundi vota: quod contigit, vel quod matrimonium re consummatum non esset, ideoque Pontifex supremus sibi licere existimaret illud ob causas gravissimas solvere, quum deesset conjunctio carnis, de qua præcipue loquitur Scriptura; vel quod ipsum jus naturæ, vel leges Ecclesiæ obstarent ne inter eos conjugium iniri posset. Quod autem matrimonium haud consummatum religionis professione solvatur, ex antiquissima traditione proficiscitur; juxta quam illa sui dicatio in Dei obsequium mortis instar est, adeo ut famulus Christi mundo vivere non amplius

(1) L. vi n. 936. (2) Ibidem, n. 597.

(3) Inclytus scriptor De Maistre de conjugii abusu hæc notavit, quæ ponderent oportet qui affectantes morum puritatem a scrutandis rebus matrimonii abhorrent: « Si nous pouvions apercevoir clairement tous les maux qui résultent des générations désordonnées, et des innombrables profanations de la première loi du monde, nous reculerions d'horreur. Voilà pourquoi la seule religion vraie est aussi la seule qui sans pouvoir tout dire à l'homme, se soit néanmoins emparée du mariage, et l'ait soumis à de saintes ordonnances. » Le Comte De Maistre, *Soirées de Saint-Petersbourg*, 1 Entretien, p. 55.

(4) Matt. xix. 6.

censeatur. Inter homines haud baptizatos non adeo constat firmitas contractus : solvi enim potest, uti vidimus, in fidei favorem, alterutro ad fidem converso, altero vero detrectante absque Creatoris contumelia habitare cum fideli. Quando vero ex Ecclesiæ dispensatione conciliatæ sunt nuptiæ inter fidelem et hominem non baptizatum, dubitari potest utrum solvi queant : nobis autem videtur semper solvi posse, si renuat infidelis cum fideli habitare, sine contumelia Creatoris : de eo enim dici potest : « Quod si infidelis discedit, discedat. »[1]

111. *Quæritur utrum Catholico, ullo in rerum eventu*, ad legis civilis præsidium confugere liceat, qua divortium vinculi conceditur. Aliquando contingit matrimonium nullum esse ob impedimentum canonicum, v. g. quod alteruter caruerit baptismo : quo casu licet quidem legis auctoritate se tueri, uti colligere est ex responso S. Congregationis S. Inquisitionis ad quæsita Episcopi Neo-Aurelianensis, die 9 Septembris 1824, de matrimoniis quæ ob clandestinitatis impedimentum invalida erant. Imprimis consuluit ut opera omnis adhiberetur ad inducendos eos ut Catholice inter se contraherent : quod si uterque, vel alteruter suam sibi libertatem vindicaret, et ad vota nova vellet transire, obicem vinculi legalis tollendum suggessit, quod in agnitionem potestatis civilis in matrimonii vinculum traduci non posse ostendit. « Poscenti autem novum cum alio inire matrimonium suggerere, quod et sibi prius consulat, et ipsi parocho, agendo scilicet ut et sibi civilis reddatur libertas, et parocho nihil sit inde mali obventurum, non id esset civilis repudii morem approbare, dummodo rite instruatur postulans id non ideo fieri, ut solvatur matrimoniale vinculum, quia nullo jam vinculo detinetur, sed tantum ut se ac parochum a legalibus pœnis civilibusque vexationibus redimat. . . . . Hisce vero penes Gubernium peragendis non se immiscere debent missionarii. Qui nubere exposcit, ipse negotium suum agat. »

112. *Si matrimonii vinculum coram Deo subsistat*, constat non licere divortium civile quærere animo novas ineundi nuptias : hoc enim divinæ legi repugnat. Quod si gravissima urgeat ratio divortii quærendi, nempe ne cogatur maritus æs alienum uxoris solvere, et ut huic ad hæreditatem omne eripiatur jus, dubitari poterit, utrum Catholico liceat divortium vinculi quærere, eo tantum ad effectus civiles usuro. Si lex concedat divortium a thoro, prout in Pennsylvania, hoc plerumque quærendum erit. Cæterum in plerisque Statibus divortium a vinculo duntaxat conceditur ; et ubi alterutrius optio datur, hoc fere semper eligitur, quod unice habetur efficax contra alienas molestias repagulum. Videtur licere illud petere in gravissimis quibusdam rerum adjunctis, ad propriam securitatem : non enim probare censetur potestatis civilis exercitium in vinculum, quum libertate civili illi restituta non utatur : sed ni gravissima suppetat ratio, non debet hoc uti subsidio.

§. II. De thori separatione.

113. *Divortium a thoro* licet, et quidem perpetuum, ob alterutrius consortis adulterium ; Christo enim docente, licet dimittere adulteram ; et par jus est uxori ab adultero recedendi, quum in re marita conjuges pares sint. « Super hoc christiana re-

(1) I Cor. vii. 15.

ligio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. [1] Equidem maritus potest uxori pœnitenti et emendatæ ignoscere; sed parum sapienter toleraret peccantem : nam « qui autem tenet adulteram, stultus est et impius. »[2] Attamen facile excusatur si eam apud se retineat, ad vitandam prolis infamiam, et spem fovens eam corrigendam. Raro tamen adducendus est maritus precibus, vel consiliis importunis, ut cum uxore pœnitenti pergat versari, præsertim si aliis innotuerit delictum : nam plerumque rei memoria rixas suscitat : et pœnitentem iterum excipere nulla lege præcipitur. Uxor facilius injuriam condonat; quod suadendum est, nisi morbus, vel rei, vel familiæ jactura ex venia immineat, vel mariti emendatio ex duriori agendi ratione verosimiliter proventura sit : quod raro sperare licet. Ob sodomiam vel bestialitatem, divortium etiam licet : sunt enim crimina adulterio immaniora, quæ conjugi inferunt gravissimam injuriam : pollutio autem, se solo, non habetur divortii causa. Delictum constet oportet; sed et vehementissima suspicio, ex indiciis fere manifestis orta, certitudini æquiparatur : [3] si enim mulier sola cum viro in lecto reperiatur, vel alibi nuda cum nudo, adulterii rea haud temere censetur. Copula absque seminis effusione probabilius videtur non esse divortii causa, « quia nomine fornicationis intelligenda est fornicatio in suo genere perfecta, nempe consummata per seminationem; alias non adest vera divisio carnis, sed sola divisio attentata : per solam enim seminationem fornicantes fiunt una caro. » [4] Cæterum non cogitur maritus retinere secum uxorem quæ alium ita excepit.

114. *Delictum ante nuptias admissum*, et deinceps detectum, non est sufficiens divortii causa; nisi injuriam ferat marito, prout contingeret, si mulier ab alio gravida foret, dum nuberet : tunc enim utpote illusus et læsus potest a se amovere, ex Ecclesiæ auctoritate, eam quæ fraudem et dedecus illi molita est. Idem videtur dicendum, si meretricio vacaverat.

115. *Divortium denegatur*, si injuria jam condonata sit; quæ enim marito, quem novit adulterii reum, morem gessit, debitum reddendo, nequit postea injuriam ulcisci : quod si non noverit delictum, vel jus sibi esse recedendi, haud ignovisse censenda est. Oscula, amplexus, tactus, etiam absque copula, veluti veniæ indicia habentur; sed si ignoscendi animus defuerit, innocens non cadit suo jure. [5] Qui in uxoris adulterium consensit, vel eam in discrimen manifestum conjecit, eo consilio ut delinqueret, nequit inde divortii expetere causam : nam sibi id imputare debet. Qui pater cupiens videri, significaret uxori se velle eam matrem fieri, quacumque ratione, vel juvenem consulto domi relinqueret, se absente, non posset crimen prætexere divortii causam : secus, si suspicans uxorem esse impudicam, occasionem præberet, rei detegendæ causa, quin magno objiceret eam discrimini. Quæ adulterium admisit, eo quod a marito derelicta fuerit, vel domo pulsa, vel male habita, non potest mariti culpam allegare ne divortium decernatur. [6]

116. Adulterium quod absque culpa contigit, debet carere pœna : qua-

(1) Innoc. I. ep. 3. ad Exuper. n. 4.

(2) Prov. xviii. 22.

(3) C. Dicit Dominus, xxxii. qu. i.

(4) S. Alph. l. vi. n. 963.

(5) Cap. vi. *De eo qui cognovit.*

(6) C. Significasti, *de divort.* C. Ita ne, xxxii. qu. v. L. Palam, D. *de ritu nuptiarum.* Vide et Sanchez l. v. *de divortio*, disp. v.

propter si aliquis dormienti obrepserit, vel oppresserit invitam, non erit divortium petendum : secus si ex metu consenserit. Si vis illata invitæ innotuerit, pudor animique mœror potest tantus esse ut divortium mutuo saltem consensu permittendum sit. Si uterque conjux peccasse noscatur, non datur divortium : « cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare. »[1] Imo si post separationem alter crimen hoc admittat, æquum est alteri ignoscere, quamvis si intercesserit sententia judicis, non cogatur; nam reus omni jure suo privatus est.

117. Si alterutrius crimen non innotuerit, quæri potest, utrum liceat viro, adulterii sibi conscio, conjugis in adulterio deprehensæ crimen divortio petendo punire. S. Alphonsus dicit non licere divortium facere, « si uterque reus sit adulterii : tunc enim neuter jus habet ad divortium, etsi unus semel peccaverit et occulte, alter vero centies et publice. »[2] Attamen quoties uxoris crimen ad publicam notitiam deductum fuerit, videtur licere eam dimittere : vix enim posset maritus eam retinere absque gravissimo sui dedecore : quod si haud innotuerit, præterquam reis, vel uni alterive ex propinquis, videtur non licere. Innocenti licet adulteram ad se revocare, quæ debet redire et reddere debitum, si absque vitæ discrimine, vel durioris tractationis valeat. Nunquam tamen ad nova vota transire licet. « Placuit ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur : sed ita maneant aut simul reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. » Ita Concilium Milevitanum.[3]

118. *Si auctoritate civili factum sit divortium*, pœnis adulterii obnoxii erunt conjuges consuetudinem renovantes domesticam, absque novis nuptiis. Id autem quæri potest, utrum ad pœnas legis effugiendas, et ad jura recuperanda, liceat consensum matrimonio iterum dare. Videtur licere coram sacerdote consensum olim datum referre, ut de matrimonio possit testari : sed consensus ipse renovandus non est, quum sit forma Sacramenti; cæterum voces lato sensu usurpari possunt ad satisfaciendum legi. Dum cura adhibetur ut de matrimonio civile habeatur testimonium, cavendum ne ulli sacri ritus peragantur iterum, vel aliquid fiat quo errori de vinculo soluto favor præbeatur.

119. *Licet innocenti conjugi debitum denegare adultero*, habita criminis notitia, imo, juxta plerosque, potest divortium facere, quando certum omnino est delictum : sed ubi Ecclesiæ auctoritas in causis matrimonialibus exercetur, servata judiciorum forma, debet plerumque judicem adire, et sententiam expectare. Excusatur autem qui dimittit a se adulteram, nolens rem cum sui et prolis dedecore palam deferre judicandam : vel quæ recedit occulte ab adultero, ne publica delatione malum ingravesceret.

120. *Ob hæresim* in quam conjux lapsus fuerit, absque Ecclesiæ judicio non est divortium faciendum;[4] sed est justa divortii causa, præsertim si fidei amittendæ et prolis perversionis subsit periculum. « Mulier pro furto, vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ religionem corrumpere velit) ab eo separari non debet. »[5] Quandocumque

(1) Cap. vii. *de adult.*
(2) L. vi. n. 966. (3) Can. xvii.
(4) C. vi. *de divortiis.*
(5) Cap. ii. *eodem tit.*

crimen conjugis peccati necessitatem fere infert, divortium quærendum est. Insuper si infamiam, egestatem, vel vitæ periculum afferat conjugis crimen, poterit arbitrio ecclesiastici judicis fieri divortium. Monetæ falsarii uxores in peccati et vitæ periculum injiciunt, ideoque ab iis separandi sunt. Cæterum divortium concedendum non est ob crimina viri etiam infamia, quorum in judicio probatus est reus, si constet eum suos emendasse mores : nam tanta est inter conjuges necessitudo, et communitas in rebus adversis, etiam quæ culpa contigerunt, ut probabilius doceant theologi, uxorem debere viro in exilium abeunti comitari. [1]

121. *Sævitia mariti* est justa causa divortii : nec cogitur redire uxor, nisi « recepta sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre. » [2] Ubicumque ex odio, furoreque imminet vitæ periculum, divortium utique licet, et quidem propria auctoritate, quatenus statim sibi consulendum sit; sed et ob verbera vehementiora, et frequentiora, vel malam tractationem, quæ gravem admodum vitam facit, ex ecclesiastici judicis auctoritate conceditur ad tempus. Ob jurgia rixasque, absque gravi periculo, vix separandi sunt. « Necesse est ut conjux maritum perferat,licet asperum, licet moribus ferum, nec ob ullam causam conjunctionem dirimere velit. Percussor est? Sed vir tuus est Temulentusne? At tibi est natura conjunctus. Durusne et implacidus? At membrum jam tuum est, et membrum præstantissimum. » [3] Aliquando tamen conjuges adeo se invicem abominantur ut nequeant consortium tolerare : quapropter mutuo consensu separantur, judicis arbitrio accedente.

122. *Ob morbum contagiosum*, v. g. lepram, conceditur divortium habitationis, quamvis, ubi reddi potest debitum, absque sui, vel prolis periculo, reddendum sit. Nec deserendum est conjugis domicilium, si indigeat opera alterius, quæ præstari queat absque manifesta pernicie : quippe charitas qua se invicem debent complecti, exigit ut necessariam operam non subtrahant. Qui lue venerea laborat, divortii gravissimam præbet causam, licet ante conjugium contracta sit : injuriam quippe maximam uxori intulit. Qui amens est et furiosus, potest separari a conjuge, quatenus opus sit ut alterutri consulatur : sed in omnibus charitas conjugii eminere debet, adeo ut divortium non quæratur nisi ob gravem necessitatem.

123. *Mutuo consensu ob perfectionis studium* licet conjugibus a tori communione se separare : nam merces cœlestis uxorem relinquenti propter Christum promissa est : [4] et Apostolus orationis causa permittit ut a consuetis officiis ad tempus sese abstineant. [5] Cæterum neutri licet religionem profiteri, nisi alter quoque profiteatur; sufficit tamen ut votum simplex nuncupet uxor, quæ « ita senex est et sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo. » [6] Ut vir ordines sacros suscipiat, uxor debet « continentiam profiteri; » [7] quod de voto in sæculo emisso explicat S. Alphonsus : sed de professione religiosa intelligendum existimat Benedictus XIV. [8] Si uxor adulterii noscatur rea, licet marito, ipsius consensu haud requisito, religionem profiteri; nam uxore querente maritum ingressum monasterium

(1) S. Alph. l. iii. n. 383.
(2) Cap. viii. *de Rest. Spol.*
(3) S. Basil. Hexœm. h. vii. 5. (4) Matt. xix. 29.
(5) 1 Cor. vii. 5. (6) Cap. iv. *de convers. conjug.*
(7) Cap. v. *de convers. conj.*
(8) De Syn. l. xiii. c. xii. n. 16.

se invita, jussit Pontifex ut res diligenter investigaretur, et cogeretur homo ad uxorem redire, nisi « fornicationis crimen (propter quod viro licet dimittere uxorem) prædictam mulierem commisisse »[1] constaret. Plerisque theologis visum etiam est licere viro, cujus uxor ob adulterium judicis sententia dimissa est, sacros suscipere Ordines, quum ipsa jus omne in eum suo delicto amiserit:[2] quod tamen de judicis ecclesiastici sententia intelligendum est : idcirco quum mulier, divortio a cœtu civili injuria impetrato, secundas nuptias contraxisset, petenti marito ut liceret ad sacros Ordines ascendere, jussit S. Inquisitio ut mulieris voluntas prius exploraretur, utrum vellet, iniqua consuetudine derelicta, voto se ligare castitatis, ut, ea recusante, vix fieret perpetui divortii justæ sententiæ, qua viri libertas vindicaretur.[3] Reus nequit religionem profiteri, nisi ex venia innocentis, sed post biennium jus supplet consensum : habetur enim veluti perpetuo dimissus.[4] Quod si profiteatur religionem, vel sacros suscipiat Ordines, non ideo tenebitur innocens voto continentiæ se ligare : æquum enim non est ut onus illi imponatur.

CAPUT V.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

—

§. I. De impedientibus.

124. Impedimenta sunt obices ne fiat matrimonium. *Dirimentia* dicuntur quæ obstant ne valeat : *impedientia* quæ obstant ne liceat, quamvis contractum valeat. Dirimunt autem, licet quis ea ignoraverit : lex enim publicam utilitatem, potius quam singulorum consilia, spectat, et normæ, potius quam pœnæ, habet rationem : eos tamen qui baptizati non sunt, non spectant impedimenta quæ ab Ecclesia sunt statuta ; nec enim valet ligare legibus eos qui nullatenus eam ingressi sunt.

125. Quatuor enumerantur impedimenta impedientia, nempe :

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

126. *Vetare Ecclesia dicitur*, quandocumque Præsul, vel parochus, prohibet ne nuptiæ ineantur ; quod plerumqne fit ut de impedimento inquiratur.[5] Peccat graviter, qui, vetito posthabito, nuptias init ; quæ tamen, si impedimentum vere non subsit, valent ; leviter autem peccat, si vetitæ sint ob festi diei venerationem.[6] Huc referri potest prohibitio ne matrimonium contrahatur, absque denuntiationibus præviis.

127. Juxta generalem Ecclesiæ legem in Concilio Lateranensi IV. latam,[7] et in Tridentino iterum inculcatam,[8] *tres faciendæ* sunt in Ecclesia, inter Missarum solemnia, *proclamationes præviæ* matrimonii futuri, tribus diebus festis continuis ante quam celebretur. Eas omittere ubi lex viget, grave est peccatum, cui etiam suspensio ferendæ sententiæ adnectitur.[9] Jussit Concilium Plenarium Baltimorense ut ubique per Status Fœderatos fierent. Peccaret graviter sacerdos celebrans nuptias iis prætermissis, licet certo nosset nullum ob-

(1) C. Agathosa, xxvii. qu. ii.
(2) S. Alph. l. vi. n. 969.
(3) Decr. S. C. Inquis. 13 Martii 1841.
(4) Authentica. Sed hodie, C. ad l. Jul. *de adult.*
(5) Cap. ii. *de matr. con.*
(6) C. iii. *eod. tit.* (7) Cap. li.
(8) Sess. xxiv. c. i.
(9) C. Cum inhibitio §. Sane, *de clandest. despons.*

stare impedimentum. In una alterave proclamatione conceditur facile dispensatio in missionibus; qua deficiente, culpam gravem admitteret qui eas negligeret, nisi in iis rerum adjunctis in quibus nosset Episcopum velle ut pergeret sine mora: v g. si moribundus vellet prolem legitimare. Possunt aliquando fieri extra Missam, vel Ecclesiam, ubi adest fidelium concursus: nam finis legis est ut moneatur populus ad detegendum impedimenta. Quando sponsi ad duas parœcias pertinent, in utraque faciendæ sunt proclamationes. Diebus festis plerumque faciendæ sunt proclamationes: sed ob æquam causam aliis diebus, populo adstante plurimo, fieri possent. Post ultimam proclamationem, si nihil objiciatur, celebrari possunt nuptiæ, etiam eodem die, quamvis plerumque biduum expectare oporteat. Si ultra duos menses differantur nuptiæ, repetendæ sunt proclamationes. Mixtorum matrimoniorum proclamationes in ecclesia faciendæ non sunt, ne videantur probari. [1]

128. Proclamationibus factis, *qui novit impedimentum aliquod*, sive dirimens, sive impediens, *illud denuntiare tenetur*: nam præcepti adinstar fiunt, et in re gravissima, ubi et Sacramenti valor periclitatur, et tertiæ personæ interest. Hinc qui novit sub secreto naturali et juramento, tenetur illud revelare, quum non liceat secretum, etiam firmatum juramento, servare, cum communitatis, vel innocentis damno. Præcedere denuntiationi monitio fraterna oportet, ut famæ consulatur, nisi periculum sit in mora. Qui ex incerto rumore aliquid didicit, vix tenetur denuntiare: secus, si ex teste fide digno. Debet denuntiare, qui certo novit, licet probare nequeat, si absque gravi incommodo, vel scandalo, denuntiatio fieri possit, quia charitas obligat ad impediendum malum aliorum, etiam cum nonnullo sui incommodo. Porro unius denuntiatio fide digna satis est ut matrimonium impediatur; quum agatur de vitando animæ periculo. [2] Requiritur tamen ut ipse juratus deponat ex certa scientia, nisi de fama tantum impedimenti sit denuntiatio. Si impedimentum sit consanguinitatis vel affinitatis, satis est ut testis deponat illud se audisse a duobus fide dignis, præsertim a consanguineis sponsorum. Vilis persona non admittitur ad testandum, nisi in iis quæ adeo sunt occulta, ut nonnisi per vilem personam probari queant.

129. *Fama impedimenti satis est* ad impediendum matrimonium; [3] nisi infirmetur juramento consanguineorum. Probari autem debet fama a jurato teste: nec potest judex ex privata famæ notitia illud impedire: poterit autem, juxta S. Alphonsum, et debebit impedire, si sciat privatim impedimentum esse notorium: quamvis enim plerumque nonnisi juxta acta et probata decernere oporteat, non debet operam suam præstare rei quam malam novit, scilicet matrimonii, quod vi caret, celebrationi.

130. *Ubi nullæ fiunt proclamationes*, id inquirendum occurrit, utrum quisque teneatur sacerdoti, vel Præsuli, denuntiare impedimentum, vel ejus famam. Equidem qui certo novit impedimentum, lege charitatis tenetur ad illud patefaciendum, ne nuptiæ irritæ attententur, cum Sacramenti injuria, et innocentis et prolis damno. Quod si gravissimum sibi detrimentum ex denuntiatione immineat, non tenetur

(1) Pius VI. lit. ad Card. de Franckenberg 13 Julii 1782 et 31 Maji 1783.

(2) S. Alph. l. vi. n. 996.

(3) Ibidem, n. 999.

cum tanto sui dispendio malum impedire. Si famam tantum impedimenti deferre queat, considerandum est utrum testem aliquem audierit fide dignum, vel utrum fama apud plerosque obtineat; quo casu debebit monere Præsulem, vel parochum; sed nemo tenetur incertos rumores referre.

131. *Parochus, vel sacerdos alius*, confessione addiscens impedimentum, debet edocere pœnitentem, ut petat dispensationem, vel abstineat a nuptiis; nisi, juxta principia alias tradita, silendum duxerit; nequit autem suam denegare operam, si deinceps accersatur, publice vel privatim, ad nuptias celebrandas. Quod si ex alterius denuntiatione illud noverit, tenetur rem ad Ordinarium deferre. [1] Si ipse solus noverit, certa tamen ex scientia, debet matrimonium impedire; non enim licet occulto peccatori, etiam publice petenti, suam præstare operam, quando ipse actus foret irritus, cum aliorum damno. Præsul pariter conscius impedimenti potest et debet impedire nuptias: quamvis enim judicem non oporteat plerumque testis sustinere partes; attamen quum agatur de malo impediendo, poterit utrasque veluti in se conjungere; vel si opus sit, causam referre ad Vicarium ejus generalem, et testimonium apud eum deponere.

132. *Tempus per quod prohibentur nuptiarum solemnia*, est a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ et a die Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive: solemnia sunt « nuptias benedicere; sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. » [2] Nuptiarum benedictio, quæ fit in Missa, præsertim prohibetur tempore illo, et quidem sub gravi peccato: sponsi autem traductio minus solemnis, et convivia paucorum moderata non prohibentur, sicut nec matrimonii ipsius consummatio. [3] Benedictionis solemnis, quæ juxta generalem et antiquam Ecclesiæ consuetudinem, quam memorat Tertullianus, expeti debet, [4] omissio absoluta non excusatur saltem a veniali, uti omnes consentiunt, testante S. Alphonso: [5] apud nos tamen raro datur, ideoque consuetudine vigente contraria, non audeo damnare peccati etiam venialis omissionem, præsertim quum Nicolaus I. de ritibus matrimonii inter cætera dicat: « Ambo ad nuptialia fœdera perducuntur, et primum quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per sacerdotis manum, statuuntur; sicque demum benedictionem, et velamen cœleste suscipiunt. . . . Peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus. » [6] Ante benedictionem acceptam nuptias consummare nonnulli dicebant peccatum esse grave; plures veniale; plerique jam nullum esse docent. *Benedictio nuptiarum*, quæ in Missa pro sponso et sponsa continetur, potest abstrahi, [7] et dari extra Missam, sed nonnisi in ecclesia. [8] Nequeunt adigi sponsi ad benedictionem in Missæ celebratione suscipiendam. [9] Non videtur dari posse illa benedictio extra Missam tempore quo solemnitates nuptiarum prohibentur. Id colligitur ex decreto S. Cong. 31 Aug. 1839.

133. *Sponsalia* cum alia contracta,

(1) Cap. fin. *de cland. desp.*

(2) Rit. Rom. *de Sac. Mat.*

(3) Vide Benedict. XIV. *Notif.* lxxx.

(4) Vide C. *Nostrates*, et C. *Sponsas et Sponsa*, causa xxx. q. v.

(5) L. vi. n. 984 et 988. (6) C. *Nostrates.*

(7) S. R. C. in Eystet. ad 2. (4694) die 1 Sept. 1838.

(8) S. C. C. 17 Apri. 1649.

(9) Eystet. *supra.*

quæ soluta non fuerint, impediunt matrimonium; nec enim licet tradere rem alteri jam promissam.[1] Attamen si non sit copia sponsæ consensum expetendi, ut solvantur sponsalia; vel si nequeant impleri, licebit ad nuptias progredi confessarii arbitrio, præsertim si injuria hac ratione reparanda sit. Raro idcirco debet parochus impedire nuptias ob promissiones jam pridem factas, quæ vel vi sponsalium carent, vel consensu quodam tacito remissæ haberi possunt.

134. *Votum* simplex castitatis obstat ne liceat contrahere nuptias, non tamen dirimit contractas.[2] Idem de voto religionem ingrediendi, vel Ordines sacros suscipiendi, vel non nubendi, vel de juramento quod de rebus hujusmodi emittitur, dicunt auctores: « et nemo de hoc dubitat, » teste Sanchesio.[3] A voto castitatis ante matrimonium emisso potest Episcopus, juxta plerosque, dispensare, et jus facere petendi debiti; sicut et ab eodem voto emisso post consummatum matrimonium: non autem a voto emisso a conjugibus ex consensu mutuo, quod Papæ reservatur. Cæterum speciali indulto Pontificio fit Episcopis Statuum Fœderatorum facultas dispensandi ex rationabili causa in voto castitatis et religionis.

§. II. De impedimentis dirimentibus.

135. *Posse Ecclesiam obices objicere* matrimonio ineundo, adeo ut nil valeat contractus contra ejus leges attentatus, alibi ostendimus, canonem Tridentinum vindicantes: « Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit. »[4]

136. *Episcopi singuli nequeunt* impedimenta dirimentia inducere: quod solius Pontificis Supremi est, vel Concilii œcumenici: uti constat ex Ecclesiæ consuetudine et declaratione Urbani VIII. Infideles, qui non subduntur Pontifici civiliter, non tenentur legibus de matrimonio: quæ tantum spectant homines baptizatos. In ditione Pontificia leges hæ universos cives, vel in ea versantes, adstringunt, instar aliarum legum de contractibus.

137. Quæ dirimunt impedimenta quindecim enumerantur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, et impos;
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

138. *Peccat graviter qui* matrimonium attentat, *conscius impedimenti dirimentis.* Eum gravi metu non excusari tradit Antoine; Sacramento quippe censetur irrogare injuriam, illud attentando, vel fingendo se attentare: cæterum Sanchesio assentimur eum excusanti, quatenus metu mortis consensum præstat, quem haud valere novit, obstante jure ecclesiastico:[5] nec enim censendus est consentire, nisi quatenus possit. Disceptatur utrum mortis metu excusetur, si matrimonium hujusmodi consummet. Equidem videri posset excusatus, eo quod impedimentum cesset, et tollatur tanto in discrimine; nec enim

(1) C. *Duobus modis*, xxvii. qu. ii.
(2) C. Rursus, *Qui Clerici.*
(3) L. vii. disp. xi. *de imped. matr.*
(4) Sess. xxiv. can. iv.
(5) *De Mat.* l. vii. disp. v. 2.

pia Mater Ecclesia legem imponere censenda sit, quæ cum vitæ jactura obligat : sed revera manet vis legis; nam ad matrimonii libertatem tuendam statuit consensum ex metu præstitum nullius esse roboris ; et publica omnium utilitas etiam cum singulorum gravamine procuranda est : ideo fornicatio foret copula hujusmodi, quæ nullatenus possit excusari. [1]

139. *Error circa personam* matrimonii valori obstat; nec enim habetur consensus, sine quo matrimonium nullum est. Hinc si alius pro sponso, vel alia pro sponsa, ignoranti offeratur, nulla erit vis consensus præstiti, licet secuta sit copula : quapropter Lia pro Rachele Jacobo data, non fuit ejus uxor, nisi novo consensu præstito, post errorem detectum. Error autem qui qualitatem tantummodo spectat, non obstat consensui, nisi conditio omnino sit apposita. Si quis generis nobilitatem, divitiasve ementiendo, insignes nuptias sibi conciliaverit, quæ ei nupsit non potest consensum irritum facere, quamvis ex errore profectus sit dolo illius et culpa. Qui puellam duxit bonæ famæ, ita animo dispositus ut vitiatam minime duceret, non potest matrimonium infirmare, licet reperiatur corrupta. Qualitas personæ in substantiam redundare dicitur, quando quis consensum suum ea conditione dat, adeo ut nolit aliter consentire : quo casu consensus nil valet, deficiente conditione. Si quis dicat : Duco te, si revera virgo sis ; nullum est matrimonium, si fuerit corrupta. Quando qualitas est propria alicujus personæ, adeo ut eam ab aliis discernat, v. g. quod quædam filia sit regis cujusdam ; ducens quamdam, quæ falso se dicit eam esse, non tenetur consensu dato, qui errore vitiatus est. Qui duceret quamdam, quæ filia cujusdam dicebatur, liber habendus foret, si alia prorsus esset. Qui duceret aliquam quæ legitima filia et hæres censebatur, quam postea reperit esse spuriam, natalium vitio comperto, posset liber haberi, si consensus ei tamquam filiæ legitimæ datus videretur : sed plerumque tenetur vinculo, quum error sit de qualitate. Si consensus dirigatur præcipue in qualitatem, et secundario in personam, error in qualitate eum vitiat. Si quis pulchritudinem puellæ miratus eam in matrimonium ducere velit, quam credit esse viri nobilis filiam, cujus neptis revera est, non tenebitur consensu ex errore præstito, præsertim, si causa errandi ei data sit.

140. *Conditio servilis* quam liber contrahens ignorat, valori matrimonii obstat; [2] nec enim censendus est conjugem alteri prorsus subditum sibi sumere. Hinc si mulier libera nupserit viro, quem putabat liberum, qui tamen deinceps, unde aufugerat, reductus est, ipsa vinculo omni matrimonii soluta habetur : sed si serva nupserit viro, quem putabat esse liberum, quamvis revera non esset, manet ligata matrimonio : nam sibi injuria non est facta, et impedimentum statutum est, ut libero consulatur. Servorum inter se matrimonia valent, etiam invitis dominis : nam ad jus naturæ pertinet ut de se hac in re disponant. « Sane, » inquit Hadrianus Papa, « juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu, neque liber, neque servus est a Sacramentis Ecclesiæ removendus ; ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi ; et si contradicentibus dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda.

(1) *De Mat.* l. vii. disp. v. 2.

(2) Cap. *Si quis ingenuus.* xxix. et c. ii. et iv. *de conjugio servorum.*

Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi. »[1] Equidem leges civiles Statuum in quibus servitus viget, vetant ne servi matrimonia absque dominorum venia ineant, gravibus plerumque intentatis pœnis iis, qui eos alias conjungere auderent : quapropter curandum ut consensus ille habeatur. Quod si injuste denegetur, et res urgeat, poterit indulgeri, ut servi inter se contrahant, ne alias peccandi periculo objiciantur, vel sacerdos eorum adstans nuptiis pœnis et molestiis gravissimis fiat obnoxius. In Statu Mississippiensi de servorum, vel liberorum nigri coloris, conjugiis nil lege definitum est, quæ idcirco celebrari posse videntur absque venia speciali : sed domini ubique eam usurpant in servos potestatem, qua matrimonia eorum ex arbitrio permittant, vel prohibeant : quapropter sacerdos nonnisi gravissimo sui discrimine ea, absque dominorum venia, celebraret.

141. *De servorum matrimoniis* plerumque difficile judicatur : sæpe enim consuetudinem inter se fovent, nullo conjugii animo, vel se conjuges appellant, quamdiu uterque rite se gesserit, vel donec domini eos separaverint : alias videntur perpetuum velle inire consortium ; sed utrum vinculo priori liberi sint, vix sciri potest. Si constet eos aliquando serio iniisse conjugium, animo sese in perpetuum obligandi, validum habendum erit : nec ad alias nuptias transire licebit, donec de conjugis prioris morte constiterit. Cæterum plerique eorum contractus non habent conjugii vim, quum animus vinculi perpetui contrahendi illis desit, et conditio consensui apponatur : quapropter qui ad fidem Catholicam veniunt, vel ad bonam frugem rediguntur, non sunt statim cogendi ut deserant quam conjugis nomine invisunt, etsi aliæ cum quibus jam consueverunt in vivis degant, vel de earum morte non constet ; sed res diligenter investiganda est.

142. In nonnullis Statibus *matrimonia inter homines albi et eos qui nigri sunt coloris lege* prohibentur, et irrita habentur : sed lege Ecclesiæ valent, ubicumque non occurrat servilis conditionis impedimentum. Si contingat aliquod iniri, nequeunt prohiberi Sacramentis ob legis vetitum, vel publicam opinionem ; nam utuntur jure naturæ, Ecclesia haud prohibente. Cæterum non decet sacerdotem suam operam iis conjungendis præstare.

143. Jure civili libertas olim acquirebatur matrimonio : I. Si dominus dotale instrumentum contulerit ancillæ contrahenti. [2] II. Quando dominus ancillam in conjugem accipiebat. III. Quando dominus servam matrimonio tradidit alteri libero servitutem ejus ignoranti. [3]

144. *Votum solemne castitatis* ex lege Ecclesiæ obex est matrimonii valori : statutum est, scilicet, eum qui tanto vinculo se palam adstrinxerat Deo, non posse conjugium inire. Votum *solemne* dicitur, quod in religione probata emittitur, et in perpetuum ab Ecclesia acceptatur, adeo ut nec professo liceat recedere, nec superiori eum unquam dimittere. Illud, sicut et ordinem sacrum, obstare valori matrimonii, ex pluribus canonibus, [4] et præsertim ex Concilio Tridentino [5] constat. Votum simplex castitatis in Societate Jesu post biennium tyrocinii

(1) Cap. i. *De conjugio servorum.*

(2) L. un. c. *de Latin. libert.*

(3) Authent. Ad hæc, c. *de Latin. libert.*

(4) Lat. i. cap. xxi. et Lat. ii. c. vii. et cap. un. *de voto.* in 6.

(5) Sess. xxiv. can. ix.

emissum, ex lege speciali, obstat ne valeat matrimonium a vovente deinceps initum.[1] « Eos qui scienter . . . cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; necnon Religiosos, et moniales, ac clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes . . . excommunicationis sententiæ ipso facto subjacere » decrevit Clemens V.[2]

145. *Cognatio*, sive legalis, sive spiritualis, obstat valori matrimonii. *Legalis* dicitur quæ lege inducta est ob adoptionem perfectam alicujus in filium vel filiam, cum jure hæreditatis. Jure canonico adoptans nequit ducere in uxorem quam in filiam adoptavit; nec potest matrimonium iniri inter adoptatum et uxorem adoptantis, vel filios, quamdiu patriæ potestati subjiciuntur:[3] sed quum, ex theologorum communi sententia, impedimentum ex adoptione perfecta tantum oriatur, quæ apud nos non habetur, nihil hic obstare videtur quin vir ducat puellam quam filiæ loco hactenus habuit. Adoptionis conditiones singulas videsis apud Antoine.[4] Quæ fieri dicitur apud nos adoptio tota pendet ex arbitrio adoptantis.

146. Cognatio *spiritualis* ea dicitur quæ jure ecclesiastico inducta est Baptismi vel Confirmationis ratione. Impedit ne matrimonium valeat inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem, vel inter susceptorem alterutrum et baptizatum, baptizatique patrem et matrem: item inter confirmantem et confirmatum, confirmatique patrem et matrem.[5] Sed nihil obstat ne susceptores inter se contrahant.

147. *Non contrahitur cognatio* a procuratore, sed a mandante:[6] sed si quis alterius nomine suscipiat infantem absque mandato, neuter eam contrahere videtur: non quidem hic, quum non suo, sed alterius nomine agat; nec alter, quum nihil fecerit, quo eam contrahere possit: secus si consenserit hic in munus patrini, quamvis non designaverit procuratorem; qui enim infantem ejus nomine suscipit, vices ejus gerit. Suscipiens puerum quem putat esse alium, non contrahit cognationem: nec enim vult hunc suscipere.

148. Indulsit Alexander III. *ut vir, vel mulier, propriam prolem ex ignorantia suscipiens*, vetitum scilicet Ecclesiæ ignorans, non contrahere cognationem spiritualem, qua ab usu conjugii impedirentur.[7] Ex necessitate baptizans prolem legitimam non contrahit cognationem; secus si non sit legitima. Si consulto faciat, ad conjugem privandum debito, non eo eximitur: nam « ei sua fraus patrocinari non debet, vel dolus. »[8]

149. *Extra baptismum solemnem*, qui scilicet fit cæremoniis adhibitis, *cognatio non contrahitur* a susceptore, ex multorum theologorum sententia.

150. *Si quis coierit cum ea cum* qua spirituali cognatione conjungitur, crimen, sicut et cognatio, exponendum est, ut habeatur dispensatio ad matrimonium ineundum.[9]

(1) Vide bullam Greg. XIII. *Ascendente Domino.*

(2) Clem. *de consanguinitate.*

(3) Cap. unic. *de cognat. legali.*

(4) *De Matrimonio*, c. iii. qu. iii. §. iv. Nota a P. Philippo de Carboneano.

(5) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. ii.

(6) Sic, teste Fagnano, resolvit S. Cong.

(7) C. *Si vir vel mulier*, de cognat. spirit. Vide supra. xv. 51. (8) Ep. lxxxiv.

(9) Vide adnot. 5. P. Philippi de Carboneano, apud Antoine, *de Mat.* loc. sup. cit.

SCHEMA CONSANGUINITATIS.

	IV. Abavus. Abavia.	•
IV. M. Propatruus. M. Proamita.	III. Proavus. Proavia.	IV. M. Proavunculus M. Promatertera.
III. M. Patruus. M. Amita.	II. Avus. Avia.	III. M. Avunculus. M. Matertera.
II. Patruus. Amita.	I. PATER. MATER.	II. Avunculus. Matertera.
I. Frater.	✠ Hypothe.	I. Soror.
II. Filii, et Filiæ Fratris.	I. Filius. Filia.	II. Filii, et Filiæ Sororis.
III. Nepotes, et Neptes ex Fratre.	II. Nepos. Neptis.	III. Nepotes, et Neptes ex Sorore.
IV. Pronepotes et Pronepotes ex Fratre.	III. Pronepos. Proneptis.	IV. Pronepotes et Pronepotes ex Sorore.
	IV. Abnepos. Abneptis.	

151. *Cognatio naturalis*, quæ consanguinitas dicitur, est propinquitas eorum quorum alter ab altero, vel uterque ab eodem stipite descendit. Filius a patre, fratres ab eodem descendentes cognatione naturali conjunguntur. *Linea* est series eorum qui sanguine conjunguntur, estque *recta*, vel transversa, quæ et *collateralis* dici solet. *Recta* linea est series ascendentium et descendentium, quorum unus ab altero descendit, uti patris, filii, nepotis, etc. Jure canonico stipes non computatur in hac linea; quapropter filius primo gradu cum patre, nepos secundo gradu cum avo, conjungitur. Linea *transversa* est eorum qui a communi stipite descendunt, quin alter ab altero descendat: sic fratres et sorores, inter se lineæ transversæ gradu primo conjunguntur; consobrini pariter, gradu tamen secundo:[1] gradus quippe est distantia inter consanguineos, qui a stipite, in quo conjunguntur, numeratur. Non interest quoad impedimentum quod unum parentem tantum communem habeant. Qui ex utroque nascuntur, sunt germani: qui ex eodem patre, sunt consanguinei; qui ex eadem matre, uterini: omnes tamen primo gradu habentur. Quod si alteruter magis a

(1) Vide Cap. *Ad sedem*. xxxv. qu. v.

stipite distet, gradus remotior computatur; nec enim arctius inter se conjunguntur, quam cum stipite: quapropter consobrini filius nonnisi tertio gradu cum altero consobrino, qui secundus est a stipite, conjungitur. Statuit idcirco S. Pius V. in Const. *Sanctissimus*, anno 1566, « quod de cætero in quibuscumque dispensationibus consanguinitatis et affinitatis, sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere. » Excepit tamen primum gradum: in eo quippe Sanctitas Sua numquam dispensare intendit. Hinc si petenda sit dispensatio, ut qui secundo gradu a stipite distat, cum ea quæ tertio gradu distat, nuptias ineat, sufficit dicere eos tertio gradu inter se conjungi: si autem attingat primum gradum ulla ratione, v. g. si patruus cum nepte velit conjungi, uterque gradus necessario exprimendus est; nam patruus cum patre suo primo gradu conjungitur, a quo duobus gradibus neptis distat: imo et sexus ejus qui propinquioris est gradus declarandus necessario est, quum longe difficilius concedatur ut amita nubat nepoti, quam ut patruus nepti. Si remotior gradus eat ultra quartum, plerique theologi nullum impedimentum esse censent, licet alteruter primo gradu ad stipitem accedat. Quoties dispensatio pro remotiori gradu petita est, litteræ declaratoriæ a Sede Apostolica petendæ sunt ut in foro externo exhibeantur, ex prælaudata Pii V. Constitutione, quibus constet dispensationem sine mentione gradus propinquioris obtentam de subreptionis vel obreptionis vitio notari non posse: secus dispensatio in foro externo nequit executioni valide demandari: sed in conscientiæ foro non requiruntur.[1] In gradu inæquali exprimendo a masculi gradu incipere oportet, sive sit propinquior sive remotior. Hinc matertera ad filium fratris dicitur a secundo ad primum.

152. « Inter eas personas, » inquit Nicolaus I. « *quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent*, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, et avum et neptem, vel matrem et filium, vel aviam et nepotem, et usque ad infinitum. »[2] Id juri gentium consonat: « Jure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit. »[3] Imo plerisque ex naturæ jure profluere videtur, saltem seclusa necessitate humanum conservandi genus; ob quam tamen patri cum filia coire non licet, quum sensui intimo honestatis omnino repugnet; quamvis filias Lot inde excusandas aliquatenus nonnulli censeant, quod genus hominum universum incendio periisse existimarent, nonnisi ex patre suo restaurandum.

153. *Consanguinitas in linea collaterali*, jure naturæ, uti plerisque videtur, dirimit matrimonium in primo gradu, seclusa necessitate propagandi genus humanum, ob quam licuit primis hominibus cum sororibus coire. Equidem omnes homines videntur sensu quodam et instinctu naturæ ab hujusmodi coitu retrahi; quapropter et ethnicis horrori fuit. In cæteris gradibus ad quartum usque inclusive,[4] (olim ad septimum)[5] jus ecclesiasticum obtinet: quapropter etiam in secundo dispensatio dari potest, et valent infidelium matrimonia in eo gradu contracta:[6] in eo tamen num-

(1) Vide adnot. P. Philippi de Carboneano ad Antoine *de Matrim.* c. iii. qu. iii. *Nota.* S. Pius V.

(2) Ad consulta Bulgarorum c. xxxix.

(3) L. ult. ix. *de rit. nuptiarum.*

(4) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. v. *de ref. mat.*

(5) Cap. Non debet, *de consanguin.* ex Lat. iv. Conc. (6) Cap. viii. *de divortio.*

quam dispensari voluerunt Tridentini patres nisi inter magnos principes, et ob publicam causam: [1] quam disciplinæ severitatem mitigarunt Pontifices, animarum periculis succurrentes. In vetandis matrimoniis inter consanguineos Ecclesia imitata est Deum, qui Israelitis prohibuit nuptias intra quosdam gradus; sed ne videretur lege Veteri teneri, alios statuit gradus intra quos matrimonium contrahi non posset. In plerisque Statibus Fœderatis Levitici prohibitiones adoptatæ sunt ex legis civilis auctoritate; [2] in aliis intra arctiores limites prohibitio nubendi consistit. [3] Rationes gravissimæ suffragantur juri quo nuptiæ inter consanguineos vetantur; scilicet ne qui necessitudine conjunguntur, facile peccent, matrimonii spem foventes, et ut latius se diffundat hominum inter se charitas, aliis in familias adscitis.

154. *Consanguinitas aliquando duplex est*, quod contingit, vel quod duo sint stipites, vel quod qui ab uno descenderunt stipite matrimonia inter se contraxerint. Si duo fratres cum duabus feminis inter se consanguineis contraxerint, filii eorum secundo gradu inter se conjungentur, patrum ratione, tertio vero ratione matrum, ideoque dicentur esse consanguinei in secundo et tertio gradu ex duobus stipitibus. Consobrinorum matrimonio inter se conjunctorum filii sunt in primo gradu consanguinei, et etiam in tertio, ratione stipitis remotioris: horum autem filii vero in secundo et quarto. Duplex consanguinitas necessario exprimenda est dum dispensatio petitur.

155. Consanguinitatis impedimentum *etiam spurios*, eorumque posteros afficit, quum sanguinis communione nitatur. Jure Gallico afficit tantum eos qui primo gradu conjunguntur, fratres scilicet et sorores.

156. « *Qui scienter* in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione canonica interdictis, » [4] *contrahunt*, excommunicationi, ipso facto, subjacent. Eos absque ulla spe dispensationis consequendæ separandos jubet Concilium Tridentinum, præsertim si consummare ausi sint matrimonium. Idem decernit de eo qui, omissis denuntiationibus, contraxerit, impedimentum ignorans: « si vero, solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit; tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit. » [5] Cæterum indulgentia plerumque conceditur omnibus animo pœnitentibus, ne salutis curam prorsus abjiciant.

157. Causæ *honestæ* dispensandi sunt quæ cum dedecore petentium dispensationem non sunt conjunctæ. Prima est *angustia loci*, in quo vix invenire est virum paris conditionis cui mulier nubat, nisi consanguineum. Secunda est *dotis defectus*, ob quem vix nubere alteri possit. Tertia est *bonum pacis*, ut inimicitiæ inter familias, vel gentes, restinguantur. Quarta recensetur *ætas puellæ*, quæ vigesimum quartum annum excessit. Quinta est *vitæ periculum*, si puella viri præsidio indigeat ad vitam servandam ab hominibus violentis qui in regione versantur; vel si viro ob crimen admissum vitæ immineat periculum, quod tamen consanguineam ducenti cessabit. Sexta est *periculum perversionis*, ne scilicet hæ-

(1) Conc. Trid. ubi supra.

(2) Ita in Statibus Pennsylvaniæ, Delawariæ, Neo-Cæsareæ.

(3) Vide Digest of Laws of Mississipi, art. *Marriages*.

(4) Clemen. c. unic. *de consanguinitate*.

(5) Trid. Conc. Sess. xxiv. cap. v. *de ref. mat.*

retico nubens a fide et pietatis exercitiis abstrahatur. Hæc æquissima est causa, judice P. Philippo de Carboneano. Septima est *conservatio bonorum in eadem familia :* octava est *conservatio familiæ illustris :* nona est *meritorum excellentia :* decima est, *si oratrix filiis ex alio viro procreatis gravata* sit. Nonnumquam dispensatio datur *ex certis et rationalibus causis*, quæ tamen, licet Pontifici propositæ, in indulto non recensentur, quod *sine causa* ideo vocatur.

158. *Causæ infamantes* sunt quæ cum dedecore conjunguntur. Præcipua est *scandalum*, quod viciniæ datum est familiaritate nimia, quæ criminis suspicionem injecit; vel quod nascetur, si reapse coitus, instigante vesana libidine, non tamen animo facilius impetrandi dispensationem, intercesserit; vel prole jam habita; vel matrimonio contracto. Declarandum est autem utrum impedimentum ante nuptias norint, aut nonnisi postea : et utrum in eam rerum conditionem consulto se adduxerint, ut dispensatio facilius concederetur.

159. *Crimen quod impedit* ne matrimonium contrahi possit est homicidium, vel adulterium, vel utrumque. *Cædes* alterutrius conjugis ex conspiratione mutua patrata ab alterutro, vel ejus mandato, vel suasione, ut deinceps ineantur cum superstite conjuge nuptiæ, facit ut nequeant iniri, licet adulterium haud admissum sit : nam de Saracenis, qui in captivitate « quarumdam Christianarum viros earum insidiis et machinationibus occiderunt, » definitum est, « quod si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatæ, licet earum studio ad fidem accesserint, nec tamen eis adhærere debent, nec sunt, si adhæserint, etiam tolerandi. »[1] Secus si nulla præcesserit utriusque in cædem conspiratio ; nam Saracenis ad fidem conversis licuit viduas eorum ducere, quos in prælio occiderant.[2] Cædes patrata sit necesse est ex intentione ineundi matrimonii saltem ab alterutro, et quidem alteri manifestata, per indicia sufficientia.[3] Conspiratio autem ipsa non obstat valori matrimonii, nisi mors reapse inde sequatur.

160. *Adulterium* admissum obstat ne, conjuge mortuo, cum adultero nuptiæ ineantur, si ante vel post admissum adulterium promissio facta sit, et acceptata, nuptias post conjugis mortem inter se ineundi ; quum « in Canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, et illam maxime cui fidem dederat, uxore sua vivente ; vel quæ machinata est in mortem uxoris. »[4] Sola autem promissio, vel etiam contractus matrimonii attentatus, non obstat matrimonio post mortem conjugis contrahendo, si copula non intercesserit conjuge vivente.[5] Nil obstat quin adulteri inter se contrahant, post mortem conjugis, si nulla data sit fides matrimonii futuri, nullaque fuerit mortis machinatio : nec obstat adulterium cum promissione conjugii, nisi uterque adulterii reus sit, conscius scilicet conjugii vinculi, quo alteruter ligatur. Promissio ficta, vel conditione nixa, non videtur sufficere ; sed mutua promissio non requiritur. De matrimonio attentato id tenendum, illud promissionis vim habere, et obstare matrimonio post conjugis mortem, dummodo uterque contraxerit, sciens prius vinculum, et antea vel deinceps coierit ; quod si alteruter deceptus sit,

(1) Cap. Laudabilem, *de conversione infidelium.* (2) Ibidem.

(3) S. Alph. l. vi. n. 1034.

(4) Cap. Propositum est nobis, *de eo qui duxit in matrimonium.*

(5) Cap. Si quis uxore vivente, *eod. tit.*

nec post certam notitiam prioris conjugii coierit, non obstabit mala alterius fides, quin conjuge priore mortua legitimæ cele brentur inter eas nuptiæ :[1] secus si post eam notitiam cum eo consueverit.[2]

161. *Adulterium absque promissione matrimonii* impedit ne matrimonium deinceps ineatur, si alteruter, etiam altero ignorante, post adulterium cædem conjugis patret animo adulteram ducendi,[3] per indicia alteri manifestato. Adulterium autem non censetur nisi seminis effusione intra vas facti sint una caro : imo feminæ sicut et maris seminatio, juxta nonnullos requiritur :[4] in pœnis scilicet interpretatio stricta fit. Ratio qua nititur lex impedimentum statuens est, ne conjugis interficiendæ detur occasio; quapropter adulterium et promissio sub eodem matrimonio simul concurrere debent : et si omnino a se invicem sejungantur, impedimentum non adest. Sic qui polluit feminam, uxore vivente, qua mortua aliam duxit, pollutæ tamen, dum secunda viveret, promisit matrimonium, poterit eam post secundæ conjugis mortem ducere. Qui promittit serio feminæ matrimonium, conjuge vivente, peccat plerumque lethaliter, quia eam seque conjicit in proximum peccandi discrimen : sed non contrahit impedimentum, si copula non intercesserit.

162. *Disparitas cultus* impedimentum est quod inter hominem baptizatum et non baptizatum intercedit; nequit enim matrimonium inter eos consistere, nisi Ecclesia, quæ illud vetuit, veniam indulgeat contrahendi. Ab initio vetita sunt hujusmodi conjugia ob perversionis periculum, dicente Apostolo : « Nolite jugum ducere cum infideli. »[5] S. Hieronymus scribit: « Vis apertius discere quod Christianæ omnino non liceat ethnico nubere ? Audi eumdem Apostolum : Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult, nubat, tantum in Domino; id est Christiano. »[6] Sed irrita non sunt habita, quum non ante sextum sæculum jus quo id statuitur consuetudine inductum et receptum sit. Equidem ante diffusam ubique religionem christianam frequens fidelium cum infidelibus necessitudo conjugiis hujusmodi facilem dabat occasionem; quapropter adeo consuetudine invaluerant, ut piæ mulieres religioni vix ducerent ethnicis nubere : quod de matre sua Monica, quæ Patricio infideli nupsit, refert Augustinus.[7] Ea est fere rerum apud nos conditio, quum baptismum plerique negligant : sed impedimentum jam viget, quod nonnisi ex facultate, a Pontifice Episcopis delegata, relaxari potest.

163. *Matrimonia inter baptizatos* irrita non sunt, licet alteruter vel uterque hæresi, vel etiam infidelitate laboret : attamen jure ecclesiastico habentur vetita fidelium cum hæreticis conjugia, quod ex Conciliis Laodiceno, Agathensi, et Laodiceno colligit Benedictus XIV.[8] Gravia quæ ex hujusmodi nuptiis imminent pericula, præsertim si mulier sit acatholica, diserte exposuit Clemens XIII. in litteris ad Cardinalem de Rohan, Pius VI quoque, quas vi-

(1) Cap. Veniens, *de eo qui duxit.*

(2) Vide C. Significavit, C. Ex Litterarum, Cum haberet, et C. Si quis, *De eo qui duxit in mat.*

(3) Cap. Super hoc, *eod. tit.*

(4) S. Alph. l. vi. n. 1036.

(5) 2 Cor. vi. 14.

(6) Adv. Jovin. l. 1. c. v.

(7) Confess. l. ix. c. ix.

(8) *De Synodo diœcesana* l. vi. c. v. Vide et Constit. xxiv. §. 3. Bullarii ejusdem Aug. Ep. ccliii. cclv.

dere est in Bull. Cong. de Prop. Fide. Illud constat ex pluribus Pontificum sanctionibus, recentioribus præsertim, ea haud licere nisi ex dispensatione pontificia, conditionibus appositis quæ eadem auctoritate statuuntur. Prolis institutioni catholicæ, sicut et conjugis catholici libertati imprimis consulendum est, promissione iis de rebus emissa. Nulli omnino adhibendi sunt ritus, preces, vel vestes sacræ; sed consensus contrahentium excipitur, sacerdote testis *auctorizabilis*, uti dicunt, munere fungente; nil autem vetat conjuges sermone gravi de vinculo matrimonii, quod nullo in rerum eventu solvi queat, contra errorem de divortio vigentem, monere, eosque ad veritatis pietatisque studium excitare. Haud intra templi ambitum, ideoque vix in sacristia, nuptiæ hujusmodi conciliandæ sunt. [1] Abstineat se a benedictione annuli, et a dicenda forma : Ego vos conjungo. » Annuli usus absque ulla benedictione, vel prece, vel verbis prolatis dum imponitur, videtur permitti posse. [2] Cavendum ne matrimonium sic contractum credatur Sacramenti vi et dignitate carere; nam juxta communem sententiam contractus inter baptizatos est Sacramentum : ideoque curandum ut catholicus se rite paret ad gratiam, quum accedente dispensatione, ob graves causas, et cautela adhibita, licite iniri possit. Dubium de valore Baptismi in secta collati non obstat, nisi ex sectæ usu liqueat Baptismum non valere : nam Ecclesia favens matrimonio supplet. [3]

164. *Vis injuste illata* ad consensum in matrimonium extorquendum facit ne valeat, si gravis inde oriatur metus : ita enim decrevit Ecclesia libertati conjugii studens, et jus explicans naturæ : « Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusquam requiritur, coactionis materia repellatur; matrimonium autem solo consensu contrahitur; et ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire. »[4] Æquissime quidem, quum perpetuo vinculo eum ligari non oporteat, qui suæ voluntatis arbitrio libere uti nequiverit. Igitur mortis vel cruciatus periculum, carcere detentio, exilium, status amissio, vel bonorum omnium, probrum publicum cum famæ jactura, stuprum, aliaque gravia mala intentata tollunt libertatem. Vi æquiparantur minæ vexationesque quæ gravem incutiunt timorem, seu plerisque, seu contrahenti : imo et preces importunæ ab eo porrectæ qui auctoritate pollet, nonnumquam tollunt eam quæ conjugio necessaria est animi libertatem, quando scilicet cum indignationis, ejectionis e domo, exhæredationis, vel alterius gravis damni periculo conjunctæ sunt. [5] Attamen quum « inter vim et vim sit differentia, » non statim pronuntiandum est conjugium irritum, quod quædam vis fuerit adhibita, sed qualis fuerit in se, et quoad vim passum, considerandum est, et utrum consensus libere deinceps intercesserit. [6] Juste illata vis non obstat matrimonii valori : nam censura ecclesiastica aliquando cogitur sponsus ad promissionem implendam, ducenda

(1) Vide Pii VII. Breve : *Etsi fraternitatis;* ad archiep. Mogunt. anno 1803.

(2) Vide Ritualis Romani compendium, Baltimori nuper editum, adnot. *de sac. mat.*

(3) Dec. S. Inq. 7 Nov. 1830.

(4) Cap. Cum locum, *de Sponsalibus.*

(5) Vide Sanchez, *de Matrimonio*, l. iv. disp. vii.

(6) Cap. De muliere, *de Sponsalibus.*

puella.[1] Judicis civilis sententia carceri mancipatur, qui spe matrimonii puellam vitiavit, nonnisi contracto matrimonio liberandus, quod tamen contractum intra carcerem valet. Canon jubet stupratorem ducere stupratam, perpetuum carcerem renuenti minitans.[2] Proinde valet matrimonium contractum ex metu ne pater vel fratres puellæ, juris ordinem secuti, pœnas illi arcessant. Quod si quis ex metu mortis a propinquis in vindictam inferendæ puellam a se vitiatam duxerit, nulla vi sibi intentata, nullisque minis factis, valet matrimonium : secus si minæ mortis illatæ illi fuerint ad extorquendum consensum. Si patri mortem illaturo ob filiam vitiatam stuprator offerat eam ducere, valent nuptiæ :[3] non ita si pater minetur mortem, nisi eam ducat. Nec refert utrum vis inferatur a propinquis, vel ab alieno : quandocumque enim infertur ad extorquendum consensum n matrimonium, obstat ejus valori. Qui ex morbo, naufragio imminente, vel causa alia naturali oritur metus, ad vim illatam referri nequit, ideoque non impedit matrimonium. Matrimonium ex metu gravi injuste illato irritum, validum fit si pars metum passa, conscia priorem consensum nihil valere, libere deinceps consentiat in copulam, affectu animoque maritali : nam consensus qui deerat sic suppletur : quapropter « invita desponsata, sponte cognita, contra matrimonium non auditur. »[4] Secus si consensus in copulam metu extorqueatur, vel oriatur ex errore, quod scilicet existimet consensum jam datum in matrimonium valere.[5] Habitatio etiam spontanea, absque copula, indicium posterioris consensus habetur :[6] quandocumque copia fuit fugiendi, et conscia fuit se liberam esse a vinculo matrimonii. Cæterum in foro conscientiæ animi dispositio et consilium spectandum est : quæ enim perrexit in domo eadem cum viro morari, absque animo matrimonium ratum faciendi, sed suo apud exteros consulens honori, vim consensui priori non tribuit. Necesse est etiam ut utriusque consensus simul habeatur; si enim qui metum incussit, jam nolit consentire, nullum erit matrimonium : ipse tamen tenetur consentire : nec enim alia superest ratio qua injuriam reparet, si ipsa libere velit.

165. *Ordo sacer* impedit ne valeat matrimonium a subdiacono, vel alio superioris gradus attentatum; hos enim omnes haud idoneos matrimonio ineundo declaravit Ecclesia, et irritum prorsus decrevit esse contractum; hac lege pristinam cœlibatus sacri disciplinam muniens.[7] Apud Orientales nulli diacono, vel superioris ordinis, licet matrimonium inire : sed dubitant nonnulli utrum contractum valeat, Sacris Congregationibus Romanis negantibus.

166. *Ligamen* prioris conjugii facit ut nihil valeat matrimonium priore conjuge vivente contractum. Certitudo mortis prioris conjugis proinde necessaria est ut novum ineatur matrimonium : « Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet quod ab hac vita migravit conjux ejus. »[8] Moralis quidem certitudo sufficit, non tamen probabilis. Testimonia fide digna illam præbent, vel etiam

(1) Cap. Ex litteris, *eodem tit.*
(2) Cap. Pervenit ad nos, *de adulteriis.*
(3) C. Cum locum, et c. Veniens, *de Sponsal.*
(4) Summarium cap. iv. *de his qui accusare.*
(5) Vide Sanchez. l. ii. disp. xxxvi. n. 3.
(6) Cap. xxi. *de sponsalibus.*
(7) Cap. i. *de cleric. conjug.* Cap. unico de voto in 6. et ex Conc. gen. Lat. i. cap. xxi. et Lat. ii. cap. vii. et Trid. Sess. xxiv. can. ix.
(8) Cap. ii. *de secund. nupt.*

aliquando rerum adjuncta : si enim maritus stipendia faciens, e bello non revertatur militibus superstitibus redeuntibus, moralis habetur certitudo eum occisum esse, licet inter defunctorum cadavera corpus ejus non fuerit specialiter agnitum. Quæ indicia mortis derivantur ex diuturna absentia, et silentio, ex moribus qui mortem veluti arcessebant, ex valetudine haud satis firma, ex morbo per tempus aliquod in regione in qua versabatur grassante, vel aliis hujusmodi rerum adjunctis, plerumque non dant nisi probabilem conjecturam, quæ non sufficiunt ut liceat secundas attentare nuptias, etiamsi lex civilis faveat : [1] nam « mors ex aliquo annorum decursu non præsumitur, sed probari debet. [2]

167. *Qui de conjugis morte certior factus* bona fide aliam duxit, non est facile suo dimovendus jure, sed » ad sui pastoris consilium (conscientia levis et temerariæ credulitatis explosa) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. « [3] Si res dubia videatur, debet reddere debitum petenti, ne certo juri quod alter possidet detrahat : sed non debet ipse exigere, ne conscientiam lædat de vita prioris conjugis adhuc dubiam.

168. *Qui dubius de morte conjugis* nuptias contraxit, tenetur rei veritatem investigare, et interim alteri, qui jus ex matrimonio bona fide inito possidet, reddere debitum, uti Pontifex decrevit de homine qui novam duxerat uxorem, de morte conjugis prioris incertus : « Si vero . . . . . . de morte conjugis adhuc existimat sibi dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. » [4] Hinc ait S. Alphonsus : « In dubio de morte prioris conjugis, sive nuptiæ sint initæ cum bona fide, sive cum dubia fide, numquam conjux dubitans petere poterit, nisi de morte prioris conjugis habeatur certitudo, aut saltem tanta præsumptio quæ moralem certitudinem statuat. Alias, si tantum probabilitas de morte habeatur, nequit unquam conjux ille dubitans petere, tum quia tunc remanet probabile periculum injuriæ prioris conjugis, ... tum quia eo casu possidet prius matrimonium, donec constet fuisse solutum. » [5]

169. *Qui mala fide cum alia* contraxit, noscens conjugem esse superstitem, non potest vel reddere, vel petere, quum nullum jus ex hujusmodi tentamine oriatur. Nec refert quod tempore progrediente dubitet, utrum conjux deinceps discesserit : nam matrimonium attentatum morte conjugis nullas acquirit vires. Si uterque mala fide contraxerit, impedimentum criminis inde nascitur ; adeo ut ne quidem post conjugis alterius mortem, conjungi valeant, nisi impetretur dispensatio. Si alteruter fuerit bonæ fidei, conjuge mortua, fit locus novis nuptiis : quæ nisi initæ fuerint, peccat qui petit vel reddit debitum. Dubitatio autem de conjugis morte non facit ut liceat novas inire nuptias, sed certitudo exigitur, uti supra diximus. Qui scienter contraxit cum alia, de qua dubium erat utrum viveret ejus conjux, tenetur ab ea se separare, quin possit ad novas nuptias transire, nisi re eliquata. Qui ignoranter contraxit, et ab ea deinceps ob dubium superveniens se separavit, poterit plerumque liber haberi : priorem scilicet conjugem vivere præsumendum est, donec contrarium constet. Quando contingit

(1) Vide litt. Pii VI. ad arch. Prag.
(2) S. Off. Cong. 22. Junii 1822.
(3) Cap. Inquisitioni, *de sent. excom.*
(4) C. Dominus, *de seq. nuptiis.*
(5) L. vi. n. 906

aliquos his vinculis ligari, et omnem amissam esse spem rei veritatis detegendæ, si præsumptiones mortis conjugis vehementes sint, licebit forsan eos, qui a diuturna consuetudine avelli vix poterunt, conjungere, ut a certo interitu eripiantur.

170. *Si, re investigata, constet* conjugem esse superstitem, nec reddere nec petere licet debitum, etiamsi bona fide matrimonium secundum initum fuerit; nam præsumptio cedit facto, et coitus cum aliqua, conjuge superstite, adulterium est: quapropter « debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. »[1]

171. *Honestas publica* impedimentum dicitur proveniens ex sponsalibus validis, vel ex matrimonio rato, non consummato. Quod ex sponsalibus oritur, haud primum excedit gradum consanguinitatis.[2] Sic non potest vir ducere sororem sponsæ, vel matrem, vel filiam: nec mulier potest nubere fratri, filio, vel patri sponsi. Hoc perstat impedimentum, etiamsi mutuo consensu sponsalia soluta sint;[3] uti declaravit S. C., approbante Alexandro VII. die 6. Julii 1668: nam ob morum honestatem publicam, et decus, ab Ecclesia statutum est. Ex matrimonio rato, licet non consummato, oritur impedimentum ad quartum usque gradum *inclusive*.[4] Impedimentum ex sponsalibus quacumque ratione haud validis sublatum est a Concilio Tridentino: idcirco si post copulam cum quadam, aliquis sorori ejusdem spondeat matrimonium, quum hujusmodi sponsalium valori obstet impedimentum consanguinitatis in primo gradu ex copula illicita, poterit priorem ducere, non tamen secundam. Si præcesserint sponsalia cum sorore ejus, quam postea defloravit, neutram poterit ducere: nam publica honestas vetat ne secundam ducat; consanguinitas ex copula obstat, ne ducat priorem.

172. *Si conditio apposita fuerit sponsalibus*, non inducitur impedimentum ante impletam conditionem; quapropter qui ita sponsalia contraxit, « si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba contraxerit de præsenti, cum secunda remanere debebit. »[5] Attamen rei eventus expectandus foret, ut liceat nuptias inire. *Impedimentum publicæ honestatis perpetuum* est, quapropter post sponsæ mortem, vel professionem religiosam perdurat.

173. *Ex matrimonio quod aliam ob causam quam ex defectu* consensus invalidum sit, oritur honestatis impedimentum. Quod si invalidum sit ob ipsum honestatis impedimentum, non tollit sponsalium præcedentium vim; quæ idcirco implere licebit, si copula haud intercesserit cum consanguinea. « Ex sponsalibus puris, certis, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum et dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonium, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis. »[6] Deficit consensus quando conjugium attentatur inter amentes, furiosos, ebrios, et metu gravi constrictos, ideoque nullum inde oritur impedimentum. Si error respiciat personam, non valet consensus, matrimoniumve. Ex matrimonio clandestino invalido oritur impedimentum honestatis, uti declaravit S. Congregatio.[7]

(1) Cap. Inquisitioni, *de sent. excom.*
(2) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. iii.
(3) Cap. *Si quis*, xxvii. qu. ii. et cap. v. *de desponsat. impub.*
(4) Vide Bullam lxii. Pii V.
(5) Cap. unic. *de sponsalibus.* in 5.
(6) Ibidem.
(7) Vide S. Alph. l. vi. n. 1064.

174. *Amentia impedimentum dirimens* matrimonii est, quatenus qui nescit matrimonii naturam, nequit præstare consensum : quod si quis non adeo desipiat ut eam ignoret, considerandum utrum suæ voluntatis arbitrium habeat : qui enim animi impetu abripitur, sui non compos, non valet se consentiendo ligare ad onera matrimonii; cum propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus. [1] Non tamen necesse est ut animo pacato sit, et ab omni vehementiori motu liber, dummodo suæ voluntatis potestatem vere habeat. Qui lucidis gaudet intervallis, potest consensum validum præstare. Amentia quæ matrimonio contracto supervenit, illud non solvit. Bambergensis Episcopus anno 1809 nullum declaravit matrimonium contractum cum puella quæ insania laboraverat, quamvis ad tempus curata viro nescienti nupsisset, brevi in furorem relapsura : errorem scilicet judicavit Præsul in personam cadere.

175. *Ætas ut valeat matrimonium* ea requiritur qua possint contrahentes coire, et intelligant coitus naturam. Pubertas igitur necessaria est, vel quæ ætas proxima est pubertati, adeo ut malitia, uti dicitur, suppleat ætatem, dum scilicet intellectum et vires generandi habent. Pueri annorum quatuordecim, puellæ duodecim annorum completorum puberes habentur : quod si ea ætate nequeant generare, non facile separandi sunt post conjugium initum, sed ad tempus impotentes censendi erunt. Puer saltem anno decimo octavo perfecto, puella decimo quarto, generandi potentiam habeat oportet : quapropter si ante id temporis post experientiam triennii non habeatur, erit impotentiæ perpetuæ indicium. Senes qui etiam medicorum ope coitum efficere nequeunt, haud sunt capaces matrimonii : secus si possint coire, quamvis nequeant generare. Ætas lege civili statuta, antequam filiifamilias non possunt nuptias inire absque parentum venia, non respicit valorem contractus : quapropter valent matrimonia juniorum ætate, catholicorum, seu acatholicorum, invitis parentibus contracta, sive coram sacerdote, sive coram magistratu, vel præcone, si nullum aliud obstet impedimentum, uti respondit S. Cong. Inquisit. Episcopo Quebecensi die 17 Novembris 1835.

176. *Affinitas* est propinquitas orta ex copula carnali completa, scilicet per se sufficiente ad generationem prolis, sive licita, sive illicita. Oritur inter consanguineos viri et mulierem solam, et inter mulieris consanguineos et virum solum; nam affinitas non parit affinitatem. [2] Nititur conjunctione viri et mulieris, qua fiunt una caro. [3] Dirimit matrimonium ad gradum quartum inclusive, quoties oritur ex copula licita : [4] ad gradum secundum inclusive, si oriatur ex copula illicita.[5] Hinc nemo potest eam ducere cujus cum matre, sorore, amita, nepte vel consobrina copulam habuit completam. Gradus affinitatis computantur ea ratione qua gradus consanguinitatis; adeo ut qui viro consanguineus est primo gradu, vel secundo, eodem gradu affinis sit uxori. Jure ecclesiastico inductum est impedimentum affinitatis, quod tamen quoad gradum primum lineæ rectæ adeo consonat naturæ dictaminibus, ut plures illud naturæ legibus accensuerint. Corinthium novercam suam uxoris loco habentem vehementer re-

(1) Cap. Dilectus, *de sponsalibus et matrimoniis.* (2) Cap. v. *de consanguin.*
(3) Cap. *Porro* xxxv. qu. v.
(4) Cap. viii. *de consanguin.*
(5) Trid. Sess. xxiv. cap. iv. Vide et Bullam lxii. S. Pii.

darguit Apostolus, veluti flagitii gentibus vix auditi reum : sed patrem suum censent plerique adhuc in vivis fuisse : nam memoratur, qui injuriam passus est ; et constat alioquin ethnicos a conjugiis privignorum cum novercis, patribus defunctis, non adeo abhorruisse. Cæterum nunquam dispensatio conceditur in eo gradu.

177. *Incestus cum suis consanguineis* admissus pœnam non inducit : nam jura de eo nil statuerunt ; quapropter qui cum sorore sua vel consobrina concubuit, non privatur jure petendi. Incestus cum consanguineis conjugis non dirimit matrimonium jam contractum, sed privat reum jure debitum exigendi. Innocens potest jure petendi uti, quum non cadat jure suo ob alterius culpam : cui proinde reddere illud reus tenetur. [1] Quæ vim passa est invita, vel qui ad propinquam ex errore accessit, putans eam esse uxorem, non privatur jure petendi, quum nulla sit pœna, deficiente culpa. Quod si peccaverit, metu tamen gravi coacta, non videtur plerisque in pœnam legis ecclesiasticæ incurrere, quum hæc in eos qui sponte peccant lata sit, et proinde non afficiat qui gravi metu coguntur. [2]

178. *Consanguinei conjugum non fiunt affines* inter se : quapropter duo fratres valent ducere duas sorores, pater et filius ducere queunt matrem et filiam ex alio matrimonio : viduus potest ducere viduam fratris uxoris suæ defunctæ.

179. *Contrahitur impedimentum hoc affinitatis*, licet copula habita sit cum invita, ignorante, ebria, amente ; nam oritur ex eo quod una facti sint caro.

180. *Qui ignorat* lege ecclesiastica *vetari coitum cum affini*, non videtur plerisque pœnam contrahere, quia Ecclesia non sibi proponit plectere pœnis nisi eos qui ejus leges scienter violant. Qui ignorat mulierem esse sibi affinem, etiamsi ignorantia crassa sit, dummodo haud crassissima, non censetur pœnam incurrere. Qui pœnam legi adnexam ignorat, aliis videtur ea adstrictus, aliis immunis, quum pœnæ extraordinariæ legibus ecclesiasticis adnexæ vix contrahantur nisi a scientibus. [3]

181. *Seminatio tum feminæ tum maris* nonnullis videtur necessaria ut pœna hæc incurratur : sed ea plerumque censenda est evenisse, quoties vir putat se seminasse intra vas, et mulier simul voluptatem magnam experta est. Imo etsi dubitet vir utrum seminaverit, vel an intra vas, copula præsumitur perfecta. « In foro externo ubi constat de coitu, semper pronuntiandum pro impedimento affinitatis contracto, et sic etiam judicandum in foro interno, quod præsumptioni fori externi conformari debet, semper ac non constat hanc esse falsam. » [4]

182. *Episcopi* ex consuetudine *possunt dispensare* in hoc impedimento, quam facultatem valent aliis delegare : Regulares etiam eam habent ex privilegiis pontificiis.

183. *Clandestina conjugia* semper vetita et illicita habeantur. Conc. Lat. IV. statuit : « Clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis sacerdos talibus interesse præsumat. » [5] Ex lege Tridentina irrita sunt : « Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt ; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit : et hujus-

(1) Cap. iv. et x. *de eo qui cognovit.*
(2) S. Alph. l. vi. n. 1071.
(3) S. Alph. l. vi. n. 1074.
(4) Ibidem, n. 1075. (5) Can. 41.

modi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat. »[1] Attamen valuerunt hujusmodi matrimonia, ante legem qua irrita declarata sunt latam : « Tametsi dubitandum non est, » inquiunt Patres Tridentini, « clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant;.... nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. »[2] Concilii decretum per totam Italiam, et Hispanicam ditionem, Galliarum regnum[3], et Hiberniam, sicut et aliis plerisque in locis promulgatum est : sed nonnisi recentius, a die scilicet 2 Decembris anno 1827, in diœcesi Dubliniensi aliisque nonnullis Hiberniæ diœcesibus.

184. *Decretum hoc publicatum habendum esse in diœcesi S. Ludovici*, eo quod regio illa penes Hispanos Galliosve quondam fuerit, declaravit ejusdem Episcopus Joseph Rosati in Synodo diœcesana, allegans S. Inquisitionis decretum, 9 Septembris 1824 latum. Equidem decretum illud, quod præ manibus impræsentiarum habemus, merito dicit : « Tridentini decreti publicationem ibi præsumendam eam esse, ubi constet decretum illud fuisse aliquo tempore tamquam decretum Concilii observatum ; » illudque observatum aliquando fuisse iis in regionibus dum Gallorum vel Hispanorum subdebantur imperio, ostenditur, tum ex studio Hispanorum pro Concilio, et Gallorum ad matrimonia clandestina impedienda, tum ex defuncti Episcopi Neo Aurelianensis testimonio. Id pro re explorata habendum est : sed ad parœcias olim erectas restringenda hæc putamus : nam Sacra Congregatio de Propaganda Fide in pari rerum conditione anno 1820 decrevit : « Pro incolis diœcesis Quebecensis, qui missionariis, et donec utuntur, non esse locum decreto Concilii Tridentini *Tametsi*, nullo habito respectu majoris vel minoris distantiæ. » Hæc iterum inculcavit S. Cong. S. Inquisitionis decreto 17 Novembris 1835, Episcopo Quebecensi respondens, animadvertitque : « Secus vero de iis incolis affirmandum est, qui in iis locis habitant, ubi sunt parœciæ constitutæ; ibi enim nullo modo a lege Tridentini decreti immunes haberi possunt, ut proinde eorum matrimonia irrita fiant, si nullo teste præsente contrahantur. » Par plane est ratio regionis quæ diœcesibus Neo-Aurelianensi, Mobiliensi, S. Ludovici, et Detroitensi continetur : ad solas quippe antiquas parœcias disciplina illa referri videtur : sed et in novas induci deinceps potuit ; nequaquam vero in missionibus, quales omnes fere sunt, viget. Sic etiam Episcopo S. Ludovici responsum est.

185. *Ut locum habeat disciplina Tridentina*, parœcia sit necesse est, et parochus ; nam S. Alphonsus animadvertit : « Si non possit in aliquo oppido haberi pastor, aut alius gerens ejus vices, tunc validum est matrimonium initum cum testibus sine parocho. Et probabile id putant Salmanticenses, propter quamdam declarationem Clementis VII. apud Coninck, quia tunc vel non adest ibi parochia, vel ibi non durat promulgatio Tridentini, quamvis facta fuerit ; destructa etiam parochia, censetur destructa promulgatio quoad ejus valorem. »[4]

(1) Sess. xxiv. cap. i. *Decr. de ref. Matr.*
(2) Ibidem.
(3) Vide probationes apud Carrière *de Matrim.* t. ii. p. iii. §. ii. c. iii. p. 413. (4) L. vi. n. 1079.

Id igitur pro certo habemus, legem Tridentinam ad ea arctari loca in quibus parœciæ erectæ sunt, vel ecclesiæ instar parochialium, apud quas sacerdos actu residet, curam gerens animarum intra designatos limites: non autem respicere ecclesias quæ rure et in missionibus passim erectæ sunt, a sacerdote aliunde veniente visitandam. Cæterum opus non est ut jura omnia parochi habeat sacerdos; sed satis est ut prope Ecclesiam commorans, parochi instar, curam animarum gerat, prout respondit S. Sedes 17 Maji 1804 de Hollandiæ sacerdotibus.[1]

186. *Quod attinet ad matrimonia quæ inter hæreticos* ineuntur, in locis ubi publice exercent suam religionem, et cœtibus distinctis congregantur, lege Tridentina non comprehenduntur; quapropter valent nuptiæ hujusmodi absque parochi præsentia, etiam in locis in quibus disciplina Tridentina recepta est, ubicumque declaratio Benedicti XIV. hac in re locum habet. Pro Hollandia et Fœderato Belgio, die 4 Novembris anno 1741, declaravit Pontifex valere matrimonia hujusmodi, etiam non servata forma Tridentini; quam declarationem ad totam diœcesim Neo-Aurelianensem, quæ tunc Floridas, Louisianam superiorem et inferiorem, aliasque provincias complectebatur, extendit Leo XII. decreto 9 Septembris 1824. Ad Canadas etiam extensa est, et per se valet ubicumque hæretici distinctos habent cœtus. Equidem constat Patres Tridentinos legem ita tulisse, ut hæreticorum cœtus jam ab Ecclesia divulsos non respiceret, nolentes idcirco eam in unaquaque parœcia vim obtinere, nisi promulgatione in ea facta. Hoc igitur clandestinitatis impedimentum ad hæreticos seorsim convenientes in locis ubi grassantur hæreses, non est extendendum. Mixta matrimonia, catholici scilicet cum hæretica, vel e contra, a lege Tridentina etiam eadem declaratione eximuntur. Hinc Pius VII. renuit declarare irritum matrimonium quod Hieronymus Bonaparte cum puella protestantica Patterson Baltimori inierat, coram Joanne Carrol Antistite Baltimorensi, licet instaret Imperator Napoleon, ejus frater, nixus disciplina Tridentina, quæ servata non fuerat. Pro certo et indubitato habuit Pontifex legem illam non obtinere, quia lex nunquam fuit promulgata.[2] Id igitur extra omnem aleam dubitationis positum est, hæreticorum nuptias ubique in hac regione valere, quoties non obstat canonicum aliud impedimentum, sicut et catholicorum cum iis conjugia: nam immunitas a lege qua hac ex parte gaudet hæreticus, catholico secum contrahenti communicatur, uti docet Benedictus XIV.

187. *In locis ubi promulgata est lex Tridentina, parochus* alterutrius sponsi vel alius sacerdos, ex ejus venia, vel Episcopi auctoritate, adesse debet ut valeant nuptiæ; nec enim quilibet sacerdos sua præsentia eas firmat. Nil interest ad valorem, utrum viri vel mulieris sit parochus, qui etiam potest in aliena parœcia nuptiis adstare, si alteruter e sponsis suus parochianus sit: nequit tamen solemnem in Missa pro Sponsis benedictionem extra suam parœciam, absque venia parochi loci, dare; gravis enim foret muneris alieni usurpatio.[3] Si parochus nequeat omnino haberi, uti grassante persecutione facile contingit,

(1) Vide et Barbosam *de off. et pot. ep.* II. alleg. xxxii. n. 115.

(2) Carrière *de Mat.* Vol. II. p. 1216. Vide et Artaud, *Hist. da Pape Pie VII.* t. ii. c. vi.

(3) S. Alph. l. vi. n. 1087.

sacerdos alius catholicus adeundus est, si detur copia, uti declaravit Pius VI. in Resp. 22 Aprilis 1795, de Galliarum rebus interrogatus : utrum autem valeant nuptiæ, si negligatur, in quæstionem vocatur, affirmantibus favente Carrière.[1] Deficiente copia sacerdotis, si contractum sit matrimonium civiliter coram magistratu, quæsitum est utrum conveniat ut benedictio postea suppleatur, responsumque, « fideles hortandos esse ut cum sacerdotis copia haberi possit, ab eo benedictionem petant ; qui tamen illis declarabit hujusmodi benedictionem ad validitatem matrimonii minime pertinere. »[2]

188. *Quoties contingit sacerdotis operam* a Catholicis temere *negligi*, et præconem hæreticum adiri ad contrahendum matrimonium, in locis in quibus Tridentina disciplina non viget, non est iis facile indulgendum ut benedictio detur, vel ritus sacer peragatur, quo se indignos præstiterunt; nam Benedictus XIV. testatur nullam ab Ecclesia solicitudinem demonstrari ut ritus sacri suppleantur, matrimonio valide contracto.[3] Multo minus licet consensum exigere, vel excipere, quæ ratio agendi errori faveret, quasi contractus foret invalidus. Quod si veræ pœnitentiæ indicia exhibuerint, et scandalum reparaverint, poterunt ritus suppleri, nisi Præsuli aliter visum fuerit.

189. *Episcopus*, *utpote totius gregis pastor*, potest ubique in diœcesi sua præsentia firmare conjugia : quod et valet Vicarius ejus generalis, etiam contra vetitum Episcopi, qui vix debet vel Vicario generali vel parochis hoc munus prohibere. Parochus excommunicatus, etiam vitandus, irregularis et suspensus, potest adstare nuptiis : nam nullam exercet jurisdictionem, sed tantum adstat tamquam testis : peccare tamen videtur extra necessitatem communicando in rebus sacris cum fidelibus, præsertim si id muneris ob speciales causas vetuerit Episcopus.

190. *Parochus debet ita adesse* ut testari possit nuptias iniri : si enim prorsus id ignoret, jam non censetur testis auctorizabilis sustinere partes : quod si affectet ignorantiam, et invitus adsistat, valent nihilominus nuptiæ, licet ipse nullum peragat ritum, nilque faciat quo assentiat rei gestæ : prout olim S. Congregatio Concilii, anno 1581, respondit Episcopo Giennensi, et anno 1835 S. Cong. Inquisitionis Episcopo Quebecensi. Graviter autem peccant contrahentes coram parocho invito ; nam Sacramentum indigne tractant, et Ecclesiæ ministro fraudem et injuriam faciunt : excusandi autem videntur, si, quod absit, suam operam deneget injuste, vel sacra auri fame.

191. *Testes duo saltem*, pariter ac parochus, ad valorem matrimonii, juxta legem Tridentinam, requiruntur. Si parochus legitimus adiri nequeat, præsentia testium adhuc est necessaria, adeo ut, iis deficientibus, irritum prorsus sit, prout declarat Pius VI.[4] Testes debent quid agatur nosse ea ratione qua valeant id deinceps probare. Valida et licita sunt matrimonia ita contracta, prout declaravit Pius VI.[5]

192. *In plerisque Statibus Fœderatis* nullum est vestigium legis Tridentinæ promulgatæ ; quapropter valent nuptiæ solo contrahentium consensu, absque parochi, vel sacerdotis alius præ-

(1) *De Mat.* t. ii. par. iii. § ii. c. iii. n. 1209.
(2) Resp. Cong. pro negotiis Eccl. Gall. 22 Aprilis. 1795.
(3) *De Syn. Diœc.* l. viii. c. xiii.
(4) Vide *Brefs de Pie VI.* t. ii. p. 468.
(5) Ad Ep. Lucionens. die 28 Maji 1792.

sentia, vel testibus; uti colligere est ex S. Cong. Inquis. responsis sæpius laudatis ad Episcopum Quebecensem. Ex vetustissima tamen Ecclesiæ consuetudine nuptiæ sunt coram sacerdote ineundæ, cujus officium prætermittere peccatum est mortale. Testes etiam adhibendi sunt : sed eorum omissio, si opus sit celare nuptias, nulla videtur culpa. Occulta aliquando matrimonia permittuntur, *conscientiæ* dicta, quæ memorat Benedictus XIV, Constitutione : *Satis vobis compertum;* quæ tamen celebrantur coram parocho et testibus privatim, et sub arcano.

193. *De vagis* Concilium Tridentinum *parochis* præcipit, « ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » [1] Ut lex hæc sapientissima executioni demandaretur, S. Congregatio Inquisitionis die 21. Augusti 1670 decrevit : « Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant esse liberos, per fides Ordinariorum suorum, servata forma Tridentini in c. Mul. vii. Sess. xxiv. Fides aliaque documenta, non admittantur nisi munita sigillo, et legalitate Episcopi ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum. Et attente consideretur quod fides et testimonia bene identificent personas de quibus agitur. » In hac regione, in quam ex omni fere orbis parte confluunt in dies homines, ex alia in aliam provinciam etiam migrantes, lex illa vix executioni demandari valet. Plerumque non suppetit aliquod liberi status documentum, nec ratio habetur illius noscendi, præter ipsorum contrahere volentium affirmationem juratam, vel aliorum qui eos norunt testimonium. Si satis de eo constet, cavendum præterea ne alterius subditi conjungantur : nam sacerdos, sive Regularis, sive sæcularis, conjungens alienos parochianos, incurrit in suspensionem : quamdiu Ordinario parochiæ visum fuerit. [2]

194 *Milites in expeditione* possunt coram capellanis suis vel parochis contrahere; in hybernis, vel æstivis, vel dum sunt in præsidiis, coram parocho contrahunt. Alienigenæ in carceribus detenti nequeunt contrahere. Ægris in hospitalibus contrahere non conceditur, nisi urgeat necessitas, qua occurrente, conjungi possunt, quin liceat illis coire, nisi status liber probetur. Puellæ expositæ quæ degunt in conservatoriis, coram parocho loci, non vero coram capellanis, contrahunt. Quæ degunt in monasteriis educationis causa debent contrahere coram parocho domicilii paterni, materni, vel fraterni, si adsit; secus coram parocho loci in quo est monasterium.

195. *Matrimonium* non valet *clam contractum* in loco ubi viget decretum Tridentinum, ab iis qui ibi forsan versantur, domicilium habentes in loco ubi non viget : nam lex loci obtinet in contractibus. Qui in fraudem legis exeunt e loco in quo viget, non valent contrahere in loco alio : secus si non exierint fraudis consilio. [3] Licet autem domicilium mutare, animo ibi contrahendi matrimonii : nam jure suo quis utitur. Hinc S. Cong. Inquisitionis de Catholicis e Canadæ regionibus ad Status Fœderatos se conferentibus, ut legem Tridentinam evaderent, respondit Episcopo Quebecensi, matrimonium ab iis in hisce provinciis initum coram magistratu

(1) Sess. xxiv. *De Ref.* c. vii.

(2) Conc. Trid. Sess. xxiv. de Ref. c. 1.

(3) Ex decr. S. C. die 14 Augusti 1627.

civili « ratum, si conjuges transferant etiam domicilium; irritum, si primum domicilium retineant. »[1] Quasi domicilii jus acquiritur si spatio unius mensis antequam contrahant, ibi manserint, [2] cum intentione manendi per majorem anni partem: si autem ibi habitent animo manendi perpetuo, statim primo die acquirunt domicilium. [3]

196. *Parocho nullatenus licet sua præsentia sancire* conjugia quæ novit irrita esse ratione impedimenti, licet occulti, dummodo illius notitia ex confessione non derivetur: nam operam et favorem plane præstaret rei malæ, haud sine sacramenti matrimonii, quod contrahentes frustra attentant suscipere, injuria. Licet tamen aliquando ob majus malum vitandum adstare valide contrahentibus in peccato.

197. *Matrimonia catholicorum coram magistratu civili*, vel præcone hæretico contracta in locis in quibus decretum Tridentinum promulgatum est, non valent: in cæteris locis valent. In locis ubi lex civilis id exigit, excusantur catholici legi obtemperantes, dummodo actum mere civilem facere sibi proponant, et nuptias vere ineant coram sacerdote: intelligere, scilicet, debent, « juxta ea quæ tradit Benedictus XIV. in suis litteris: *Redditæ sunt nobis*, ad P. Paulum Simonem a S. Joseph datis 27 Septembris 1746, nullum a se contrahi matrimonium per eum quem coram magistratu civilem actum emittunt. » Ubi lege civili præsentia magistratus, vel ministri hæretici non exigitur, peccant graviter Catholici se temere coram iis sistentes conjungendos: nam violant antiquam legem Ecclesiæ ex more constanti manifestam, qua coram sacerdote conjugia ineunda præcipiuntur: excusantur autem qui coram magistratu contrahunt, ut publice constet, quandocumque nulla est copia sacerdotis, nec brevi futura est.

198. *Nunquam excusantur qui coram præcone hæretico* contrahunt: nam quum lex eum non constituat necessarium testem, liquet eum tamquam ministrum addictum sacris adiri, quod nunquam fieri absque mortali peccato colligitur ex decreto S. Cong. Sacri Officii die 29 Novembris 1672: interrogata enim de Catholicis legi obtemperantibus respondit: « Quatenus minister assistat matrimoniis catholicorum, uti minister politicus, non peccare contrahentes: si vero assistat, ut minister addictus sacris, non licere, et tunc contrahentes peccare mortaliter, et esse monendos. » Hinc novissimus auctor Scavinius scribit: Non licet contrahere coram ministro hæretico, qui assistat ut minister religionis, etsi ante vel post contrahatur ritu Catholico: contrahentes enim testarentur tali cæremonia, se cognoscere hæreticum illum ut veræ fidei ministrum, quod est intrinsece malum et hæresim sapiens. [4] Nec excusationis loco habendus est mos quod puella licet acatholica ministrum eligat: nam consuetudo hujusmodi non potest Sacramenti sanctitati et legi Ecclesiæ præjudicium afferre. Sic nec incommoda ex parentum et propinquorum partis acatholicæ voluntate neglecta oritura, etiam gravissima, efficiunt ut liceat catholico uti opera præconis hæretici: nam quum id

(1) Inst. 17 Nov. 1835.

(2) Ben. XIV. resp. Arch. Goano, 19 Martii 1758. Bull. t. iv. app. p. 286.

(3) Scavini Theol. Mor. tom. iv. tract. xii. disp. iii. c. ii. art. iv.

(4) Joannes Carroll, Antistes Baltimorensis, consultus a Quebecensi, 8 Aprilis 1801. respondit: « Nous faisons crime aux Catholiques de se faire marier même avec un protestant devant un ministre protestant. »

apud nos non fiat ex legis necessitate, nullam aliam hic gerit personam quam ministri sacris addicti, qui agnosci nequit ad incommoda quæque vitanda. Nec labem vitat, qui matrimonium prius contrahit coram sacerdote, postea coram ministro hæretico, ut sponsæ propinquis gratificetur : nam illicitum est hujus ministerium ullatenus agnoscere : et novus ritus cum sacramenti injuria proficitur.

199. Quandocumque *contingit nuptias coram præcone hæretico*, vel magistratu iniri, nullo obstante impedimento, conjuges reconciliandi sunt Ecclesiæ in tribunali pœnitentiæ, nisi Præsul censuram delicto affixerit. Pius VI. in litteris ad Cardinalem Archiepiscopum Mechliniensem [1] agit : « An contrahens catholicus, postea volens sacramentorum particeps fieri, ad ea debeat admitti ? Ad quod dicimus, dum idem ille demonstrabit pœnitere se peccaminosæ suæ conjunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem conjugis hæreticæ, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa, et reparaturum se scandalum, aliis fidelibus datum. Cæterum si censuram contraxerit vi statuti diœcesani, licentia Præsulis ad eum absolvendum erit necessaria. »

200. Ex his quæ de immunitate hæreticorum ab impedimento clandestinitatis diximus, *ne putet quispiam eos ab omni impedimento canonico immunes esse ;* specialis enim fuit Patrum Tridentinorum hac de re providentia, ne incerta plerumque vel nulla forent eorum conjugia. Cæterum plerique theologi existimant alia impedimenta omnes adstringere qui baptismo initiati sunt, quod et probat constans agendi ratio apud S. Sedem recepta. Equidem conceditur Episcopis facultas dispensandi cum hæreticis ad fidem conversis in quibusdam gradibus consanguinitatis, quod superfluum foret, et inane, si ipsi legibus, quæ ea irrita faciunt conjugia, non tenerentur. Declaravit insuper Benedictus XIV. valeri matrimonia hæreticorum in Hollandia, non servata forma Tridentina, « dummodo aliud non obstiterit impedimentum canonicum; » quod ostendit eos ab hisce non esse immunes. Rem ex professo illustravit de Judæo qui duxerat mulierem protestanticam, agens, inter quos conjugium subsistere negavit, quum obstaret cultus disparitas. [2] Gregorius XVI. etiam declaravit matrimonium quod Anglicanus cum Anabaptista haud baptizata inierat nullum esse. [3] Si contigerit converti ad fidem qui intra gradus prohibitos conjuncti sunt, dispensatio quærenda erit, et opportune danda.

201. *Impotentia* est naturale matrimonii impedimentum in iis qui nequeunt coire modo generationi per se idoneo. « In matrimonio, » ait S. Thomas, « est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum. Unde sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare, vel facere : ita non est conveniens matrimonio contractus, si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit. » [4] Alia est impotentia *absoluta*, qualis est ejus qui cum nulla coire possit modo generationi apto, uti contingit homini utroque testiculo carenti, vel utrumque habenti contusum, vel feminæ, quæ caret utero : alia dicitur *relativa*,

(1) 13 Julii 1782.

(2) Vide epist. ad Cardinalem Eboracensem die 9 Februar. 1749. Vide plura apud Carrière, *de mat.* tom. i. num. 601.

(3) S. Cong. Inq. die 20 Julii 1840.

(4) Suppl. iii. p. qu. lviii. art. i. *Resp.*

quæ est impotentia coeundi cum quadam, quæ ex diversa vasum magnitudine plerumque oritur. Alia est *perpetua* quæ nequit tolli absque miraculo, vel peccato, vel vitæ gravi discrimine: alia *ad tempus* durat, qualis est juniorum, vel morbo quodam impeditorum. Alia antecedit matrimonium, qualis est eunuchorum ex matris utero: alia subsequitur, qualis est eorum qui ab hominibus exsecti sunt post conjugium, ad ulciscendam injuriam, vel quibus lue venerea et tabe virilia peresa sunt. Ex naturæ igitur conditione, morbo, vi illata, et casu homines quidam impotentes sunt: sed et malis quorumdam artibus, dæmoniaca utentium opera, adscripserunt veteres eam corporum conditionem.

202. *Maleficium hac in re dicitur ars* dæmoniaca qua homines qui natura sunt capaces coitus, impotentes fiunt, adeo ut coire nequeant: quod contingere censetur vel quoad quasdam, vel quoad omnes. Irrident plerique hanc dæmonum potestatem, quam tamen agnoscit S. Thomas: « Quidam dixerunt, quod maleficium nihil erat in mundo, nisi in æstimatione hominum, qui effectus naturales, quorum causæ sunt occultæ, maleficiis imputabant. Sed hoc est contra auctoritates sanctorum, qui dicunt quod dæmones habent potestatem supra corpora, et supra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur: unde et per eos malefici aliqua signa facere possunt. Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis, sive incredulitatis; quia non credunt esse dæmones, nisi in æstimatione vulgi tantum. »[1] Ex *maleficio* impotentia provenire censetur; quando « conjuges excitantur ad copulam cum aliis, et inter se frigescunt, vel a coitu abhorrent, (esto alias se diligant,) tunc si maleficium nequit tolli intra triennium remedio humano, nec orationibus, aut exorcismis, impotentia censetur perpetua, et dirimit matrimonium. »[2] Cæterum non facile est credendum maleficium patratum esse; sed aliæ impotentiæ causæ exquirendæ.

203. « *Si impotentia* provenit *ex frigiditate*, tunc quando conjuges ob hanc causam omnino perficere nequeunt copulam aptam ad generationem, post experientiam triennii, nullum est matrimonium. Idem procedere communissime aiunt doctores si ob nimiam caliditatem vir semper seminet extra vas, antequam possit penetrare. »[3] « Caliditas superflua, » inquit S. Thomas, « vix potest esse impedimentum perpetuum: si tamen inveniretur, quod per triennium impediret carnalem copulam, judicaretur perpetuum. »[4] Censet S. Alphonsus vix esse de ea causa separandos, quum fervor, ætate progrediente, decrescat. Abominatio viri erga mulierem quamdam, si ejusmodi sit ut nequeat excitari ad copulam cum ea, licet excitetur erga alias, potest impotentiam relativam inducere: sed triennii experientia datur.

204. *Proportionis vasum defectus* impotentiam constituit, quando scilicet vas viri vas feminæ penetrare nequit. Si femina possit fieri coitui idonea incisione quæ fiat absque vitæ vel morbi periculo, valet matrimonium: quod si incisio fieri nequeat absque vitæ discrimine, non valet. Dubreyne hymen, seu pelliculam incidendum fatetur, sed negat vaginæ os incidi posse. Si contingat separari conjuges, eo quod mulier sit nimis arcta, quæ alii simili deinceps nubens ab eo cognoscatur, si inde liqueat eam posse a priori

(1) Suppl. iii. p. q. lviii. art. ii. *Resp.*
(2) S. Alph. l. v. n. 1096.
(3) Ibidem.
(4) Suppl. qu. lviii. art. i, ad 2.

cognosci, nuptiæ priores validæ habendæ erunt, et mulier marito restituenda. Cæterum utriusque viri similitudo, vasumque proportio consideranda erit, ut cognoscatur utrum potuerit puella absque vitæ periculo viro priori aptari. [1]

205. *Quandocumque impotentia certa est et manifesta*, matrimonium statim habendum est nullum, et contrahentes separandi sunt; [2] nec enim licet aliquid nuptiarum nomine tentare, quando nuptiis ineundis noscuntur impares. Ea separatio non indiget Præsulis auctoritate, quamvis ad vitanda plurima incommoda, expetenda plerumque sit. Si ante matrimonium dubia sit impotentia, peccat graviter qui dubitatione manente matrimonium init: nam temere exponit sacramentum discrimini, et alteri facit injuriam. Si probabile sit se esse potentem, excusant eum plures, dummodo moneat alterum rei dubiæ, ne invitæ fraudem faciat: putant scilicet sacramento non fieri injuriam, dum ministratur ex probabili opinione valoris, urgente ratione adeo gravi, quod alioquin cœlebs mansurus sit perpetuo. Post matrimonium datur triennium experientiæ, per quod licent omnes conatus ad copulam, etiamsi semen extra vas effundi contingat: nam jus decernit: « ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas probari non possit, cohabitent per triennium. » [3]

206. In foro externo *si uterque affirmet impotentiam*, nullo, ut videtur, fraudis consilio, post triennii experientiam juramentum de ea præstari debet ab utroque, septemque propinqui aut vicini ex utraque parte jurati testantur se ita audivisse, vel credere utrique referenti. Si alteruter neget, triennii experientia habita, inspectio judicis auctoritate solet præcipi, ut medici de viro, obstetrices, vel matronæ aliæ, de muliere referant. Congressus experimentum quod alicubi olim dabatur accersitis testibus, veluti turpissimum rejicit S. Alphonsus: quod et tribunal Gallicum 28 Februarii 1677 penitus proscripsit. Si veritas adhuc dubia sit, viro affirmanti potius credendum est. « Si vir dixerit quod uxorem suam cognoverit, et mulier negaverit, viro fides est adhibenda, si id firmaverit juramento. » [4] In dubio utrum matrimonium consummatum fuerit, præsumitur fuisse consummatum, nisi oppositum probetur. In foro interno cuique fides datur.

207. *Quando constat aliquem esse impotentem*, dubitatur autem utrum impotentia præcesserit matrimonio, probabilius censent nonnulli habendam esse antecedentem; præsumitur enim esse naturalis ejus conditio, nisi aliquid suadeat eam post matrimonium evenisse, uti si morbus gravis ei contigerit, vel testiculi contusi casu videantur. Quod si constet impotentiam præcessisse matrimonio, et esse absolutam et perpetuam, separari debent: non enim sunt veri conjuges. Indulgeri quidem potest aliquando ut simul habitent, ne cum nimia verecundia impotentia innotescat; sed id nunquam permittendum dicit S. Alphonsus post Merbesium, nisi sint senes. [5] Nullatenus poterit iis permitti ut tactus impudicos habeant, vel alias conjugii juribus utantur: quod si ob paupertatem, et ad celandum suum dedecus, eodem utantur lecto, tunc tantum licebit, quando abest periculum libidinis; quod abesse forsan poterit: plerumque enim alter alterum

(1) C. Fraternitatis, §. Similiter. *de frigid.*
(2) C. i. de frigidis. Accepisti.
(3) C. Laudabilem, *de frigid.*
(4) C. Continebatur, *de desp. imp.*
(5) L. vi. n. 1101.

aversatur ob naturam parum aptam coitui. Impotentia quælibet superveniens matrimonio non illud dirimit, etiamsi consummatum adhuc non sit; nam vinculum est perpetuum, et « factum legitime retractari non debet, licet quid postea eveniat a quo non potuit inchoari. » Igitur qui vi exsectus est, vel alias impotens factus, non desinit maritus esse, licet jure conjugii uti nequeat. Tactus et aspectus haud graviter iis vetiti videntur, si periculum pollutionis absit; sunt enim veri conjuges.

208. *Hermaphroditi dicuntur* qui lusu quodam naturæ utriusque sexus vasa habent. Hi contrahere valent juxta sexum qui prævalere videtur; vel si res sit dubia, juxta alterutrum, in quo tamen constanter durare debent. Dubreyne contendit ex vitio conformationis nonnullos tales videri, qui tamen unius tantum sexus revera sunt.

209. *Raptus* impedimentum a Concilio Tridentino his verbis statutum est: « Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit; eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et, si clerici fuerint, de proprio gradu decidant.... teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.»[1] Raptus nomine intelligitur violenta abductio mulieris ad ineundum cum ea matrimonium. Equidem Carrière censet abductionem e loco ad locum non necessario requiri: « Si quis enim puellam extra domum paternam sibi occurrentem, in eo loco detineat, nullus dubitat quin sit raptus dirimens matrimonium..... Pariter..... si puella in propria domo obsideatur, ita ut exire non valeat, adest vere raptus, quia censetur esse in manu ejus cujus satellites domum obsident.»[2] Cæterum quum theologi plerique motum e loco in locum exigant, qui etiam ipsa voce significari videtur, theologo erudito assentiri dubitamus, putamusque aliunde infirmandum esse matrimonium: v. g. ex vi illata, metuque incusso; quandocumque motus violentus e loco non ostenditur evenisse. Necesse autem non est ut magnum sit locorum intervallum, sed sufficit ut de domo in domum sit, vel saltem in locum separatum: non vero de uno in aliud cubiculum.

210. Raptum intelligi voluerunt plerique jurisconsulti Gallici seductionem puellæ e domo paterna, ejusque abductionem, invitis parentibus, ipsa licet consentiente, prout in canone VI. Concilii Ravennatensis sub Joanne VIII. qua ratione impedimentum e defectu consensus parentum, quod frustra conatus est rex Christianissimus per legatos patribus Tridentinis probandum suadere, inducere studuerunt; sed Concilii verba hujusmodi fugam spontaneam non respiciunt, quum non exigant ut puella parentibus restituatur, antequam consentiat: quapropter Carrière cogitur fateri impedimentum in Galliis ultra decretum Concilii extensum:[3] quod nequaquam fieri potuisse existimamus. Si rapiatur mulier libidinis explendæ causa, nil obstat, quin, novo assumpto consilio, qui vim intulit eam ducat: nam Concilium libertati mulierum in ineundo matri-

(1) Ses. xxiv. cap. vi. *de Ref. Matr.*

(2) *De Mat.* l. ii. n. 906. (3) Ibid. n. 915.

monio voluit providere, tollenda ejus spe ei qui invitam ducere vellet : sed non ideo abstulit rationem qua sibi consulat mulier vim passa : quapropter S. Congregatio Concilii 25 Januarii 1583 censuisse dicitur « raptorem ob aliam causam, quam ut raptam in uxorem duceret, non comprehendi in Cap. vi. Sess. xxiv. de Ref. matr. » [1] Quod autem ait Carrière, non valere matrimonium quando rapta illud init ut minus malum, ut se liberet a majori, [2] stare non potest; nam Concilium satis habuit ut sua voluntate libere consentiret, etiamsi infortunio et abductione eo determinari videretur. Ut raptus sit impedimentum, necesse non est ut mulier violata fuerit : si enim vi abducta sit causa matrimonii, hoc nequit iniri, nisi ipsa libertati restituta. In loco libero et tuto constituta poterit consentire in matrimonium : qua ratione nullum amplius est impedimentum, sed raptor ejusque fautores excommunicatione ipso jure irretiti manent. Aliæ etiam manent eos pœnæ, judicis tamen sententia decernendæ.

211. *Qui sponsam sibi obligatam vi rapit* invitam, impedimento hoc, instar aliorum, detinetur : nam sponsalia non dant jus ad vim inferendam, ipseque vere dicitur raptor, juxta obviam vocis significationem.

212. *Mulier vi rapiens hominem* ex matrimonii consilio non incurrit impedimentum : nec enim jus rem adeo raram respicit. Galli tamen suis consuetudinibus decretum Tridentinum hac etiam ex parte ampliare voluerunt, quod nulla inclytæ gentis invidia notamus : sed dolentes jus quoddam speciale ultra vim verborum hac tota in materia inde enatum, contra tribunalium Romanorum interpretationem, et theologorum consensum. [3]

CAPUT VI.

DE DISPENSATIONIBUS.

§. I. Quinam possint dispensare.

213. Quandocumque *valor matrimonii in quæstione ponitur*, si probabilis doctorum sententia ei suffragetur, Ecclesia præsumitur dispensare, quatenus opus sit, propter bonum animarum, tollendo scilicet impedimento ecclesiastico, si forte adsit : sed in jure naturæ nil innovare potest, ideoque si opinio probabilis illud respiciat, dispensationi non est locus. Quod si impedimentum noscatur adesse, dispensatio quærenda erit.

214. *Dispensatio nulla dari potest* a quocumque, etiam a Summo Pontifice, ab impedimentis quæ jure naturæ, vel divino, matrimonio obstant ; qualia sunt error, amentia, consanguinitas in quocumque gradu lineæ rectæ, et in primo gradu lineæ transversæ, ligamen, impotentia. Potest tamen « in aliquo casu urgentissimæ necessitatis declarare esse validum matrimonium, non obstante impedimento quod probabiliter de jure naturæ illi obstet. » [4] Attamen contigisse dicitur, quod frater et soror nescientes se esse consanguineos, conjuncti sint, quos, quum separari non possent absque gravissima infamia, et alioquin bona essent fide, propinquitatem haud suspicantes, in bona sua fide relinquendos visum est. Affinitas in primo gradu lineæ rectæ multis videtur dispensationem non admittere.

(1) Vide et S. Alph. l. vi. n. 1107.
(2) *De Mat.* t. ii. n. 912.
(3) Carrière *De Mat.* t. ii. n. 910.
(4) S. Alph. l. vi. n. 1120.

215. *In omnibus impedimentis quæ ex jure ecclesiastico* oriuntur Pontifex dispensare valet, uti summo consensu agnoscunt theologi catholici. [1] Episcopi singuli non possunt jure proprio ab his dispensare; leges enim generales Ecclesiæ solvi nequeunt passim a singulis Præsulibus, quin ordo et disciplina turbetur, et legum frangatur vis et auctoritas : ideo « lex superioris per inferiorem tolli non potest. » [2]

216 *Si impedimentum occultum reperiatur post matrimonium* bona fide contractum in facie Ecclesiæ, præmissis denuntiationibus, et separari nequeant conjuges absque scandalo, vel gravissimo damno, et facilis non sit recursus ad Pontificem, plerique theologi censent Episcopum ex præsumpta Pontificis voluntate, dispensare posse. Quod si per epistolam obtineri brevi possit dispensatio pontificia, in bona fide relinquendi erunt, donec habeatur. Si impedimentum occultum, quale est plerumque copula illicita cum consanguinea sponsæ, reperiatur ante matrimonium, iis in rerum adjunctis in quibus mora afferret magnum scandalum vel detrimentum : « puta si alias immineat periculum mortis, vel si matrimonium sit necessarium ad legitimandas proles, vel ad vitandam feminæ infamiam aut alia damna : » [3] plures censent Episcopum posse dispensare : sed vehementer negat Benedictus XIV. id licere unquam de impedimentis publicis; quum haud sine Pontificiæ auctoritatis dispendio potestas dispensandi ab inferiore Præsule usurparetur. [4] Qui scienter contrahunt, impedimento posthabito, spe dispensationis cadunt; quapropter Episcopus nequit dispensare cum eis ex præsumpta Pontificis voluntate; repugnat enim Canon Tridentinus, quo spes dispensationis aufertur scienter contrahentibus matrimonium in gradu prohibito : « Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendæ careat... non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. » [5] Episcopi extra suas diœceses versantes possunt per litteras dispensare cum suis subditis in diœcesi manentibus : pertinet enim ad jurisdictionem voluntariam. Porro censentur adesse ubi documenta suo sigillo munita [6] habentur.

217. *In impedimentis impedientibus* dispensant Episcopi ex consuetudine, exceptis votis castitatis perpetuæ et ingrediendi religionem, in quibus etiam Episcopi harum regionum ex speciali indulto dispensare valent. In hæreticorum cum catholicis nuptiis etiam nostrates ex eadem speciali venia dispensant, conditionibus tamen appositis : nec enim aliter licet. [7] Datur facultas eodem indulto dispensandi super tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio, et quarto mixtis, et in secundo solo quoad præterita matrimonia cum conversis ad fidem; et etiam pro quibusdam casibus super secundo, dummodo nullo modo attingat primum : sicut etiam pro aliquibus casibus super primo affinitatis gradu ex copula illicita per lineam collateralem sive rectam resultantis, dummodo nullum subsit dubium, quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium

(1) Vide Carrière t. ii. n. 1063.
(2) Clem. Cap. *Ne Romam*, ii. *de elect.*
(3) S. Alph. l. vi. n. 1120.
(4) *De Syn. diœc.* l. vii. c. xxx. et xxxi.
(5) Sess. xxiv. cap. v. (6) S. Alph. l. vii. n. 81.
(7) Carrière *de mat.* t. ii. n. 758.

genita : insuper super impedimento cognationis spiritualis etiam inter levantem et levatum, et super disparitate cultus, gravibus tamen de causis in singulis casibus in quibus dispensandum erit : et super impedimento publicæ honestatis, justis ex sponsalibus proveniente : et super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum. Quæritur si una pars tantum convertatur ab hæresi altera pertinaci, utrum valeat dispensatio dari vi facultatis pontificiæ ? S. Cong. Concilii de matrimoniis in hæresi contractis, quorum valori obstabat canonicum impedimentum, Episcopum instruens Rosnaviensem, dixit : « Recte intellexisti dispensationem, altero tantum converso, altero in hæresi permanente, a te dari non posse. » [1] Cæterum indulget aliquando Pontifex ut dispensetur. Facultas dispensandi cum catholicis non potest exerceri nisi uterque contrahens catholicus sit : nam Benedictus XIV. testatur Sedem Apostolicam, quoties aditur pro obtinenda dispensatione super aliquo gradu, aliove canonico impedimento inter personas quarum altera hæresim profitetur, semper exigere ut abjuretur prius hæresis. » [2] Plerasque has facultates communicant Episcopi missionariis, excepta tamen plerumque facultate dispensandi in secundo gradu consanguinitatis et primo gradu affinitatis, quum nonnisi pro certo casuum numero Episcopis ipsis concedatur, ad quos proinde in singulis casibus recurrere necesse est.

218. *Regulares* vi suorum privilegiorum *dispensant*, ex licentia suorum provincialium, cum pœnitentibus suis in tribunali, ab impedimento petendi debiti, propter affinitatem illicitam in secundo gradu, vel propter votum castitatis. Disputatur utrum dispensare possint in casu urgentissimo a voto castitatis ad contrahendum matrimonium ; plerisque id negantibus. [3]

§. II. De valore dispensationum.

219. *Ut valeat dispensatio* in curia Romana impetrata, « requiritur tum ut causa finalis sit vera et subsistat dum conceditur, tum ut in petitione nihil omittatur eorum quæ jus et stylus curiæ exigunt, nihilque reticeatur veri, ratione cujus dispensatio aut nullo modo, aut nonnisi cum certa conditione, vel limitatione, daretur. » [4] Obreptio fit dum falsum exponitur ; subreptitia dicitur dispensatio, quæ verum reticendo obtinetur. In qualibet dispensatione petenda omnia exponenda sunt, quæ obstant matrimonio : cæterum occulta impedimenta quæ cum infamia conjuncta sunt, possunt a S. Pœnitentiaria relaxari, soluto publico impedimento a S. Dataria : [5] dummodo de dispensatione alias quæsita a publico impedimento fiat mentio in litteris ad Pœnitentiariam ; quam rationem imitari licet petendo ab Episcopo publice dispensationem ab impedimento publico, et ab eo secretius impedimenti occulti relaxationem flagitando. In dispensatione aliquando occurrit clausula : « dummodo impedimentum occultum sit ; » quod non exigit ut omnino lateat, sed ut ad forum externum non sit verosimiliter deducendum. Si duplex sit consanguinitas, vel si graduum inæqualitas oriatur ex eo quod femina sit propinquior stipiti, ut si sit amita, exponendum est. Item si

(1) 20 Aug. 1780.
(2) Ep. ad Poloniæ Episcopos 29 Junii 1748.
(3) S. Alph. l. vi. n. 1128.
(4) Ita Antoine tract. *de Mat.* c. iii. qu. v. citans Cap. Super. *de rescript.*
(5) Bened. XIV. *Pastor bonus.* §. 41.

copula habita sit ad facilius impetrandam dispensationem, pravus ille finis declarandus est, quandocumque ob copulam jam habitam dispensatio quæritur.[1] Si quis post dispensationem relabatur, et indigeat alia dispensatione, prior in petitione exponenda etiam est.[2] Si quis duas sorores sponsæ cognoverit, id in petitione declarandum est.[3]

220. *Si causa dispensationis cesset* antequam executioni fuerit demandata ab eo cui delegata est dispensandi facultas, cessat dispensatio : nec enim delegatur facultas nisi ea conditione, ut res ita se habeant, dum dispensatio datur. Si cesset post dispensationem datam, licet ante matrimonium, nil obstat, quia lex jam est sublata. *Si dubitatio* oriatur *de causa* dispensationis, utrum fuerit vera, an falsa, impulsiva an finalis, plerumque dispensatio censenda est valida, quia in dubio standum est pro valore actus. *Si post datam dispensationem* ab impedimento occulto affinitatis, iterum peccet orator cum eadem consanguinea sponsæ, ante matrimonium, non videtur indigere nova dispensatione, quia est eadem affinitas. Ita respondit S. Pœnitentiaria 21 Sept. 1752.

221. Si post dispensationem obtentam super gradu prohibito sponsi ipsi coeant, nova juxta stylum curiæ exigitur dispensatio. Ita declaravit S. C. mense Maji 1635.

222. *Dum ab Episcopo quæritur* dispensatio super impedimento publico, occultum non est reticendum, quod scilicet ex copula illicita provenit, nisi placeat illud secretiori via exponere. Si data sit dispensatio consobrinis, v. g. et ipsi deinceps antequam dispensatio executioni demandata fuerit, coeant, erit altera dispensatio petenda. Si post dispensationem executioni demandatam coeant, valet, licet clausulam continuerit, « modo copula non interfuerit ; » nam ut valeat sufficit eam non intervenisse antequam dispensatio executioni fuerit demandata.

223. *Si contrahentes sint duarum diœcesium*, uterque Præsul debet dispensare, juxta nonnullos : sed probabiliter censent alii sufficere dispensationem Episcopi in cujus diœcesi celebrantur nuptiæ : nam dispensando suum subditum eum facit idoneum contractui cum alio.

224. *In dispensationibus S. Pœnitentiariæ*, quæ a nobis vix expetuntur, quædam occurrunt clausulæ. I. *Si ita sit :* scilicet si res, ut exponitur, se habeat. Si de voti castitate agatur, periculum probabile lapsus conditionem ponit. Si bona fide causa putetur vera, quæ falsa est, Carrière censet dispensationem valere.[4] II. *Audita prius sacramentali confessione :* dispensatio quippe hæc in tribunali datur, vel saltem prævia confessione. III. *Sublata occasione peccandi*, scilicet quatenus fieri possit, vel cautela adhibita qua ex proxima fiat remota. IV. *Dummodo impedimentum sit occultum*, paucis notum, et vix ad forum externum deducendum. V. *Injuncta ei gravi pœnitentia*, qualis est per sex menses jejunium semel in hebdomada, aut frequens confessio, saltem semel in mense, orationes, lectio spiritualis, etc.

225. *Cupiebat* Concilium Tridentinum ad omnem mali speciem et calumniandi occasionem auferendam, *dispensationes concedi gratis :* « In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis conceda-

(1) Bened. XIV. *Pastor bonus*, §. 42.
(2) S. Alph. l. vi. n. 1137.
(3) Bened. XIV. Brev. *Etsi matrimonialis*, 30 Sept. 1755. (4) *De Mat.* t. ii. n. 1416.

tur. »[1] Sed ob causas gravissimas et æquissimas retenta est consuetudo, qua divites aliive solvendo pares quamdam pecuniam plerumque dabant occasione dispensationis petendæ, ut ita minueretur petentium numerus, et ut disciplinæ injuriam repararent, eleemosyna data in pia opera impendenda : qua ratione et votis Patrum Tridentinorum satisfactum est, quum in lucrum dispensantium eleemosyna non cedat.[2] Equidem hunc morem probarunt piissimi et severissimi Pontifices, ab omni cupidine alieni. « Et merito, » uti animadvertit S. Alphonsus, « cum hujusmodi compositiones (ut Innocentius X. præcepit) non immisceantur cum aliis pecuniis Thesauri Cameralis, sed reserventur in monte Pietatis, et inde non extrahantur, nisi de mandato Pontificis, ut in sola opera pia impendantur. Cum igitur talis pecuniæ præstatio in subsidium pauperum erogetur, sit causa satis justa ut Ecclesia dispenset, sicut frequenter solet. Nec officit quod mussitent hæretici, ut objicit Pater Concina : nam patenter injuste mussitant. »[3] Morem vindicavit Pius VII. scribens ad Episcopos Galliæ 28 Februarii 1809 : » Mulctæ illæ ad resarciendum aliqua ratione vulnus quod ex dispensationum matrimonialium concessione ecclesiasticæ disciplinæ infligitur, et ad matrimonia inter personas consanguinitatis vel affinitatis vinculo invicem conjunctas rariora ac difficiliora reddenda, juste ab Ecclesia salubriterque constitutæ sunt. » « Dantur etiam dispensationes absque ulla eleemosyna, in forma pauperum dictæ.[4] Quæ facultates dantur Episcopis a Sede Apostolica sine ulla mercede exercendæ sunt, ideoque *taxa* nulla est imponenda.[5]

§. III. De dispensationibus exequendis.

226 *Quoties matrimonium* in facie Ecclesiæ contractum *nullum est ob impedimentum occultum,* quod non est verosimile palam aliquando innotescere, v. g. quod proveniat ex copula illicita uni ex contrahentibus nota, sublato per dispensationem impedimento, renovari poterit consensus privatim absque parocho, vel arbitris, uti declaravit S. Pius V. teste Navar. Etiamsi uterque contrahens tempore nuptiarum noverit impedimentum, videtur posse renovari, dispensatione impetrata, absque parocho, vel testibus. Si vero periculum sit ne impedimentum innotescat, et multo magis si reapse innotuerit, consensus coram parocho et testibus erit renovandus, ne matrimonium in quæstionem deinceps veniat. De matrimoniis contractis coram magistratu, vel præcone hæretico, idem dicendum videtur. Si enim impedimentum latuerit quo ea irrita sunt, et periculum nullum sit illud notum futurum, secreto renovari poterit consensus, quum de contractu alias satis constet. Quod si irritum fuerit matrimonium ob disparitatem cultus, vel aliud impedimentum canonicum, renovandus erit consensus, dispensatione impetrata, coram sacerdote : sed quoties pars acatholica non vult coram eo se sistere secreta renovatio permitti potest. Conversis ad fidem, quorum matrimonium nullum esse contigerit, si nihil de eo suspicentur, et gravis sit difficultas conjuges inducendi ut quavis ratione renovent consensum, vix scrupulum injicere oportet : quod si interrogaverint sacerdotem, ea proponenda est ratio renovandi consensum, quæ mi-

(1) Sess. xxiv. cap. v. *de ref. Mat.*
(2) Pallavicini hist. Conc. Trid. l. xxiii. c. viii. num. 11.
(3) L. vi. n. 1130.
(4) Vide Carrière t. ii. *de Mat.* n. 1128.
(5) Conc. Balt. viii. can. iv.

noribus subjacet difficultatibus : poterit scilicet secreto insinuare baptismi defectum obstare consensui, sed præsto esse remedium. Equidem parti acatholicæ persuaderi vix poterit consensum ab initio haud valuisse, et injuriam sibi et proli fieri existimabit nuptiis iterum celebrandis, alioquin affectu marito consortem thalami prosequens.

227. *Quoties* matrimonium nullum fuisse noscitur *ex defectu consensus* veri in utroque contrahente, renovandus est ab utroque consensus verbis, vel alio indicio sufficiente. Copula conjugali affectu habita consensum satis declarat : quapropter qui ancillam duxerat, ignorans servilem ejus conditionem, et postea, ea comperta, eam carnaliter cognovit, compulsus est eam retinere. [1] Quod si defuerit consensus verus alterutrius tantum, supplendus est, dum consensus alterius perseverat; nam puella quæ viro tradita est invita, per annum cum dimidio deinceps ei conjuncta affectu conjugali, tenebatur ad eum redire, quum consensus ex consortio illo diuturno colligeretur. [2] Tenetur autem plerumque deceptor verum ponere consensum, ad reparandam injuriam ex fictione provenientem.

228. *Si consensus verus irritus fuerit* ob impedimentum canonicum, necesse est dispensationem petere, et interim a coitu abstinere. Impetrata dispensatione, renovandus est consensus ab utroque; quum enim laboraverint impedimento, nequibant consensu suo priori contractum efficere, et « non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit. » [3] Quod si ex delicto occulto alterutrius ortum sit impedimentum, requiritur ut alter conjux de nullitate prioris consensus certior fiat, sed ita caute ut delictum nusquam detegatur. Hæc conditio, quæ semper apponitur dispensationi, nititur principio, quod consensus simul præstandus est ab idoneis, quales non fuerunt dum impedimentum obstaret : consensus autem qui ex consuetudine maritali colligitur, ex errore oritur, quod prior consensus censeatur valere. Cæterum si hæc conditio nequeat impleri, censent plures sufficere ut pars conscia impedimenti verum ponat consensum, et copulam habeat affectu maritali : in gravissima enim rerum difficultate censetur Sedes Apostolica relaxare hanc conditionem, ne animæ intereant. Quoties pœnitentes haud suspicantur impedimentum, præstat eos in bona fide relinquere, donec dispensatio obtineatur, salvo sigillo confessionis, et si difficultas renovandi consensus vix superanda videatur, præstat adhuc silere. [4] Docet quidem Benedictus XIV. Summum Pontificem posse dispensare in radice, tollendo impedimento ecclesiastico, quod unice obstabat, ne consensus libere datus vim suam ab initio obtineret. [5]

(1) C. ii. *de conjug. serv.*
(2) C. Ad id xxi. *de sponsal.*
(3) Reg. jur. xviii. in 6.
(4) Vide cap. *de consanguin.*
(5) Constit. 27. Sept. 1755. Bullar. t. iv.

TRACTATUS XXII.

DE CENSURIS.

CAPUT I.

DE ECCLESIÆ POTESTATE JUDICIARIA.

§. I. DE POTESTATE JUDICANDI.

1. Antequam de censuris agamus, *præstat de judiciaria Ecclesiæ potestate pauca* dicere; quum enim censurarum nomine intelligantur pœnæ medicinales ab Ecclesiæ Præsulibus irrogatæ delinquentibus, potestas ipsa qua feruntur vindicanda est. Equidem Ecclesiæ inesse potestatem leges ferendi, alias probavimus:[1] hæc autem inanis foret, si pœnam aliquam irrogare non posset eas violantibus; deesset enim sanctio, quæ legi omni adnectatur necesse est. Potestatem etiam plectendi delicta, quæ in aliorum cedunt damnum, Ecclesiæ competere dubitare non poterit, qui rationem a Christo Domino præscriptam in prosequendis injuriis servandam serio perpenderit. «Si.... peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.»[2] Hic plane querelæ controversiæque inter fratres ad Ecclesiam referuntur, quo vocabulo cœtus quidem sæpe intelligitur, sed ejus rectores plane hic designantur; ad Apostolos enim ea directa sunt verba, quibus Ecclesiæ sententia rata in cœlis habenda declaratur: qui mos præsidem cœtus nomine designandi apud nos etiam viget: curiæ enim nomine judex vocatur, et Ecclesiæ vocabulo Pontifex sæpe intelligitur. Quod autem Ecclesia adhuc non fuerit constituta ac disposita eo pacto quo tribunalis cujusdam formam præseferret, non obstat: nam vox ex ipso Judæorum usu, vel ad totius gentis cœtum, vel ad singularem conventum referebatur, qua ratione facilis erat intellectu; et præses, pro more, cœtus nomine designabatur. Igitur judicium Præsulum de fratrum controversiis potest pœna summa sanciri; adeo ut e fidelium cœtu ejectus, instar

[1] Vol. i. Tract. iv. de Leg. Eccl. c. i. et v.

(2) Matth. xviii. 15.

ethnici habendus sit, qui ei obaudire detrectat. Illud enim quod ait : « Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus, gravius est quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subrigeretur. » Ita præclarus doctor Augustinus. [1]

2. *Eamdem potestatem* sibi vindicavit *Apostolus*, qui quum se eos qui extra Ecclesiam sunt judicare non posse fateretur, auctoritatem judiciariam in eos qui intra sunt se habere ostendit : « Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? » [2] Minatus est etiam virga se in reos animadversurum : « Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis? [3] Summa illa potestate usus est, Corinthio, qui incestum immanem admiserat, e gremio Ecclesiæ ejecto : « Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. » [4] Auctoritate Christi Domini reum damnavit, et sublato sacrorum consortio, tamquam profanum habuit, eum Satanæ tradens, ut caro mœrore ob pœnam tabesceret, anima pœnitentia ad salutem afficeretur. [5] Quod autem se una cum fidelibus hanc tulisse sententiam dicat, quam solus tamen tulit, fuit quia mentis cogitatione eos habuit præsentes rei testes et veluti auctores. Nec ad singularem aliquem casum suam arctavit potestatem : ait enim : « In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam : » [6] seque jure optimo de potestate sibi divinitus commissa gloriari posse ostendit : « Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram. » [7] Vera igitur Apostolis inerat potestas, ultione omne delictum contra legem Dei vel Ecclesiæ puniendi, quæ tamen in salutem reorum et in fidelium omnium utilitatem exercenda erat. Contumacium consortium et flagitiosorum lege generali vitandum statuit : « Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo ut confundatur. » [8] De Hymenæo et Alexandro dicit : « quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare : » [9] eosdem ob denegatam resurrectionem Ecclesiæ communione privans. Alexandrum ærarium jussit Timotheo devitare, eumque in errore pertinacem puniendum a Domino prædixit. [10] Liquet igitur Paulum veram potestatem puniendi hæreticos et flagitiosos exercuisse, iis ex Ecclesiæ gremio ejectis.

§. II. De judiciorum materia.

3. *Causæ omnes fidei* omnino *subsunt Ecclesiæ judicio*, uti liquet ex Pauli in Hymenæum sententia : sed et morum controversiæ, quæ jus spectant et legem divinam : nam docendi jus omnia, quæ Christus tradidit, amplectitur. Sacramentorum administratio commissa est Christi ministris : sunt quippe « mysteriorum Dei dispensatores : » [11] quorum est proinde omnes dirimere lites, quæ forte aliqua de

(1) Contra adv. legis et proph. l. i. n. 36.
(2) I. Cor. v. 12.
(3) I. Cor. iv. 21.
(4) I. Cor. v. 3.
(5) « It should seem that (as the most eminent commentators, ancient and modern are of opinion,) we have here plain vestiges of a formal excommunication. » Bloomfield, *in locum.*
(6) II. Cor. x. 6.
(7) II. Cor. x. 8. (8) II. Thess. iii. 14.
(9) I. Tim. i. 20. (10) II. Tim. iv. 15.
(11) I. Cor. iv. 1.

eorum substantia, ritibusque qui in iis administrandis adhibendi sunt, oriantur. Ipse matrimonii contractus inter baptizatos in Nova Lege subest auctoritati Ecclesiæ : quum enim Christus Dominus eum dignitate Sacramenti auxerit, ad eos spectat judices, quorum est conditiones, sub quibus ineatur, constituere, et leges, quibus regatur, ferre : quapropter controversiæ omnes de vi fœderis hujus ad ecclesiasticos judices referendæ sunt; ad quos etiam spectat judicare, quibus in rerum adjunctis divortium a thoro liceat. Hinc Patres Tridentini statuerunt : « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit. »[1] Cæterum apud nos vix unquam Episcopi judicium in hisce causis imploratur; sed cum magno morum detrimento controversiæ de vinculo matrimonii, et de divortiis coram publicis tribunalibus agitantur, singulis, quæ latere debent, vitæ domesticæ negotiis in curia, et deinceps per ephemerides vulgatis. *Modum servandum* in judiciis de valore matrimonii præscribit Benedictus XIV.[2] Designandus est ab Episcopo defensor matrimonii, qui juratus suum munus exequi studeat, omnes rationes quæ ei favent strenue propugnans. Quod si Episcopus examine instituto matrimonium valere censuerit, et appellatio non fuerit facta ad judicem superiorem, sententia vim obtinebit. Si vero irritum illud habuerit, defensor appellare debet superiorem, ut res iterato judicio subjiciatur : duobus autem emissis judiciis concordibus, licebit ad nova vota transire : quamvis semper liceat rem ad judicium revocare, si novæ suppetant rationes; nunquam enim transit in rem definitam.

4. *Clericorum delicta*, quæ in legem Dei vel Ecclesiæ admittuntur, jure divino *Præsulum subjacent judicio* : quapropter Apostolus monuit Timotheum, qua servata cautela, accusationes adversus presbyterum excipiendæ forent. « Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. »[3] Fidelium omnium palam contra divina mandata delinquentium, peccata publica correptione plecti jussit : « Peccantes coram omnibus argue : ut et cæteri timorem habeant. »[4] Omnes clericorum causæ jure canonico et civili, Episcopi judicio suberant, quod sapientissime et cum magna reipublicæ christianæ utilitate statutum erat, ut sacro ordini servaretur honor, et justitiæ consuleretur absque ejus detrimento. *Criminales clericorum causæ* in hac regione in posterum audiendæ sunt juxta normam a Concilio provinciali S. Ludovici[5] indicatum, quæ ad formam a Concilio Tridentino præscriptam accedit, « scilicet ut Episcopus, seu Vicarius ejus Generalis, de ipsius commissione, duos ejusdem Episcopi consultores, nec semper eosdem eligat, qui ei presbyterum criminis postulatum judicaturo, coram Notario tamen ipsius Episcopi assistant. Unum autem sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo, seu ejus Vicario discordes fuerint, tertium tunc ex prædictis suis consultoribus ipse eligat, et juxta eam partem cum qua tertius convenit, causa terminetur. Si autem contigerit

(1) Sess. xxiv. Can. xii. *de mat.* « Causes matrimonial are now so peculiarly ecclesiastical, that the temporal courts will never interfere in controversies of this kind, unless in some particular cases : as if the spiritual court do proceed to call a marriage in question after the death of either of the parties. » Blackston. Comm. l. iii. n. 93. Non ita apud nos.

(2) Bulla *Dei miseratione.* (3) I. Tim. v. 19.

(4) Ibidem, 20. (5) Decr. xi.

omnes consultores ab Ordinario electos ab ejus sententia dissidere, tunc ad Metropolitanum causa referri debet. » Civiles lites clericis intentatæ sive a clericis aliis, sive a laicis, apud Episcopi tribunal dirimebantur : et quæ contra leges civiles aliquando admissa sunt crimina, eidem examini subjacebant, pœna carceris, vel mulcta punienda : vel si forte gravius esset facinus, cui leges pœnam capitis decernebant, reus in Episcopi judicio damnatus, spoliabatur privilegiis clericorum, ritu *degradationis* peracto, et civili potestati tradebatur morte puniendus.

5. *Causæ in quibus de beneficiis* agitur ad ecclesiasticos judices spectant: beneficia enim Ecclesiæ auctoritate constituta sunt, et jura tributa. Quando igitur lis aliqua de jure patronatus, vel de collatione beneficiorum, vel alias de beneficiis oritur, ad tribunal Episcopi omnino deferenda est. « Relatum est, » inquit Alexander III. ad Episcopos Anglos scribens, « quod nonnulli occasione laicæ recognitionis, non requisita Episcopi audientia, beneficia ecclesiastica sibi præsumunt in parœciis vestris vindicare. Quoniam igitur hujusmodi personæ non intrant per ostium, sed aliunde conscendunt, ac per hoc indigni sunt pastoris nomine, vel prærogativa gaudere : mandamus, quatenus eos, si commoniti prædicta minime resignaverint, nisi episcopali concessione fuerint muniti, ab officio reddatis et beneficio alienos. Ad hoc quoniam quidam laici ecclesias possessionibus spoliant, ut sic viros ecclesiasticos faciant coram sæculari judice litigare, vobis injungimus, ut id publice sub interminatione curetis anathematis prohibere. Si quis autem prohibitionis vestræ contemptor extiterit, eum excommunicationi subdatis. » [1] Quæ apud nos oriri possunt lites de Ecclesiarum bonis, vel de parochorum juribus eadem ratione sunt Episcopi judicio dirimendæ : ipsius enim est curare, ut bona serventur in usus, in quos a fidelibus destinata sunt, et jura sacra integra maneant.

6. *Crimina pleraque contra fidem*, religionem, et morum sanctitatem ad ecclesiasticos deferebantur judices, iis in regionibus, in quibus, quum tota gens fidei et religionis vinculo colligaretur, civilis et ecclesiastica potestates amico fœdere jungebantur : hinc hæresis, blasphemia, simonia, sacrilegia, magia, et plura alia Episcopo subjiciebantur; [2] qui mulcta, carcere, verberibus reos puniri jubebat, juxta ipsas legis civilis sanctiones, nullo autem in casu pœnam capitis decernebat, quæ a lenitate sacerdotii abhorret. Si quis autem crimen capitale patrasset, ab Episcopi officialibus, postquam judicio damnatus erat, tradebatur brachio sæculari, civili scilicet auctoritati, cum commendatione, ut ei parceretur.

7. *Fidelium omnium lites* ex Apostoli Pauli auctoritate judicio ecclesiastico commendabantur dirimendæ : vehementer enim eos redarguit ethnicorum tribunalia adeuntes : « Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos ? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt ? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis ? Nescitis quoniam angelos

(1) Cap. xxi. de jure patronatus.

(2) Vestigia apud Anglos reperire erat ad recens tempus : « Which courts were established for the reformation of morals, and have an exclusive jurisdiction over the punishments of fornication, etc. » Chitty's Blackstone. l. iii. n. 123. Note. Vide Bacon, of the pacification of the Church. Vol. II. p. 392.

judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis; contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit: et hoc apud infideles. »[1] Ad Præsules ipsos referebantur hæ controversiæ ex vetustissima consuetudine, ipsis Imperatoribus christianis plenam vim in foro civili tribuentibus Episcoporum judicio. Cæterum auctoritas ecclesiastica in plerisque regionibus, etiam Catholicis, jam intra arctissimos limites arctata est; et clerici in pluribus tribunalium civilium judicio permittuntur.[2] Ipsa S. Congregatio de Propaganda Fide decretum Concilii provincialis Baltimorensis, de censuris, quas contrahunt deferentes ad civilia tribunalia causas, quæ ecclesiasticos judices spectant, mitigavit, et hosce intra terminos concludi jussit: « Cum grave fidelibus oriatur scandalum, et ecclesiastico ordini dedecus, dum causæ ecclesiasticæ ad civilia deducuntur tribunalia, hortamur omnes, quorum interest, ut controversias inter eos forte orituras de rebus, vel personis ecclesiasticis, amice componant, vel saltem judicio Episcopi submittant. Quod si ecclesiastica vel religiosa utriusque sexus persona, aliam personam ecclesiasticam vel religiosam utriusque sexus, coram civili tribunali temere citaverit, de re juris stricte ecclesiastici, noverit se in censuras a jure latas incidere. »[3]

Vindicata potestate Ecclesiæ judiciaria, explicandus est ordo, quem in judiciis servari vult, ut justitia teneatur.

CAPUT II.

DE JUDICIORUM ORDINE.

8. Judicia *ordinaria* dicuntur ea in quibus consuetæ formæ servantur: *summaria* vero, quæ fiunt omissis juris solemnitatibus, iisque tantum peractis, quæ ad veritatem cognoscendam requiruntur. *Criminalia* judicia versantur circa delicta: *civilia* controversias de bonis juribusque spectant. *Procurator*, seu *alieni juris vicarius*, civiles causas *actoris*, vel *rei* nomine, potest prosequi, si scripto fuerit delegatus:[4] non autem criminales *Universitates*, scilicet cœtus quicumque, Procuratorem *syndici* nomine coguntur instituere,[5] qui in criminalibus judiciis etiam excipitur. Clericorum causæ omnes tum civiles tum criminales, nisi contra laicum actoris partes sustineant, ad ecclesiasticum forum pertinent jure canonico et civili.

9. Reus judicem certum sortitur ex quatuor præsertim causis, scilicet ex *domicilio*, ex *contractu*, ex *re sita*, ex *delicto*. Si domicilium non sit nativitatis locus, debet certo constare reum revera illud eo loci constituisse. Ex *contractu* certus judicii locus potest oriri; nam eo loci agendum est, quo initus est contractus. *Ex re sita* judex loci, in quo aliquis habet beneficium, vel rem aliquam, de qua agitur, auctoritatem suam exercet. *Ex delicto* oritur jurisdictio judici loci, in quo crimen fuit patratum, adeo ut alieno clerico in diœcesi aliqua delinquenti pœnas irrogare valeat loci illius Episcopus. Si beneficii quod in sua diœcesi habet, privationem ferat sententia: « per Episcopum in cujus

(1) I. Cor. vi. i.

(2) Vide Concordatum initum inter Gregorium XVI. et Regem Sardiniæ; et inter ipsum et Ducem magnum Etruriæ.

(3) Can. vi. (4) Cap. i. *de procur.*

(5) Cap. vii. eod. tit.

diœcesi deliquit, sententia promulgari poterit in eumdem : sed ab eo, in cujus diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda. » [1] Hæc præ oculis habenda sunt : nam, « extra territorium jus dicenti non paretur impune. » [2] Religiosi in plerisque plerumque privilegiis eximuntur a judicis ordinarii auctoritate.

10. Actor, qui in judicium venit, *libello* debet breviter et clare exponere quæ petit ; [3] ideoque si *conventionalis* sit, de re scilicet civili, debet referre nomen actoris, rei, atque judicis, rem petitam et causam petendi ; si *accusatorius*, tempus locumque criminis exponat insuper necesse est. » [4] Post libellum judici exhibitum dantur reo viginti dierum induciæ, ut respondeat. Responsione præstita, lis dicitur *contestata*. Certam aliquam libelli formulam leges Ecclesiæ non exigunt. Libelli solemnitas in causis summariis non est necessaria.

11. Præter libellum *probationes exhibendæ* sunt judici, quibus visis in jus vocat reum *citatione*, quæ si deficiat, irrita erunt acta. [5] Citatio *realis* dicitur, quando manus reo injiciuntur ; *verbalis*, quando verbis, scripto scilicet, reus in jus vocatur. *Simplex* citatio contumaciam non inducit, nisi post intervalla, judicis arbitrio, ter fuerit repetita. *Peremptoria* iis verbis concipitur, ut reus debeat eam instar trium habere, judice minante se alias causam cogniturum. Hæc emittitur judicis ipsius æquo arbitrio. [6] Citatio reo demonstranda est in faciem, ut aiunt, si præsto sit ; secus ad domum in qua solet commorari : « denuntiationibus ad domum ejus missis. » [7] Citationem factam nuncius in acta debet referre, die, loco, et modo adsignatis. In citatione actoris, rei, et judicis nomina, sicut et citationis causa, exprimenda sunt : locus etiam, nisi sit consuetus locus, in quo judex ordinarius habet tribunal : dies denique prudenti arbitrio judicis designatus, quo reus coram judice sistere se debet. Si contumaciam reus exhibeat, citatione negligenda, lis habetur *contestata*, absque ulla ejus responsione; ideoque judex testes, aliasque probationes rerum, quæ libello continentur, audit ; quod plerumque ante responsionem rei non fit, nisi urgeat periculum amittendarum probationum, vel natura causæ id exigat. [8] Juramentum, quod vocant calumniæ, tam actori, tam reo exhiberi potest, quo uterque pollicetur se nihil acturum judicii ullatenus vitiandi causa. [9] Qui illud præstare detrectat, causa cadit. Clerici etiam propositis Evangeliis juramentum illud cum Episcopi venia emittunt.

12. *Plena probatio habetur* rei confessio coram judice, vel etiam extrajudicialis coram adversario, et testibus rogatis et idoneis. [10] Reo aliquando *positiones*, seu interrogationes proponuntur, quibus juratus respondere debet : confessione deficiente, adhibentur testes. Unius testis fides tuta nulla est, quantumvis ipse fide sit dignus. [11] Notario tamen testanti de iis, quæ sui officii sunt : Episcopo etiam ; litteras sigillo suo munitas

(1) Cap. xiv. *de foro compet.*

(2) L. ult. ff. *de jurisd. omn.*

(3) Idem ere judiciorum ordo servatur in curia ecclesiastica apud Anglos. Vide Blackston. l. iii. n. 100.

(4) C. ult. *de lib. oblat.*

(5) Can. ii. et iv. cap. iii. qu. ix. Clem. ii. *de sent. et re judic.*

(6) Cap. xxiv. *de offic. et potest. delegat.*

(7) Cap. iii. *de dolo et contumacia.*

(8) Cap. v. *ut lit. non contest.*

(9) Cap. ii. et ult. *de juram. calum.* in 6.

(10) C. ult. *de confessis.* Novel. xc. c. ii.

(11) C. x. et xxviii. *de testibus.*

danti; et parocho, scriptum testimonium de vita suorum præstanti, merito creditur. Duo saltem, vel tres testes plerumque probationem plenam efficiunt, si sint *omni exceptione majores*. In quibusdam tamen negotiis, ubi de personis dignitate conspicuis agitur, plures requiruntur arbitrio judicis. Ne accusationem quidem adversus presbyterum excipiendam sanxit Apostolus, nisi duobus aut tribus testantibus: « Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. »[1] Testes, qui se subtrahunt, cogere non consuevit Ecclesia ad ferendum testimonium, nisi alia desit probatio: tunc enim suspensionis minis clerici, excommunicationis metu laici impelli possunt.[2] Testes jurati loqui debent, exceptis Episcopis, quibus fide sua præstita, propositis Evangeliis, creditur.[3] *Singulares* testes, de diversis scilicet et singularibus actibus, non sunt admittendi, quia tunc singuli actus probantur unius tantum testimonio.[4] *Auriti* testes, qui rem ex aliorum relatione, aut fama communi norunt, non excipiuntur, nisi agatur de re, quæ hominum memoriam superat, vel de consanguinitate, aliave re quæ oculatis testibus probari nullatenus potest.[5] Furiosi, amentes, impuberes, servi, perjuri, infames, testes esse nequeunt. In gravioribus tamen criminibus læsæ majestatis, et simoniæ, infames testimonium ferunt; sicut et mulieres, quæ plerumque in causis criminalibus testari nequeunt. Patronus et advocatus non possunt testari in causa, quam defendunt, nec judex in causa, quam judicat; nec aliquis in propria causa.[6] *Pro certis personis* ferre testimonium nequeunt, qui sunt de domo, seu familia, nisi sint spectatæ probitatis, vel nisi in controversiam venit, quod alias probari non potest: v. g. si quæratur de cognatione, legitimis natalibus, ætate. Nec eorum excipiendum est testimonium, quorum judicium illud interest.[7] Clerici in causis profanis non debent testari, absque Episcopi venia. *Adversus certas personas* quidam testari non possunt: reus nequit testari contra socios criminis,[8] nisi in criminibus hæresis, simoniæ, et læsæ majestatis; inimicus nequit testari contra inimicum, libertus contra patronum, filius contra patrem, et pater contra filium, exceptis causis matrimonialibus; ethnicus, Judæus, imo, juxta juris sanctiones, hæreticus contra orthodoxos.[9] Testes omnes coram adversario interrogandi sunt.[10] Testes ab actore prolatos refellere potest reus, aliis productis testibus; quos actori licet etiam refellere, et in eum finem novos testes producere. Hic testium productio plerumque consistit, nisi aliud judici videatur.[11] Post testium examen, acta exhibenda sunt litigantibus, ut si quid habeant objiciendum exponant.

13. *Instrumenta etiam*, scripturæ scilicet sive publicæ, sive privatæ, *inter probationes* recensentur. Publica instrumenta confecta publica auctoritate, sigillove munita Principis, Episcopi, Universitatis, itemque libri parochorum, in quibus baptismata, matrimonia, et funera describuntur, plenam

(1) I. Tim. v. 19.

(2) Cap. i. ii. iii. v. ix. *de testibus cogendis.*

(3) Novel. cxxiii. 7.

(4) Cap. xxxiii. *de testibus*, cap. ix. *de probat.*

(5) Cap. v. xxvii. et xlvii. *de testibus*, cap. xiii. *de probat.*

(6) Can. xxxviii. c. ii. qu. vi. can. i. et ii. c. iv. qu. iv. L. ix. Cod. *de testibus.*

(7) L. i. Cod. *de testibus.* L. 3. ff. *de testibus.* cap. x. xx. xxiv. *de testibus.*

(8) Cap. i. *de confessis.* c. x. *de testibus.*

(9) Cap. xxxii. *de simonia.*

(10) Can. xxiv. et xxvi. c. ii. qu. vii.

(11) Cap. ii. *de testibus.*

probationem efficiunt, dummodo autographa producantur. [1] Fidem tamen iis detrahunt testes plures exceptione majores, si, quod iis continetur, falsum evidenter demonstrent. [2] Si inter se pugnent, vel abrasa sint loco suspecto, vel ita impeditæ sint lectionis, ut legi vel intelligi nequeant, instrumenta etiam publica fidem non obtinent. [3] Privata scriptura tribus munita testibus vim habet publici instrumenti. [4] Item libri mercatorum tum pro se, tum contra se probant. Cætera scripta absque testibus confecta contra scribentem probant, si causa debiti sit expressa : contra alios nil probant. Liberatoria confessio, etsi nulla adjiciatur causa, contra scribentem vim obtinet. [5]

14. *Præsumptiones*, seu conjecturæ ex aliquo verisimili ductæ, probationis vim aliquando obtinent, certis probationibus deficientibus. Præsumptio aliqua dicitur *juris*, et *de jure*, quæ scilicet lege definitur; adeo ut contrariam omnem probationem excludat : sic olim matrimonium præsumebatur in iis, qui post sponsalia concubuerunt. [6] *Præsumptio juris* cedit contrariæ probationi. Sic quamvis lex præsumat hæredem, qui inventarium non confecit, hæreditatem distraxisse, ipsi tamen licet, certis adductis probationibus, præsumptionem illam excludere : quapropter hæc *præsumptio cedit facto*. *Præsumptio hominis* est conjectura nullo jure definita, sed ex arbitrio judicis pendens; et est *levis*, vel *vehemens*, prout levi vel gravi nititur fundamento. Violenta præsumptio copulæ carnalis habetur, si quem videris solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem. [7] Levis e contra si eos in loco quodam familiarius colloquentes conspexeris. In criminalibus causis vix admittendæ sunt vehementes etiam præsumptiones. [8]

15. *Exceptiones* dicuntur actus rei, quibus actionem excludit. *Peremptoriæ litis finitæ* audiunt, quæ litem jam compositam ostendunt : cæteræ *simpliciter peremptoriæ* nuncupantur. *Dilatoriæ* etiam exceptiones aliquando proferuntur, quibus scilicet reus queritur libellum esse ineptum, vel tempus solutionis non advenisse. Actori *replicationes* permittuntur. [9] Ex exceptionibus nascuntur sæpe causæ *præjudiciales*, *incidentes*, aut *præparatoriæ*, quæ plerumque definiendæ sunt, antequam ad causam præcipuam procedatur. In civilibus reus potest *mutuam petitionem* instituere, scilicet libello petere aliquid sibi ab actore debitum. In criminalibus nulla datur *reconventio* hujusmodi, quoniam « innocentia, non relatione criminum reus purgatur. » [10] *Dilationes* etiam dari possunt justa ex causa arbitrio æquo judicis, ad adducendos testes, proferenda instrumenta, aliaque ad judicium necessaria. [11] Dantur autem, judice pro tribunali sedente; iis exceptis, quas jus ipsum præstat. [12]

16. *Sententia*, qua controversia dirimitur, a judice, causa cognita, ferenda est. *Interloquutoria* est, si incidentem quæstionem respiciat : *Definitiva*, si principalem causam determinet. Ab interloquutoria sententia appellare non licet, nisi a « definitivæ vim habente, et cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari ne-

(1) Cap. xv. xxxvi. xlix. lv. *de testibus*.
(2) Cap. i. et xvi. *de fide instrum.*
(3) C. x. eod. tit. (4) Cap. iii. et vi. de eod. tit.
(5) L. xi. Cod. *qui potior, in pign. hab.*
(6) L. xxv. §. ult. ff. *de probat.* c. xiv. *de fide instrum.* L. xl. ff. *de pactis.*
(7) Cap. xii. *de præsumpt.*
(8) Cap. xiv. eod. tit.
(9) L. et Cod. *de except.*
(10) L. v. ff. *de publ. jud.*
(11) Cap. xxiv. *de offic. et potest. deleg.*
(12) Cap. i. et iv. *de dilat.* can. ult. c. iii. qu. iii.

queat. » [1] Sententia a judice pro tribunali sedente scripto est palam ferenda. [2] In summariis judiciis, nulla est sedendi necessitas. In sententiis interloquutoriis, et in causis brevioribus scriptura a judice impune omittitur, notario tantum sententias scripto mandante. Sententia recitari debet a judice vel notario coram litigantibus; vel saltem in peculiari libro a notario describi. Si juri expresso repugnet, nulla est : [3] si juri tantum litigantis adversetur, per appellationem potest suspendi, intra decem dies; quibus elapsis, nulla appellatione interposita, transit in *rem judicatam*, et controversiæ finis imponitur. [4] Sententiæ autem, quæ spectant vim matrimonii; vel quæ feruntur a judice excommunicato, vel incompetente; vel contra jus expressum, vel contra priorem rem judicatam; vel neglecto juris ordine; vel ex falsis testibus et instrumentis; vel quæ rite publicatæ non sunt; vel quæ dictæ sunt a judice pecunia corrupto; vel sententiæ criminales reos pœna, quæ reparari nequit, afficientes; nunquam rei judicatæ vim obtinent. [5] Sententia *executioni* mandanda est intra tempus a judice constitutum.

17. *Appellatio* est provocatio a judice inferiore ad superiorem, ut quod inique gestum est, emendetur. *Judicialis* dicitur, si a sententia actuque judicii provocetur : *extrajudicialis*, si respiciat gravamen aliquod extra judicium illatum : v. g. electionem. A definitiva sententia viva voce statim provocare licet; vel scripto, si dierum intervallum post sententiam prolatam intercesserit; etiam nulla appellandi causa expressa. [6] In appellationibus ab interloquutoria sententia, causæ appellandi exprimendæ sunt; quibus auditis, potest judex appellationis causam, sententia mutata, tollere : quod tamen si definitivam tulerit sententiam, non potest. Sententiæ per se nullæ absque appellatione tolluntur; vel, ut dicitur, circumscribuntur, si irritæ superiori judici demonstrentur. Qui sententiam quoquo modo probarunt, vel se non appellaturos jurati promiserunt; qui testibus et argumentis convicti crimen confessi sunt; qui ob veram contumaciam damnati sunt; denique illi, contra quos tres conformes sententiæ latæ sunt, frustra provocant. [7] Similiter non datur appellatio in manifestis; in judiciis remota appellatione actis; in causis disciplinæ et emendationis morum, nisi ea res præter modum acta sit. Interposita appellatione, dantur litteræ a judice, a quo appellatum est ad eum, qui appellatur. Litteræ hæ *Apostoli*, scilicet dimissoriæ vocantur, quæ tamen hodie non adhibentur. Causa committenda est judici appellato intra annum; et gesta in priori judicio ex actis publicis et authenticis referenda sunt, et exhibenda intra alterum annum; ut infra biennium res tota expediatur. Vim sententiæ appellatio plerumque suspendit; sed si de censuris irrogatis, vel de emendatione morum, aliisque nonnullis causis agatur, sententia executioni mandatur; et appellatio vim habet remedium postea impetrandi : habet, scilicet, ut aiunt, *devolutivum*, non *suspensivum* effectum. [8]

18. *A sententiis Vicariorum Gene-*

(1) Sess. xxiv. cap. xx. *de Ref.*
(2) Cap. v. *de sent. et re judic.* in 6
(3) Cap. i. eod. tit.
(4) L. i. ff. *de re judic.* cap. xiii. *de sent. et re judicat.*
(5) Cap. x. xi. xxiv. *de sent. et re judicat.*
(6) L. ii. ff. *de appell.*
(7) Devoti L. iii. Inst. can. tit. xv. §. vii.
(8) Const. Bened. XIV. quæ incipit : *Romanæ Curiæ.*

ratium ad Episcopos nulla datur appellatio : ipsi enim unum tribunal cum Episcopo constituunt. Ab Episcoporum sententiis appellantur Metropolitæ : a Metropolitarum judiciis confugitur ad Patriarchas : ultima provocatio fit ad Pontificem Supremum. Quum ipse etiam patriarchali jure in Occidente fungatur, statim a Metropolitæ sententia appellatur. Potest quidem Pontifex appellationem ab Episcopi judicio, omisso Metropolita, suscipere; quod tamen plerumque non expedit; nam ordo servandus est. Appellationum ad Sedem Apostolicam antiquissima sunt exempla : anno scilicet 252, Fortunatus aliique Africanæ Ecclesiæ presbyteri; anno autem 262, Basilides Asturicensis, et Martialis Emeritensis Episcopus Papam appellarunt. Jus appellationis non impugnat Cyprianus, quamvis obreptionem appellantis reprehendat.[1] Qui appellationis beneficio ob tempus elapsum aliamve causam uti non potest, *restitutionem in integrum* aliquando petit, quæ intra juris limites conceditur a judice Superiori, v. g. Metropolita; extra vero hos terminos a Pontifice. Restitutus autem potest actionem prosequi more appellantium.[2]

19. *Quæ de judiciorum ordine diximus* vix apud nos aliam habent utilitatem, quam ut sciatur quanto studio Ecclesia justitiæ administrandæ consuluerit, ubi ei per civilem potestatem licuerit judicia solemni ritu habere : quod sibi exemplar proposuisse indubium est qui judiciorum ordinem apud Anglos statuerunt, veluti jure communi innixi. Cæterum optandum ut inhæreant Episcopi ordini juris, quatenus per rerum adjuncta liceat : ex eo enim quod pleraque dirimantur a stante pede in uno, ut habet proverbium, facile contingit error, præsertim in his quæ matrimoniorum valorem spectant : et sententiæ in clericos prolatæ absque judicii forma facile ad invidiam apud populum trahuntur. Procul dubio sententiæ majorem obtinebunt reverentiam quo res maturius investigata fuerit, adsidentibus Episcopo sacerdotibus ætate et judicio gravibus, et data reo copia vindiciarum. Exigit jus canonicum ut Episcopo judicanti adsideant[3] personæ providæ et honestæ, et juris peritæ.

20. *In visitatione, et in iis quæ spectant morum correctionem*, etiam extra visitationem Episcopus, tamquam Sedis Apostolicæ delegatus, procedere potest : habet quippe jus et potestatem ea ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi, juxta canonum sanctiones, quæ illi ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur.[4] In iis præsertim quæ incontinentiam clericorum spectant, « sine strepitu et figura judiciaria; et sola facti veritate inspecta, procedere possunt »[5] Episcopi.

CAPUT III.

DE CENSURIS.

—

§. I. Quid sit censura.

21. *Pœnis aliquibus temporalibus mitioribus*, mulcta scilicet, verberibus, carcere, Episcopos olim plexisse reos ex legum auctoritate, constat; quæ autem sui muneris sunt propriæ, et in omni temporum regionumque

(1) Ep. lxviii. ed. Balutii, Ven. 1728.
(2) Cap. iv. *de restit.* L. ii. ff. *de rest. in integ.*
(3) Cap. Statuta de hær. in 6.
(4) Conc. Trid. Sess. xxiv. c. x. *de Ref.*
(5) Ibid. Sess. xxv. c. xiv. *de Ref.*

varietate irrogari possunt, designantur censuræ, a Romanis mutuata voce, apud quos censor moribus invigilabat, et in reos animadvertebat, dejicientes gradu, qui aliquid eo indignum admiserant. *Censura*, apud theologos et juris canonici peritos, intelligitur pœna ecclesiastica medicinalis, privans hominem baptizatum, delinquentem et contumacem, bonis quibusdam spiritualibus dispensationi Ecclesiæ commissis, donec a contumacia recedens veniam impetret. Pœnæ instar est, ideoque non contrahitur, quoties culpa deest: quapropter censura ebrietati adnexa non ligaretur, qui potu vehementiori ex errore ebrius fieret. Ab ecclesiastica tantum potestate procedit, a rectoribus scilicet Ecclesiæ, qui jus ligandi, sicut et solvendi, a Christo Domino acceperunt. In animæ tamen remedium censura irrogatur; [1] potestatem enim dedit Dominus in ædificationem, non in destructionem. [2] Privat bonis spiritualibus, quatenus externo regimini subjacent, scilicet Ecclesiæ suffragiis, jurisdictione spirituali, sacrificio, Sacramentis; non autem animæ donis, gratia scilicet, ordinis potestate, aliisque hujusmodi. Præter primarium censuræ effectum, temporalia nonnulla incommoda aliquando consequuntur, v. g. quod clericus careat beneficii redditibus, vel quod laicus, excommunicatione percussus, fidelium, eum tamquam ethnicum et publicanum aversantium, consortio amico privetur. Inde fit persæpe, ut ad bonam frugem peccator se recipiat.

22. *Censura* in excommunicationem, suspensionem, et interdictum *dividitur*. [3] *A jure* dicitur lata, quoties fertur canone quodam generali, vel statuto perpetuo, sive a summis Pontificibus, sive a quolibet Episcopo. *Ab homine* censura est, quæ fertur instar præcepti uni, vel pluribus impositi, vel sententiæ judiciariæ. Quæ continentur jure canonico, vel Pontificum decretis extra corpus juris, vel statutis diœcesanis censuræ, a jure sunt: quam fert Episcopus in reum singularem, ab homine est. Censuræ a jure non cessant, moriente legislatore: cessant autem quæ ab homine prodierunt præcepta specialia cum censuris: sed qui jam contraxit censuram, indiget absolutione a successore, vel ejus superiore. Censura *latæ sententiæ* est ea, quæ ipso facto contrahitur, delicto patrato, adeo ut opus non sit judicis sententia, nisi forsan ad factum declarandum: censura *ferendæ sententiæ* est comminationis instar, quæ nonnisi post judicis sententiam contrahitur. Attendenda sunt verba legis. *Ipso facto*, *ipso jure*, *ex tunc*, *ex nunc*, *statim*, *illico*, *continuo*, *confestim*, *mox*, *protinus*, *latæ sententiæ*, voces sunt, quæ plane denotant sententiam latam; sicut et hæ dicendi rationes: *excommunicamus*, *suspenduntur*, *interdicuntur*: vel *excommunicatus est*; *volumus esse excommunicatum*, *suspensum*; *noverit se excommunicatum*, *suspensum*. Sic et verba imperandi, quæ actionem judicis non postulant: v. g. *subjaceat excommunicationi*, *incidat in excommunicationem*, *maneat suspensus*, *interdictus*: *habeatur pro excommunicato*. *Sit excommunicatus*, *suspensus*. Secus si judicis actionem verba insinuent, v. g. *excommunicetur*, *suspendatur*, *ab Ecclesiæ ingressu arceatur*, *decernimus excommunicandum*, *suspendendum etc.* « At si absolute modo imperativo profertur, censura dicenda

(1) Cap. i. *de sent. excomm.* in 6.
(2) II. Cor. x. 8.
(3) C. xx. *de verbor. signif.*

est latæ sententiæ. »[1] Verba futuri temporis sententiam ferendam significant : *excommunicabitur*, *suspendetur*. Comminatio plerumque eodem recidit : *sub pœna excommunicationis*, *suspensionis*, *sub interminatione anathematis* : aliquando tamen ea adjiciuntur, quæ sententiam latam ostendunt : v. gr. *sub pœna excommunicationis statim incurrendæ*, vel *cui statim, confestim omnino subjaceat*. [2] Quoties dubitatur, utrum censura sit lata vel ferenda, benignior interpretatio vincere debet, juxta juris regulam : « in pœnis benignior est interpretatio facienda : » [3] sed et usus attendendus est. Interdictum et suspensio jure lata non contrahuntur ab Episcopis, nisi de iis mentio fiat expressa. [4]

§. II. Quæ sit censuræ materia.

23. Ad contrahendam censuram *requiritur plerumque culpa mortalis*, externa, ex contumacia admissa contra præceptum ecclesiasticum. Equidem quum censura gravis sit pœna, qua scilicet homo magnis privatur bonis spiritualibus, nonnisi ob gravem culpam contrahitur. Contingit quidem aliquando quemdam a munere prædicandi, vel audiendi confessiones, ab Episcopo retrahi, nulla prævia culpa, sed ex eo quod muneri idoneus non sit, cui tamen nulla irrogatur censura : prohibitio enim potius dicenda est. Est etiam quædam censura minor, excommunicatio minor dicta, quæ contrahitur, juxta plerosque, ob culpam venialem, colloquii scilicet cum excommunicato. Item « suspensio aut interdictum ad breve tempus, et privans aliquo tantum usu bonorum spiritualium ob levem culpam ferri potest, » [5] sed de censura gravi quæstio nunc est.

24. *Externi tantum actus* subjacent censuræ : cordis enim arcana Deo soli patent, neque ad regimen Ecclesiæ pertinet potestas ea moderandi et puniendi. Sicut igitur non judicat de occultis, [6] nec ea pœnis plectere censenda est. Actus debet esse completus ac perfectus in sua specie morali, ut censura habeatur contracta ; nec enim animi consilium, nec tentamen, sed ipse actus, qualem legis verba describunt, pœnam secum trahit. Sic censura ob incestum lata copulam consummatam sequitur, non item attentatam. Sed licet legislatori ipsum tentamen, si ita visum fuerit, sub pœna illa prohibere, vel actum aliquem externum, quamvis ab opere completo omnino remotum. Sic plerique theologi excommunicationem latam in absolventem complicem in peccato aliquo turpi contra sextum præceptum, interpretantur de quocumque externo gravi actu libidinoso : v. g. de osculo. Sic et excommunicationi subjacet mandans aliquem Christianorum occidi per sicarios, quamvis mors non fuerit secuta. [7] Nec requiritur, ut actus innotescat ; nam hæresis prolata scripto, quod vulgatum non est, vel voce, intra domesticos parietes, nemine adstante, excommunicatione punitur ; quum enim aliquo pacto prodierit, obnoxia est potestati Ecclesiæ, et reapse diffundi posset cum magno animarum damno. Si verba legis auctorem criminis respiciant, non sunt a patrante illud ad alios qui forsan eum consiliis et hortamentis impulerint, extendenda ; nisi

(1) Vide apud Antoine, ex quo pleraque hæc descripsimus, Tract. *de censuris*, c. i.
(2) S. Alphonsus, l. vii. n. 8.
(3) Reg. xlv. in 6.
(4) C. Quia periculosum, *de sent. excom.* in 6.
(5) S. Alph. l. vii. n. 30.
(6) C. xxxiii. *de simonia*.
(7) Cap. i. *de homicid.* in 6.

lex eos etiam verbis perspicuis complectatur.

25. *Contumacia* in auctoritatem ecclesiasticam *necessaria est*, ut quis censura irretiatur; nam pœnæ eam spernentibus irrogantur juxta illud Christi : « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » [1] Hinc gravissima scelera, quibus adnexa est censura, admittentes, qui Ecclesiæ vetitum ignorant, non eam contrahunt. Qui sciunt prohibitionem, sed ignorant censuram adnecti, eam contrahunt juxta aliquos, quia revera spernunt auctoritatem Ecclesiæ : alii tamen censent eos non esse contumaces, quoties non norunt id graviter vetitum sub censura. [2] Ob scelera omnino præterita, quantumvis enormia, ferri non potest censura, quum sit in animæ remedium, potius quam vindictæ causa ; sed si criminis effectus permaneat, nonnisi censura tollendus, fertur hæc aliquando, v. g. ut publicæ offensioni reus cogatur obviam ire, vel damnum illatum reparare. De culpis futuris censuræ ab homine ferendæ non sunt. [3] Degradatio autem et depositio, quæ in pœnam decernuntur, non sunt censuræ. Cessatio a divinis pariter censuris non est accensenda : est enim potius mœroris indicium ob injuriam Ecclesiæ factam. Excommunicatio et suspensio aliquando latiori sensu usurpantur pro separatione ab altari etc. ad tempus, quæ ob præteritum crimen decernitur.

26. *Propria cujusque culpa* ad excommunicationem contrahendam exigitur : gravissima quippe est pœna. Censuræ minores, interdictum scilicet et suspensio, aliquando irrogantur cœtui ob aliquorum, præsertim qui primores sunt, noxam, ut omnium pœna et mœrore noxii ad bonam frugem redeant : « Suspensio, » inquit S. Thomas, « non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati : unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut et totum regnum ponitur sub interdicto pro peccato regis. » [4]

§. III. Quid a censura excuset.

27. *A censura gravi excusat* quidquid a peccato mortali eximit : v. g. quod quis animum non satis adverterit, vel quod res per se levis sit. Sic et quoties præceptum ecclesiasticum desinit ligare ob maximam difficultatem, actus censura vacat, licet lex eam intentet. Qui metu mortis a prodendis sociis deterretur, censura non ligatur in eos lata, qui criminis auctores neglexerint denuntiare. Sed quum in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ nunquam liceat agere, censura contraheretur, si metu etiam mortis quis communicaret cum excommunicato vitando in rebus divinis, iis in rerum adjunctis, in quibus contemnere videretur auctoritatem, qua censura lata est. Dicit insuper Laymann [5] metum, qui non excusat a peccato mortali, excusare aliquando a censura, quia tollit contumaciam ac contemptum. Sic qui metu mortis contrahere matrimonium cum consanguinea attentat, et illud consummare, graviter peccat, sed a censura videtur immunis : nec enim sprevit auctoritatem Ecclesiæ. [6]

28. *Ignorantia legis ecclesiasticæ excusat*, juxta Bonifacii VIII. decretum :

(1) Matt. xviii. 17.
(2) Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. v. n. 8. (3) C. v. *de sent. excom.* in 6.
(4) In addit. qu. xxii. art. iii. *ad secundum.*
(5) De *Censuris*, l. i. tract. v. c. v. n. 9.
(6) Suarez, l. iii. *de legibus*, c. xxx. n. 14.

« Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » [1] Si censura lata sit contra eos, qui temerario ausu, vel scienter, quid fecerint, omnis ignorantia, quæ non fuerit affectata, excusare videtur. De censuris autem, quæ lege pontificia, vel canone generali feruntur, non idem plerisque dicendum videtur: hac enim contrahi censentur ab omnibus, qui Ecclesiæ vetitum norunt, licet censuram ei adnexam ignoraverint. Discriminis ratio in eo reperitur, quod canones generales, utpote pauciores et maturiori judicio lati, executioni demandandi sint, et pœnis idcirco sanciendi, præ statutis singulorum Præsulum. Equidem Pontifex censetur veteri derogasse juri, illo quod de sententiis Ordinariorum edidit decreto, quod proinde ultra manifestam verborum vim non est extendendum. Cæterum quum theologi multi contra sentiant, lis sub judice est. [2]

§. IV. Qui possint ferre censuras.

29. *Censuras ferendi potestas* est penes Ecclesiæ rectores, qui vice Christi solvendo et ligando funguntur: « Nemo, » inquit Chrysostomus, « contemnat vincula ecclesiastica: non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem fecit: [3] Summus Pontifex imprimis, Petri tenens locum, ligare valet quoslibet fideles quolibet munere auctos per orbem terrarum; nam, ut ait Gelasius, « cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi. » [4] Concilia generalia, in quibus Episcoporum cœtui Pontifex præest, saltem per Legatos, anathemate feriunt hæreticos et contumaces quoscumque. Concilia inferiora censuras valent irrogare iis, qui intra provincias, quas repræsentant, degunt. Patriarchæ olim omnem ditionem suam plena potestate regebant, summo Pontifici servato honore jureque præcipuo; poterantque idcirco ferre censuras ubique per suam diœcesim, quo nomine olim veniebant plures provinciæ, vim obtenturas. Metropolitæ jam intra suæ diœcesis limites fere continentur, nullamque censuram, qua suffraganeorum suorum subditi ligentur, nisi in Concilio provinciali, ex Episcoporum assensu, ferre valent; Episcopi quoque singuli nequeunt censuras ferre, quæ extra suum territorium valent. Vicarii generales censuras proferunt. Ordinum Superiores generales, provinciales et locales, juxta Constitutiones speciales, ligare valent subditos suos ubique terrarum. Capitulum Ecclesiæ cathedralis, sede vacante, per Vicarium Capitularem, et Congregationes religionum censuras ferre possunt. Parochi non habent ullam auctoritatem censuras ferendi: carent enim jurisdictione in foro externo; quod de missionariis sacerdotibusque cæteris eo magis dicendum est. Delegari valet potestas hæc ab eo qui habet auctoritatem ordinariam clerico cuicumque, etiam sola tonsura initiato; sed nequit laico communicari, nisi a Summo Pontifice. Feminæ nequeunt ullatenus eam exercere. Quod in jure Abbatissa dicatur posse suspendere clericos sibi

(1) Cap. ii. *de constitut.* in 6.
(2) Laymann negat discrimen, *loco supra citato*, n. 10.
(3) Hom. iv. in ep. ad Hebr.
(4) Ep. vii. ad Ep. Dard. apud Harduin. t. II. col. Conc. col. 909.

subjectos, intelligitur de prohibitione celebrandi, quæ censuræ vim non habet, et reddituum subtractione. [1] Cæterum Summum Pontificem posse committere aliquam hujusmodi potestatem feminæ censent nonnulli juris canonici periti, [2] dicente S. Thoma : « Mulier nec ordinis nec jurisdictionis clavem habet : committitur autem ei aliquis clavium usus. [3]

§. V. Qui possint censura affici.

30. *Censuræ in vivos tantum* feruntur : nam Ecclesiæ in subditos potestas ultra hanc vitam haud extenditur. [4] Attamen aliquando anathema dictum est defunctis, quorum hæreses post eorum mortem innotuerunt : [5] quod tamen censuræ rationem non habuit, sed odio hæresis latum est. Sic absolvuntur aliquando mortui, haud animis a vinculis solvendis, sed precum Ecclesiæ consortio eis indulgendo, ablato obice, qui priori aliquo decreto objiciebatur. [6]

31. *Nemo qui baptismum non susceperit*, potest censura affici, « cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. » « Quid enim mihi, » inquit Apostolus, « de iis qui foris sunt, judicare? » [7]

32. Censuræ non afficiunt eos, qui rationis non sunt compotes : nec plerumque impuberes, qui censentur contumacia carere. Cæterum ex speciali lege Tridentina pueris, rationis utique compotibus, licet impuberibus, intra septa monasterii ingredi, absque licentia, sub excommunicationis pœna vetatur : « Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. » [8] Sic et pueri verberantes clericum, incidunt in excommunicationem, a qua tamen, licet Pontifici reservata sit plerumque, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri, cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus. » Ita statuit Gregorius IX. [9] Ebrii incidunt in censuras, si delictum patrent, quod præviderant se verosimiliter in ebrietate patraturos : sic si incestus sub censura vetetur, et prævideat aliquis se ebrium ea ratione peccaturum, nil est cur eximatur a censura : secus si inopinato eum patret.

33. *Subditi intra diœcesim commorantes* suorum Episcoporum legibus, et ideo censuris, quæ iis adnectuntur, tenentur. Quod si extra eam versari contigerit, iis minime ligari noscuntur; cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune. » [10] Qui in fraudem legis extra diœcesim se conferunt, nullam immunitatem inde mutuantur : [11] quia « nemini fraus sua patrocinari debet; » [12] qui igitur ad excommunicationis sententiam declinandam, quæ in aliqua diœcesi lata est in nubentes coram præcone hæretico, alio aufugiunt, nuptias ibi inituri, censura hac irretiuntur. Sic et ligantur subditi legibus, quæ res suas

(1) C. Dilecta, *de majorit. et obedientia.*

(2) Vide Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. iii. n. 4. (3) In iv. dist. xix. qu. i. art. i. qu. iii. *ad quartum.*

(4) C. ii. *Legatur*, Causa xxiv. qu. ii.

(5) C. vi. Sane profertur, ibidem.

(6) C. A nobis est sæpe, *de sent. excom.*

(7) Conc. Trid. Sess. xiv. c. ii. *de Sac. Pœnit.*

(8) Sess. xxv. c. v. *de Reg. et Mon.*

(9) C. ult. *de sent. excom.*

(10) Cap. ii. *de constit.* in 6.

(11) P. Thomas a Charmes, *de Legibus*, c. iii. art. v. par. iii.

(12) Cap. Si vir, *de cogn. spir.*

in diœcesi positas, v. g. beneficia, spectant: ideoque si suspensione percellatur, quicumque ab Ecclesia sibi commissa per mensem abfuerit, absque venia; qui, dum conderetur lex, aberant, non effugient censuram, si neglexerint intra mensem a lata lege reverti. Subdito etiam extra diœcesim posito potest dari præceptum speciale implendum sub censuræ comminatione: v. g. ut redeat ad munia necessaria obeunda.

34. *Episcopus extra diœcesim suam* positus valet subditos suos in ea versantes ligare, quamvis nequeat jurisdictionem cum judiciorum strepitu exercere: sententiæ autem, quas fert, subditis suis rite communicentur oportet. Porro subditi qui una cum ipso extra diœcesim versantur præceptis specialibus ligari possunt sub censura. [1] In eos invitos jurisdictio, quæ dicitur contentiosa, nequit exerceri, nisi causa in diœcesi jam cognita sit; sententia enim tunc ferri posset absque strepitu judicii. In rebus manifestis, ubi quis se reum prodit, v. g. si clericus Episcopo iter agenti comes deprehendatur ebrius, vel impudicus, poterit censura percuti: nam « manifesta accusatione non indigent. » [2] Si Episcopus a sua diœcesi expulsus sit, poterit in locis viciniorihus, licentia ab Ordinario petita, licet non impetrata, jurisdictionem in suos exercere. [3] Ex Ordinarii consensu id potest alias fieri, dummodo reus non cogatur invitus extra territorium judicio se sistere.

35. *Peregrini qui ad breve tempus* in diœcesi commorantur, legibus specialibus non censentur a plerisque [4] ligari, nisi quatenus ordinis generalis intersit: peccant autem, et censuris se irretiunt, si leges violent, quæ territorium spectant. Sic furantes in ecclesia excommunicationem contrahunt, quæ a statuto diœcesano illi crimini adnectitur. [5] Quum reus sortiatur forum ratione delicti, ab Episcopo loci plectendus est. Quod si sententia ferat amissionem beneficii, quod alibi possidet, ejus executio ad Episcopum in cujus diœcesi situm est, referenda erit: interrogatus enim Innocentius III. de sacerdote beneficium in alia diœcesi, domicilium in alia, in qua deliquit, habente, utrum in hac judicari posset, « præsertim in causis quæ officii sui, seu beneficii privationem exposcunt, » respondit, « quod per Episcopum, in cujus diœcesi deliquit, sententia promulgari poterit in eumdem: sed ab eo, in cujus diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda. » [6] Si reus exierit a territorio ante citationem, nequit Episcopus loci censuram in eum ferre: secus, si citatus fuerit; inchoatum enim judicium ad finem perducendum est. [7] Episcopi alii, imo Archiepiscopus, in alienis diœcesibus, delinquentes possunt ab Ordinario censuris affici, et excommunicari; ratione enim delicti Episcopo loci subjacent: refertur quippe declaratio S. Congregationis Concilii « quod Episcopus etiam Archiepiscopum suum in diœcesi Episcopi delinquentem possit excommunicare. » [8]

36. *Communitas delinquens* excommunicari nequit nisi a Pontifice, quamvis valeat excommunicatio, si proferatur. « Ut etiam licite Episco-

(1) Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. iv. n. 7. S. Alph. l. vii. n. 21.
(2) C. *Manifesta*, ii. qu. i.
(3) Clem. Quamvis, *de foro compet.*
(4) Vide Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. iv. n. 5.
(5) S. Alph. l. vii. n. 27.
(6) Cap. iv. *de foro compet.*
(7) S. Alph. l. vii. n. 26.
(8) Ibidem.

pus aliquam communitatem excommunicet, debet singulos culpatos nominatim excommunicare. »[1] « In Universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, » inquit Innocentius IV. « volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri : sed in illos duntaxat, de collegio vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgentur. »[2] Nil igitur vetat æditiuorum cœtum, singulis nominatis, excommunicari, si jura ecclesiæ conculcaverint.

37. *Irretitus una censura* potest et aliam contrahere, etiam ob idem crimen, si videatur Pontifici nova plectere pœna, quem Episcopus jam perculit. Item duplex est vinculum, si idem actus duo includat peccata, quorum utrumque sub censura prohibitum est, v. g. violatio sanctimonialis intra claustrum. Item nova ligatur censura, qui iterat crimen sub censura vetitum, vel qui aliud facit, cui censura alia adnexa est.

§. VI. Qui ordo in censuris ferendis servandus sit.

38. *Una saltem monitio* exigitur, antequam excommunicatio ab homine proferatur, per sententiam specialem; nec enim habendus est contumax in ecclesiam, qui monitus non fuerit. « Sacro approbante Concilio, » inquit Innocentius III. « prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, et personis præsentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat. »[3] Tres plerumque per dierum intervalla faciendæ sunt monitiones; sed et una pro omnibus, gravi urgente causa, sufficit : « Statuimus quoque, » inquit Gregorius X. « ut inter monitiones, quas, ut canonice promulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura præmitti; judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla : nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda. »[4] Nulla requiritur monitio, quando agitur de censura latæ sententiæ a jure : nam lex unumquemque monet;[5] sed quando sententia *declaratoria*, uti aiunt, proferenda est, citandus est reus, nisi crimen sit notorium : nam « excessus notorius examinatione non indiget : »[6] cæteroquin copia facienda est reo se vindicandi; nemo quippe inauditus damnandus est : « Nec nos » inquit Gregorius VII., « contra inauditam partem aliquid possumus definire. »[7] Citatio domi facta sufficit, si ad rei notitiam pervenisse probetur. Monitio autem requiritur trina, si censura sit ferendæ sententiæ. Scripto monitio plerumque est facienda;[8] sed si judex ex officio procedat, sufficit, ut fiat verbo, coram testibus, qui eam probare valeant. Si agatur de pluribus generaliter, monitio coram populo in ecclesia sufficit.[9] Si de communitate quadam, delinquentes, quorum causa censura intentatur, sunt sigillatim monendi. Hæc ad excommunicationem pertinent, quæ etiam in suspensione et interdicto servare oportet, quoties censuræ vim obtinent : feruntur tamen aliquando pœnæ instar, ad reum ob

(1) S. Alph. l. vii. n. 19.
(2) Cap. Romana, *de sent. excom.*
(3) Cap. xlviii. *de sent. excom.*
(4) Cap. ix. eod. tit. in 6.
(5) Cap. xxvi. *de appell.*
(6) Cap. Bonæ, xxiii. *de elect.*
(7) Cap. i. *de causa possess.*
(8) S. Alph. l. vii. n. 66. (9) Ibidem, n. 57.

delictum admissum plectendum; quo casu monitio non requiritur.

39. *Censura debet ferri scripto*, et causa exprimi, et exemplum scripturæ reo dari, si petat intra mensem ab ea lata: « Quisquis igitur excommunicat, » inquit Innocentius IV. « excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus. . . . Et hæc eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari. »[1] Cæterum, quum in hac regione lites intententur aliquando Episcopo censuras ferenti, cavere debet, ne quid scripto tradat, quod possit actioni civili præbere occasionem, vel quod alias in religionis detrimentum cedat; sed non videtur dari actio civilis, si reo petenti causa in judicio probata exponatur; secus si Episcopus communicet judicium aliis, quorum non interest.

§. VII. Quæ valeant censuræ.

40. *Censura non valet*, si proferatur ab eo, qui caret jurisdictione. Hinc Episcopus, qui judicio Pontificis excommunicatione vel suspensione ligatus est, vel qui hæreseos schismatisve reus declaratus est, nequit censuram ferre:[2] sed donec denuntiatus fuerit, non videtur jurisdictione spoliatus, quamdiu peccet ea exercenda. Vicarius Episcopi censura ligati nequit censuram ferre: nam non agit nisi ejus nomine.

41. *Non valent censuræ in Regulares latæ*, qui speciali privilegio jurisdictioni Episcopi subtracti sunt; quos idcirco pœna hujusmodi percellere nequit, etiam tamquam Delegatus Apostolicus.[3] Hinc Mendicantes et Jesuitæ nequeunt excommunicari, vel suspendi ab Episcopo, ob speciale privilegium iis concessum: possunt tamen Regulares qui curam exercent animarum a munere amoveri, etiam nulla adsignata causa, quæ Pontifici tantum exponenda est.[4] « In aliis vero casibus « inquit Colletus de casibus in quibus exempti sunt mox locutus, « non minus quam cæteri censuris obnoxii sunt, . . . unde certum est Regulares, si absque Episcopi licentia prædicare, sæcularium confessiones excipere, absolvere a casibus reservatis præsumant, etc. censuris Episcopi obnoxios esse. »[5]

42. *Appellatione facta* a sententia sub conditione lata, non valet censura deinceps prolata, quia res ad superius tribunal defertur: v. g. si sententia his verbis feratur: « nisi Sempronio intra viginti dies satisfeceris, te excommunicatum, aut suspensum, aut interdictum esse cognoscas. »[6] Sed sententia absolute lata statim obtinet effectum, licet appellatio interponatur: « sane, sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minime suspenduntur. »[7] Sic censuit Pontifex denuntiandum excommunicatum, et spoliandum redditibus, licet appellaverit, « cum executionem excommunicatio secum trahat. »[8]

43. *Non valet censura prolata, ordine judiciorum prorsus neglecto.* Hinc

(1) C. i. *de sent. excom.* in 6.
(2) C. Exceptionem, *de except.*
(3) S. Alph. l. vii. n. 26.
(4) Bened. XIV. Bulla quæ incipit: *Firmandis.*
(5) *De censuris*, p. i. c. iii. art. iii. Concil. ii.
(6) Cap. xl. *de appell.*
(7) C. xx. *de sent. excom.* in 6.
(8) Cap. liii. *de appell.*

si omnis monitio omissa sit,[1] vel in re haud manifesta et notoria, reo nulla data sit copia vindiciarum,[2] censura vi omni caret. Una monitio prævia ad valorem censuræ sufficit. Peccat graviter, et interdicitur Ecclesiæ ingressu per mensem, qui, omni monitione omissa, censuram fert : quam tamen pœnam Episcopus non contrahit. Peccat etiam qui, extra casum necessitatis, censuram scripto tradere negligit, quæ tamen voce prolata valet.

44. *Censura* prolata *ob crimen* in judicio falsis testimoniis probatum nulla est, quum nulla sit justa eam proferendi causa : attamen servanda est publice, ne auctoritas legitima sperni videatur. Equidem ordo postulat, ut sententiæ a judice prolatæ serventur, donec a superiore fuerint rescissæ : qua in re exercenda est humilis animi patientia : « et tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum. »[3] Multo magis servanda est censura, cujus injustitia non est explorata. Censura autem lata absque ullo juris ordine ex odio, invidia, vel vindictæ privatæ studio, nullatenus valet ; quamvis publice servanda sit, ne auctoritas ecclesiastica vilescat : quapropter, docente S. Gregorio, « Sententia pastoris, sive justa, sive injusta sit, timenda est. »[4] Cæterum coram iis, quibus patet censuræ injustitia, non videtur necessario servanda, quum per se sit nulla. Quando evidenter est nulla, utpote lata ob causam omnino futilem, non ligat ullatenus.[5]

§. VIII. Qui possint censuras solvere.

45. Censura *ab homine* tolli nequit, nisi ab eo, qui eam tulit, vel ejus superiore, vel delegato ; quum enim lata sit specialiter in quemdam, par vel superior potestas exigitur ad vinculum tollendum. Archiepiscopus nihil potest in suffraganeorum suorum sententias, nisi interposita ad eum appellatione, vel in visitatione diœcesis alicujus ex decreto Concilii Provincialis suscepta. Censuræ *a jure*, quæ non fuerint specialiter reservatæ, nec ad forum contentiosum deductæ, possunt a quocumque Episcopo vel sacerdote jurisdictione prædito tolli, juxta illud Innocentii III. : « Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. »[6] « Confessarii possunt, » ex sententia S. Alphonsi, « absolvere non solum ab excommunicatione, sed ab omnibus aliis censuris non reservatis, nempe a suspensione, et interdicto personali, etsi absolutio earum non requiratur ad perceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio, quia illa concessio, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras. »[7] « Episcopus etiam in alieno territorio potest suos subditos absolvere in foro tam externo, quam interno, semper ac absolutio sit sine strepitu judiciali. »[8]

46. *Ampliavit Concilium Tridentinum* Episcoporum facultates hoc decreto : « Liceat Episcopis... in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua per se

(1) Collet *de censuris*, p. i. c. iii. art. iv.
(2) Laymann, *de censuris*, l. i. tract. v. c. vi. n. 4.
(3) In iv. dist. xviii. qu. ii. art. i. qu. ii.
(4) Hom. vi. in Ev.
(5) Collet, *de censuris*, p. i. c. i. Div. 4. 2. *Censura injusta*.
(6) C. Nuper, *de sent. excom.*
(7) L. vii. n. 70.
(8) Ibidem, n. 72.

ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum. »[1] Nequeunt Episcopi absolvere vel delegare facultatem absolvendi in casibus papalibus extra Sacramentum Pœnitentiæ.[2] Possunt ex juris concessione impeditos ne recurrant ad Papam, quales sunt mulieres, pueri, senes, infirmi, absolvere, præstito tamen juramento ab iis, qui perpetuo non laborant impedimento, se, eo sublato, Pontificis, vel ejus Legati, mandata excepturos:[3] quod debent facere sub pœna iterum contrahendi censuras.[4] « Moniales non possunt absolvi ab Episcopo a censura ob violationem clausuræ etiam occultam, excepto mortis articulo, ex declaratione Gregorii XIII. . . . Pontifex enim illam sibi specialiter reservavit, quamvis sciret moniales esse perpetuo impeditas. »[5] Bulla quæ dicitur *in Cœna Domini*, quotannis publicari consueta in illo die, hæresis absolutio Episcopis sublata est:[6] quapropter in foro conscientiæ nequeunt eam impertiri, nisi speciali Pontificis indulto, quod Episcopis Statuum Fœderatorum consuevit concedi. Ubique tamen in foro externo hæreticus sponte comparens coram Episcopo, vel quocumque pacto denuntiatus, absolvi potest, post errorum suorum abjurationem, Episcopo tamquam Delegato Apostolico excommunicationem tollente: qua sublata, a confessario simplici venia in tribunali pœnitentiæ donari poterit.[7] Quum Episcopis in hac regione detur ab Apostolica Sede facultas ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla *Cœnæ*, et ab hæresi reos solvendi, quæ jure præscribuntur de impeditis, locum apud nos non habent: quapropter juramentum de se sistendo Pontifici nunquam exigitur. Hanc facultatem Episcopos erga suos subditos extra suam diœcesim versantes exercere posse plerique dicunt, quum pertineat ad jurisdictionem voluntariam, et strepitu judicii non indigeat.[8]

47. *In Jubilæis dari solet ampla absolvendi facultas* ab omnibus casibus Papæ reservatis, quæ tamen censuras in Bulla Cœnæ, multo minus eam, quæ ob hæresim lata est, non complectitur,[9] uti sæpius declaratum est; est enim regula juris: « In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus. »[10] Idem dicendum de Bullis quæ contra solicitantes et absolventes complices latæ sunt. Ampla illa facultas tempore Jubilæi complectitur potestatem absolvendi a casibus et censuris Episcopo reservatis; ita enim usus communis habet;[11] et alioquin posset Pontificis indulgentia Episcoporum severitate frustrari. Extra Jubilæum autem nequeunt a casibus his absolvere, qui specialem ab Episcopis veniam non impetrarunt;[12] nec enim

(1) Sess. xxiv. *de Ref.* c. vi. Vide supra xviii. 160. 175.

(2) S. Alph. l. vii. n. 81.

(3) Cap. xiii. et cap. lviii. *de sent. excom.*

(4) Cap. xxii. *de sent. excom.* in 6.

(5) S. Alph. l. vii. n. 88.

(6) Vide prop. iii. inter damnatas ab Alex. VII. die 24. Sept. 1665. et Bened. XIV. in Bulla: *Convocatis.*

(7) S. Alph. l. vii. n. 85 et Giraldi, *Expos. Jur. Pontif* p. i. §. dcccix. p. 622.

(8) S. Alph. l. vii. n. 81.

(9) Vide Bullam *Cœnæ*. §. *Non obstantibus*: et decret. Alex. VII. die 25 Martii 1666. Barbosam etiam *de officio et potestate Episcopi*, par. iii. Alleg. i. n. 274. 275. (10) Reg. Jur. lxxxi. in 6.

(11) S. Alph. l. vii. n. 5.

(12) Vide Prop. xii. inter damnatas ab Alex. VII.

mens est Pontificis, generali illa facultate, id indulgere, quod infirmaret Episcoporum statuta.

48. *Absolutio data tempore Jubilæi* homini rite disposito, qui vult eum consequi, tollit censuras, licet contingat hunc indulgentiam non lucrari, ob aliquem defectum, vel incuriam: nam semel ablata censura non redit, nisi jus pœnam statuat, quam vocant *reincidentiæ*, quæ hoc casu deest.

49. *In mortis articulo* « omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt. »[1] Sunt qui id intelligunt, quatenus necesse sit ad Sacramenta suscipienda. Id quidem constat absolutos in eo discrimine teneri, si evaserint, se sistere superiori, sub pœna easdem censuras iterum contrahendi,[2] et debere juramentum de eo exequendo emittere, saltem pro foro externo;[3] « pro foro interno dicunt sufficere promissionem. »[4] Si adsit Episcopus, nequit sacerdos absolvere a censuris Episcopo reservatis, quia obligatio se Episcopo quamprimum sistendi, pœnitenti imponenda est: quæ proinde implenda est statim, ipso præsente.[5]

50. *Censura non cessat sola rei pœnitentia:* quum enim auctoritate Ecclesiæ irrogetur, ab ea tollatur, necesse est.[6] Hinc damnavit Alexander VII. hanc propositionem: « Quoad forum conscientiæ reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censuræ. »

51. Absolutio a censura valet quibuslibet verbis, quæ eam exprimunt, data, non tamen sola mente concepta: nam ad regimen externum pertinet; servanda est etiam forma ab Ecclesia præscripta. In foro interiori consueta absolutionis forma, generalibus verbis concepta, servanda est, quoties de excommunicatione agitur: « Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis. » Nulla verba præcipue determinata sunt pro absolutione ab interdicto, vel suspensione, sed quæ adhiberi possint in Rituali Romano proponuntur: « Auctoritate mihi ab N. tradita, ego absolvo te a vinculo suspensionis, (*vel* interdicti) quam (*vel* quod) propter tale factum (*vel* causam) incurristi (*seu* incurrisse declaratus es). In nomine Patris, ✝ et Filii, et Spiritus sancti. Amen. » In foro exteriori forma specialis absolvendi ab excommunicatione præscribitur;[7] in qua tamen ritus percutiendi leviter humerum hominis virga difficile poterit executioni demandari, ob mores regionis repugnantes: quamvis significationem aptissimam habeat juxta illud Apostoli: « Quid vultis? in virga veniam ad vos? »[8] Percussionem hanc ex justa causa omitti posse tradit Busembaum.[9] Generalis absolutio ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, (si pœnitens sit clericus) et interdicti, semper datur ante absolutionem a peccatis, ad cautelam, ne forte lateat censura, quæ obstet veniæ sacramentali.

52. *Valet absolutio ab eo*, qui potestate præditus est, data absenti, sed non licet absque urgenti causa, quum Ecclesiæ consuetudini adversetur: ideo a superiore delegari solet facultas absolvendi, ut absolvendus se sistat

(1) Conc. Trid. Sess. xiv. c. vii. *de Sac. Pœnit.*
(2) Cap. xxii. *de sent. excom.* in 6.
(3) Cap. lviii. *de sent. excom.*
(4) S. Alph. l. vii. n. 92.
(5) Ibidem.
(6) Cap. xviii. *de sent. excom.*
(7) Vide Rituale nuper Baltimori editum, p. 38.
(8) I. Cor. iv. 21.
(9) Apud S. Alph. l. vii. n. 117.

coram delegato : vel aliquando constituitur speciali mandato absentis procurator, qui nomine illius petat absolutionem, et mandata suscipiat.

53. *Qui pluribus ligatur censuris*, potest ab una absolvi, aliis relictis, quia sunt vincula diversa ; [1] hinc potest clericus absolvi excommunicatione, quin desinat suspensione, qua ob aliam causam irretitus est, ligari. Absolutio autem ab omni vinculo excommunicationis data ab eo, qui habet facultatem, valet, licet quædam eum lateat, dummodo non fuerit culpa pœnitentis omissa : quapropter ab alio confessore postea absolvi poterit : at si reservata fuerit specialiter censura Episcopo, reservatio non tollitur oblivione pœnitentis, quum finis reservationis sit, ut ei innotescant peccata [2]

54. *Potest absolvere superior* sub pœna reincidentiæ : v. g. si delictum quoddam admiserit : pendet enim absolutio a voluntate superioris, et potest onera quædam vel conditiones auctoritatis suæ exercitio adjicere, quum pertineat ad regimen externum.

55. *Si urgeat necessitas celebrandi*, vel communicandi, debet censura irretitus peccata confiteri, licet confessarius non habeat facultates speciales, quia, urgente tanta necessitate, poterit hic absolvere pœnitentem directe a non reservatis, et indirecte ab iis, quibus adnexa est censura. [3] Id dicendum est, etiamsi censura sit ab Episcopo reservata, dummodo non sit *ab homine*.

56. *Qui insordescit in censura*, suspectus habetur hæreseos : [4] insordescere autem censetur, qui per annum animo pertinaci, et cum contemptu potestatis Ecclesiæ, perseverat in eadem excommunicatione, sive in alia censura. [5] Contra eum igitur licet procedere tamquam in causa hæreseos.

57. *Quoties facultas absolvendi a censura datur*, iis adjectis vocibus : « satisfacta tamen parte ; » confessarius tenetur sub gravi peccato veniam non impertiri, nisi satisfactione jam præstita : quod si solverit a censura, ea neglecta, plerisque videtur absolutio non valere, quum satisfactio conditionis vim habeat. [6] Profecto confessarius satisfactionem curare negligens, damna resarcire debet, quum vi sui muneris eam exigere teneretur. [7] Si creditor procul sit, satisfactio censetur dari, pecunia in loco tuto deposita, ut eam deinceps recipiat. Sic si obstet gravissima difficultas, potest absolutio dari, omnibus præstitis, quæ ad satisfactionem præstari tunc possunt. Satisfactione autem opus non est, quoties læsus sponte remittit injuriam : vel satisfactionem oblatam injuste rejicit ; vel quando reus nequit satisfacere ; nam dum nulla est contumacia, venia deneganda non est. [8] Cæterum cautio de satisfaciendo in posterum præstanda est sub juramento ab impedito, [9] si de obligatione constet. Quod si partem, quam potest, præstet, et pignus de parte reliqua, satisfecisse censetur. A reis graviorum facinorum, in quos excommunicatio lata est, juramentum de tali crimine non patrando in posterum exigendum est, etiam in foro conscientiæ. [10] Absolvendus plerumque non est, qui beneficium hoc non implorat : « Nisi gratiam absolutionis imploret, non

(1) Cap. xxvii. *de sent. excom.*
(2) S. Alph. l. vii. n. 131. (3) Ibidem, n. 92.
(4) Conc. Trid. Sess. xxv. cap. iii. *de ref.*
(5) S. Alph. l. vii. n. 157.
(6) Ibidem, n. 121. (7) Ibidem, n. 127.
(8) C. Qua fronte, *de appel.*
(9) C. Odoardus, *de solut.* et c. Ex parte, xxiii. *de verb. signif.*
(10) C. De cætero, et c. Ex tenore, *de sent. excom.*

debet audiri, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videatur. »[1] Aliquando tamen absolvi potest ob bonum publicum, vel etiam salutem ipsius rei, qui petere absolutionem detrectat, dummodo sit emendatus: imo si crimen non habeat *tractum successivum*, uti aiunt, etiam qui emendatus non est. Superior potest tollere censuram contumaci, quia in ejus arbitrio est posita.

58. *Qui in foro conscientiæ absolutus est* a censura, quæ palam innotuit, debet exterius se gerere veluti ac si foret adhuc ligatus: nam publicum vinculum auctoritate ecclesiastica in foro externo tollendum est.

59. *Non valet absolutio invito* per vim vel metum injustum extorta, sed vim inferens excommunicationem contrahit.[2] Si per dolum circa causam finalem extorqueatur, etiam invalida censetur; quia superior non vult absolvere nisi ob causam sibi propositam.[3] Alias dicendum si noverit causam falsam allegari, quia utitur ejus arbitrio vinculo tollendo: delegatus autem nequit fines mandati transilire.

CAPUT IV.

DE EXCOMMUNICATIONE.

60. *Excommunicatio* est censura, per quam baptizatus privatur communione Ecclesiæ, bonisque spiritualibus omnibus quæ subjacent potestati Ecclesiæ: v. g. Sacramentorum susceptione et administratione, Ecclesiæ suffragiis, divinis officiis etc. *Anathema* dicitur, quando majori solemnitate lata est. Faces in terram projiciuntur, cujus ritus mentio primum facta est dum anathema in interfectores Fulchi Archiepiscopi Rhemensis ferretur.[4] Potestas eam ferendi ex Christi verbis habetur: « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. »[5] Ea perculit incestus reum Paulus, ad Corinthios scribens: « Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis. »[6] « Summum » inquit Tertullianus, « futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sacri commercii relegetur. »[7] De ea dicit Augustinus: « Qua pœna in Ecclesia nulla major est. »[8] Quoties excommunicationis fit mentio simpliciter, hæc intelligitur, quæ et *major* dicitur, ut distinguatur *a minori*, quæ est privatio receptionis et administrationis licitæ Sacramentorum, et electionis ad beneficia ac dignitates ecclesiasticas. Hæc contrahitur ob communicationem culpabilem, in rebus etiam civilibus, cum excommunicato non tolerato.[9] Qui communicat in crimine, ob quod lata est excommunicatio, contrahit excommunicationem majorem, « cum facientem et consentientem par pœna constringat. »[10]

61. *Vitandi sunt* ex Constitutione Martini V. in Concilio Constantiensi, ii tantum, qui nominatim sunt excommunicati, et publice denuntiati, in Ecclesia tempore Missæ vel concionis, vel alias pro more regionis, vel qui adeo notorie percusserunt clericum, ut nec ulla possit tergiversatione celari, vel ullo juris suffragio excusari.[11]

(1) C. Per tuas, *eod. tit.*
(2) C. unic. *De iis quæ vi et c.* in 6.
(3) S. Alph. l. vii. n. 132.
(4) Fleury hist. Eccl. l. liv.
(5) Matt. xviii. 17. (6) I. Cor. v. 3.
(7) Apolog. c. xxxix.
(8) L. *de cor. et grat.* cap. xv.
(9) Cap. iii. *de sent. excom.* in 6.
(10) Cap. xxix. *de sent. excom.*
(11) Const. *Ad evitanda.*

Vix autem constare potest, absque judicis sententia, percussionem omni juris suffragio carere; ideoque raro admodum quisquam tenetur vitare alium hoc ex capite. [1] Posterior Leonis X. Bulla, [2] qua jussum est, ut vitarentur omnes, qui notorie in sententiam excommunicationis inciderant, consuetudine est abrogata. Cæteri igitur *tolerati* dicuntur, quia nemo eorum consortium fugere tenetur. Sic Liberi Muratores non sunt necessario vitandi: imo nec ille vitandus est, cui sub excommunicationis pœna aliquid publice vetitum est, licet constet omnibus eum vetitum violasse: nam denuntiatio post factum requiritur. « Non tenemur, » inquit S. Alphonsus, « vitare hæreticos, etiamsi notorium sit hos esse a jure excommunicatos, nisi sint insuper nominatim excommunicati et denuntiati. . . . Nec obstat dicere, quod saltem ex jure divino tenemur publice excommunicatos, maxime hæreticos vitare, ex illo ad Titum III.: « Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita. » Et ex epist. II. Joan. « Nolite eum in domo recipere, nec ave ei dixeritis. » Hoc enim respondetur intelligi præceptum, quando esset periculum, quod ab eo inficeremur, vel si scandalum adesset, aut si spes esset, quod delinquens ex vitatione resipisceret. » [3] Haud tamen licet in divinis cum hæreticis vel schismaticis communicare; quamvis enim theologi nonnulli, Constitutionem Martini V. largius interpretantes, id aliquando licere docuerint, fatentur omnes nefas esse, quandocumque falsi dogmatis professionem, vel muneris usurpati agnitionem secum fert: quod plerumque contingit. Hinc S. Cong. Inquis. jussit ut scriberetur ad Episcopum Tribigni: « Episcopus mandet Catholicis sibi subjectis ne accedant ad missas, et ad alia officia divina in ecclesiis schismaticorum; » [4] quod intelligendum deinceps declaravit etiam « pro ipsis locis in quibus non reperiuntur sacerdotes Catholici, et de orationibus nihil contra fidem et ritum catholicum continentibus. » [5] Idem de intrusis et refractariis ecclesiasticæ potestati statuit Pius VI., occasione juramenti in Ecclesiæ jurium præjudicium, quod, gubernio Gallico præcipiente, emiserunt quidam presbyteri, rebus turbatis. [6] De suspenso, vel interdicto, idem dicendum ac de excommunicato « vitando in iis rebus in quibus vi suspensionis vel interdicti vetitum est eis communicare; ita ut usquedum non sint publice denuntiati, possimus indifferenter communicare cum illis, quia Concilium loquitur universe de quacumque censura. » [7]

62. *Effectus excommunicationis majoris* septem numerantur. I. privatur reus communibus Ecclesiæ suffragiis, scilicet sacrificiis, orationibus, indulgentiis, ita ut non liceat sacerdoti, Ecclesiæ nomine, sacrificium pro eo offerre, vel preces publicas, quales in Missali vel Breviario continentur. [8] « In quanto periculo sunt, » animadvertit S. Bernardus, « pro quibus Ecclesia palam orare non audet, quæ fidenter etiam pro Judæis, pro hæreticis, pro gentibus orat. Cum enim in Parasceve nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen men-

(1) S. Alph. l. vii. n. 164.
(2) *De concordatis.*
(3) L. vii. n. 136.
(4) Die 5 Dec. 1668.
(5) Die 7 Aug. 1704.
(6) In Brevi *Charitas*, 13 April 1791. Instruct. 26 Sept. 1791. et in Brevi *Novæ hæ litteræ* 19 Martii 1792. (7) S. Alph. l. vii. n. 140.
(8) Ex cap. Sacris *de sent. excom.* et cap. *Audi*, et c. *Omnis* xi. qu. 3.

tio fit de excommunicatis. »[1] Nil autem vetat ut sacerdos privatim petat, etiam dum Sacrum facit, mentis tamen cogitatione, potius quam prece ecclesiastica, excommunicati conversionem et salutem. [2] Pro tolerato licere offerre Sacrificium nomine Ecclesiæ, satis probabilis est sententia. [3] Potest idcirco privatus curare ut Sacrificium pro eo offeratur. » Absit ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus ! » [4]

63. II. *Privatur Sacramentorum receptione et administratione*, ita ut mortaliter peccet aliquo Sacramento recipiendo, vel eo extra necessitatem gravissimam ministrando. [5] Peccat idcirco qui Sacramenta ministrat vitando, imo etiam tolerato, si nulla eum excuset necessitas : nam indigno Sacramenta non sunt præbenda. Excommunicatus nequit absolvi a peccatis donec excommunicatio ablata sit : quod si absolutionem recipiat inculpabiliter ignarus censuræ, qua ligatur, valet ex sententia Colleti et S. Alphonsi, quia « Ecclesia nequit directe inhabiles reddere ad sacramentum eos, qui ex jure divino habiles sunt. » [6] Cætera sacramenta ab excommunicato suscepta etiam mala fide certo valent. Negligens Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ in Paschate suscipere, peccat, licet nequeat accedere censura ligatus; sed præcepta directa sunt ad animam mundandam et sanctam efficiendam, ideoque tenetur obices tollere, venia et absolutione a censura petenda. [7] Non tamen videtur plerisque peccare Missa non audienda diebus festis, [8] quia ei non licet, excommunicatione quum sit irretitus : nec obicem statim tollere tenetur, quum præceptum ejus tollendi non extet. Contradicit tamen Colletus cum aliis. [9] Licet excommunicato adstare concioni. [10] Licet etiam, imo tenetur, si sacris Ordinibus insignitus sit, horas canonicas privatim persolvere; non tamen cum socio. Omittendus est versiculus : « Dominus vobiscum ; » quum consortium orationis indicet; sed ejus usus venialem culpam vix excedit. Licet tolerato Sacramenta fideli, qui ea petit, ministrare ; quum enim jus sit fidelibus, ex Constitutione Martini V. ea a toleratis petendi, non peccat qui jure suo utenti morem gerit :[11] vitandus autem nequit, nisi ut morienti succurrat, ea ministrare, saltem ubi ipse gravissimam famæ vel bonorum jacturam non facturus est, suo denegato ministerio. [12] Sed non licet petere sacramenta a tolerato absque gravi causa ; nec enim indignus minister ad ea ministranda temere arcessendus est. [13]

64. III. *Est inhabilis ad dignitates et beneficia*, adeo ut nulla sit resignatio, electio, præsentatio, collatio, in favorem excommunicati, etiam tolerati.[14] In Bulla, qua quis ad episcopatum vel aliam dignitatem evehitur, continetur absolutio ab excommunicatione, si ea irretitum fuisse electum contigerit : quapropter qui occulto excommunicationis vinculo ligatur, potest acceptare dignitatem, quum sanetur auctoritate pontificia electionis vitium.

(1) *De gradib. humil.* c. xxii.
(2) S. Alph. l. vii. n. 162.
(3) Ibidem, n. 164. (4) S. Bern. *de gradibus humil.* c. xxii.
(5) Cap. lix. *de sent. excom.* et cap. iv. et vi. *de clerico excom.*
(6) L. vii. n. 129.
(7) Laymann, *de censuris*, l. i. p. ii. c. ii. n. 3.
(8) S. Alph. l. vii. n. 161.
(9) *De Censuris*, p. ii c. i. §. iv. qu. i.
(10) Cap. xliii. *de sent. excom.*
(11) S. Alph. l. vii. n. 139. (12) Ibidem, n. 170.
(13) Collet, *de censuris*, p. ii. c. ii. §. iii.
(14) Cap. vii. *de cler. excom.*

Debet tamen curare, ne labes animæ adhuc inhæreat. Absolutio illa non prodest irregulari, nec excommunicato propter hæresim, quia jus resistit; nec excommunicato ab homine, quia non videtur mens Pontificis generalibus vocibus hanc amplecti.[1]

65. IV. *Privatur* excommunicatus *omnis jurisdictionis spiritualis usu*, adeo ut peccet mortaliter ea exercenda,[2] quamvis, si toleratus sit, valeant ejus actus: nam Martinus V. indulsit, ut fideles Sacramenta suscipere possent ab omnibus, qui non forent vitandi. Episcopus occulto excommunicatus mortaliter peccat conferendis ordinibus, dispensationibus concedendis, vel aliis exercendis jurisdictionis actibus: sacerdos excommunicatione ligatus pariter peccat aliquo jurisdictionis actu exercendo.

66. V. Excommunicato, etiam tolerato, *omnis communicatio cum fidelibus denegatur;*[3] nam disciplinæ veteris a Martino V. relaxatio facta est in fidelium commodum, non ad indulgendum reis.[4] In rebus sacris imprimis ea communicatio vetita est; quapropter « excommunicatus quilibet vi censuræ, ab auditione Missæ, aliisque omnibus divinis officiis, prout publica sunt, prohibetur. » Ita Colletus.[4] Si vitandus sit, monendus est, ut exeat ab Ecclesia, si forte se sistat sacris Officiis adfuturum: quod si non pareat, nova excommunicatione Pontifici reservata ligatur; quam etiam contrahunt omnes, qui prohibent ne exeat.[5] Si nequeat expelli, sacerdos, si nondum inceperit Canonem, debet Missam abrumpere: si Canon jam inchoatus sit, debet ad communionem pergere, deinde in sacristia reliqua perfecturus. Sacerdos scienter celebrans coram excommunicato vitando, peccat mortaliter, et interdicitur ingressu Ecclesiæ.[6] In actibus forensibus nequit excommunicatus cum fidelibus communicare; quapropter nequit esse judex, procurator, actor, tabellio, testis, in locis, ubi disciplina canonum viget.[7] In hac regione, ubi leges civiles nullam habent hujus vinculi rationem, non videtur peccare, his exercendis muneribus. Etiam in Galliis exceptionem excommunicationis non admitti in judiciis rerum temporalium, Colletus post alios tradit.[8]

67. *In actionibus civilibus consortium* vetitum est:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Colloquium imprimis, et etiam litte-

(1) Vide Collet, *de censuris*, p. ii. c. i. §. v. qui tamen censet excommunicatum ab homine ejus beneficio frui.

(2) Cap. xxiv. *de sent. et re judic.*

(3) Cap. xviii. xxix. et lix. *de sent. excom.* cap. Alma, *eod. tit.* in 6. et cap. ii. *de except.*

(4) *De Censuris*, p. ii. c. i. §. iv.

(5) Clem. ii. *de sent. excom.*

(6) Cap. viii. *de priv.* in 6.

(7) Cap. viii. *de sent. excom.* in 6. « With us by the common law an excommunicated person is disabled to do any act, that is required to be done by one that is *probus et legalis homo*. He cannot serve upon juries, cannot be a witness in any court, and which is the worst of all, cannot bring an action either real or personal, to recover lands or money due to him. Nor is this the whole: for if within forty days after the sentence has been published in the church, the offender does not submit and abide by the sentence of the spiritual court, the bishop may certify such contempt to the king in chancery. Upon which there issues out a writ to the sheriff of the county, called from the bishop's certificates a *significavit;* or from its effects a writ *de excommunicato capiendo;* and the sheriff shall thereupon take the offender, and imprison him in the county gaol, till he is reconciled to the church, and such reconciliation certified by the bishop; under which another writ *de excommunicato deliberando* issues out of chancery to deliver and release him. » Blackston. Com. l. iii. ch. vii. n. 102.

(8) *De Censuris*, p. ii. c. i. §. vii Concil. iii.

rarum commercium, orationis consortium, salutationes amicæ, communio in rebus gerendis, et convictus prohibentur. Hæc disciplinæ severitas ex sacris Scripturis desumpta est; nam dicit S. Joannes: « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis. »[1] « Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere. »[2] Sacri canones consortium omne cum excommunicatis districte vetant.[3] Cæterum Canonum rigorem temperavit Gregorius VII.: « Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus: videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos servientes, et omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et eos, qui ignoranter excommunicatis communicant. . . . Et si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus. »[4] Licet etiam divinum verbum prædicare excommunicatis, sicut et interdictis, eosque ad correctionem solicitare.[5] Licet debita ab eis petere, et necessaria omnia obire munia:[6] quapropter milites communicare possunt cum duce excommunicato: licet et medicinas, vel eleemosynam, ab excommunicato petere. Signa urbanitatis, v. g. adsurgendo, aperiendo caput, dando locum, tamen sine ullis verbis, sic et salutationem reddere, ad vitandum contemptum, vel ne quis agrestis habeatur, licere plures docent.[7] Litteris tamen respondendum non est, quum sit vera communicatio.[8] Nec censetur convictu communi uti, qui in diversorio, ubi casu veluti conveniunt homines, eidem assident mensæ:[9] nec communione in rebus gerendis utitur, qui cum alio de negotiis occurrentibus agit, pro occasione, quin societatem cum eo ullatenus ineat:[10] imo societatem prius initam cum eo licet continuare.[11]

68. VI. *Irritæ sunt gratiæ apostolicæ* excommunicatis concessæ.[12]

69. VII. Excommunicatus *privatur sepultura ecclesiastica*, juxta illud: « Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, et ut careant ecclesiastica sepultura, qui prius erant ab ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. »[13] Cæterum « tolerati licite sepeliuntur in loco sacro, si cum signis pœnitentiæ e vita migraverint. »[14] De cæteris dicendum cum S. Leone: « Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. »[15] Cæterum non polluitur cœmeterium sepultura

(1) II. Joan. 10.

(2) I. Cor. v. 11. Animadvertit Bloomfieldius: « Μηδὲ συνεσθίειν may be explained with the best commentators, « to hold no familiar intercourse,» . . . . community of table being a figure expressive of intimacy. See Luke xv. 2. Gal ii. 12. This was meant to strengthen the efficacy of excommunication, and, under certain circumstances, to supply its place. » *In locum.*

(3) C. *Excommunicatos* et *Cum excommunicato*, xi. quæst. iii.

(4) C. *Quoniam*, Ibidem.

(5) Cap. xliii. *de sent. excom.*

(6) Cap. xxxiv. et cap. xxxi. eod. tit.

(7) S. Alph. l. vii. n. 192.

(8) Ibidem, n. 193. (9) Ibidem, n. 195.

(10) Ibidem, n. 194.

(11) Ibidem, n. 201.

(12) Cap. i. *de rescript.* in 6.

(13) Cap. xii. *de sepult.*

(14) S. Alph. l. vii. n. 187.

(15) Ep. ad Rustic. Narbon.

hæretici tolerati, qui scilicet baptizatus fuerit, et haud denuntiatus nominatim. Sed excommunicatione ligantur, a qua absolvi nequeunt usque ad satisfactionem, ad arbitrium Episcopi, qui excommunicatos vitandos sepeliunt in loco sacro : quod de jubentibus, potius quam de iis quorum opera cadaver mandatur terræ, videtur intelligendum.[1]

70. *Communicare cum excommunicato vitando* in rebus sacris, peccatum habetur mortale, quum præcepto Ecclesiæ omnino adversetur :[2] in rebus autem civilibus plerumque est veniale, seposito scandalo, vel contemptu auctoritatis ecclesiasticæ, qui adest, si frequens sit communicatio : in crimine, ob quod lata est excommunicatio, est peccatum mortale, quod et excommunicationis censuram secum fert.[3] Clericus scienter communicans in divinis cum aliquo a Papa nominatim excommunicato et denuntiato, incurrit excommunicationem majorem.[4] Quando excommunicatio fertur in aliquem et ejus participes, qui post monitionem cum eo communicat, excommunicationem majorem contrahit.

71. *Excommunicatio minor*, quæ contrahitur communicando cum excommunicato in rebus civilibus, privat hominem receptione Sacramentorum :[5] vel licita eorumdem administratione :[6] saltem quoties hæc cum receptione Sacramenti conjungitur, uti in Missæ celebratione :[7] eumque reddit haud idoneum, qui ad dignitates et beneficia eligatur : irrita tamen ejus electio non est, sed irritanda, si scienter electus sit, vel alias collatione provectus.[8] Episcopo licet alicui in pœnam criminis, Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, perceptionem vetare.[9]

72. *Plurimæ excommunicationes* jure continentur, quarum aliquas jam recensuimus ; alias impræsentiarum referre juvat : cæteris pro oblata occasione recensendis. Excommunicantur, qui matrimonium attentant intra gradus prohibitos, vel cum monialibus.[10] Ariolos, aruspices, aut incantatores, observantes, scilicet consulentes, anathemate feriuntur.[11] Imprimentes libros de rebus sacris absque auctoris nomine et Ordinarii approbatione, excommunicatione percelluntur a Concilio Tridentino :[12] sed in his regionibus non viget ob morem contrarium. Anathemate feriuntur, qui docent confessionem mortalium non requiri, antequam Eucharistia recipiatur.[13] Raptores mulierum, causa matrimonii, sicut et qui juvant et favent, excommunicantur ;[14] imo et domini temporales et magistratus subditos suos adigentes contrahere nuptias cum illis, quos designaverint, vel quovis modo directe vel indirecte cogentes, quominus libere matrimonia contrahant, pari pœna plectuntur.[15] Cogentes mulieres vel puellas ingredi monasterium monialium vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, excommunicantur.[16] Censet S. Alphonsus eam pœnam afficere eos qui coegerint puellam ingredi monasterium educationis causa : nisi cautionis gratia fiat, dum peri-

(1) Vide Collet. *de censuris*, p. ii. c. i. §. iv. Concl. ii. Quæres.
(2) Cap. xxix. causa xi. qu. iii.
(3) Cap. xxix. et lv. *de sent. excom.*
(4) Cap. xviii. *eod. tit.* (5) Cap. lix. *eod. tit.*
(6) C. ult. *de cleric. excom.*
(7) S. Alph. l. vii. n. 149.
(8) Cap. Si celebrat, *de cleric. excom.*
(9) S. Alph. l. vii. n. 148.
(10) Clem. un. *de consang.*
(11) C. i. xxvi. qu. i.
(12) Sess. iv. *decr. de edit. etc.*
(13) Ibidem, Sess. xiii. can. xi.
(14) Ibidem, Sess. xxiv. cap. 6. *de ref. matr.*
(15) Ibidem, cap. ix.
(16) Ibidem, Sess. xxv. cap. xviii. *de Reg.*

clitatur in sæculo. [1] In casibus in jure expressis potest cogi mulier ad ingrediendum monasterium in criminis pœnam, vel ne iterum labatur. [2] Si parentes gravem metum etiam ex suæ auctoritatis reverentia, filiæ incusserint, ut ingrederetur, et susciperet habitum, contrahunt excommunicationem. Sed et excommunicantur quicumque sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. [3]

73. *Alienantes bona Ecclesiæ, vel locantes* ultra triennium, excommunicantur. [4] Qui sacro ordine aucti contrahere attentant matrimonium, eadem pœna afficiuntur. [5] Qui se ingerunt in alterius episcopatum ad officium sine licentia proprii Episcopi [6], excommunicatione ligantur. Episcopi Romam clanculo adeuntes, si inde recesserint absque Papæ venia, excommunicationem contrahunt. [7] Regulares temere dimittentes habitum sui ordinis excommunicantur: quum autem ob locorum adjuncta non consueverint eum hac in regione publice gestare, non censentur eum dimittere, nisi ordinis consortium penitus deseruerint. Si matrimonium attentaverint, excommunicatione ligantur. [8]

74. *Episcopo reservantur* a jure plures excommunicationes, quas, oblata occasione, indicabimus. Aliquando etiam Episcopus, vel, sede vacante, Vicarius capitularis, monitorium edit, sub excommunicationis sibi reservatæ pœna præcipiens, ut reveletur criminis auctor, vel ut res aliena restituatur: qui tamen mos in his provinciis non viget.

75 *Pontifici plurimæ excommunicationes* absolvendæ reservatæ sunt. Incendiarii, postquam ab Ordinario excommunicati fuerint nominatim, et publicati, nequeunt nisi a Summo Pontifice absolvi. [9] Falsarii litterarum Apostolicarum: [10] effringentes et spoliantes Ecclesias: [11] vexantes eos qui censuram in alios tulerunt: [12] dantes et recipientes aliquid pro gratia aut justitia apud Sedem Apostolicam: [13] asserentes sermonibus vel scriptis B. Mariam maculam originis contraxisse; vel eam sententiam notantes hæreseos: [14] excommunicatione Pontifici reservata omnes percelluntur.

76. *De excommunicationibus Papæ reservatis*, quæ respiciunt duella, clausuræ violationem, abortum, hæresim, lectionem librorum prohibitorum, aliaque jam egimus: pauca de iis, quæ Bulla *in Cœna Domini*, olim quotannis publicata, continentur, dicenda sunt. Equidem legentes vel retinentes libros hæreticorum de religione tractantes, vel hæresim continentes, hæretici ipsi et eorum fautores anathemate imprimis feriuntur: deinde qui appellant futurum Concilium. Excommunicantur etiam I. surripientes bona Christianorum naufragorum, [15] quæ scilicet non adeo diu in littore jacuerint, ut derelicta haberi possint. II. « Domini qui in terris suis

(1) L. vii. n. 212.
(2) C. Significavit,et C. Gaudeamus, *de convers. conjug.*
(3) Conc. Trid. Sess. xxv. cap. xviii. *de Reg.*
(4) Extrav. Ambitiosæ, *de rebus Eccles.*
(5) Clem. un. *de consanguin.*
(6) C. Quoniam, de offic. Ordinar.
(7) Extrav. ii. et iij. *de major. et obed.*
(8) Clem. un. *de consanguin.*
(9) C. Tua nos, *de sent. excom.*
(10) C. Ad falsariorum, *de crim. falsi.*
(11) C. Conquesti, *de sent. excom.*
(12) C. Quicumque, *de sent. exc.* in 6.
(13) Extrav. i. *de sent. exc.* et Bulla Bonifacii VIII. et Greg. XIII.
(14) Greg. XV. Bulla 29. Vide dissertationem S. Alph. l. vii. n. 244.
(15) Ita olim S. Greg. VII. Conc. Rom. iv. conc. col. reg. col. 1578. Vol. vi.

sine privilegio imponunt pedagia, id est tributa pro transitu personarum, sive rerum, vel pro refectione et custodia viarum, aut gabellas, id est, impositiones pro delatione et venditione mercium. Tale autem privilegium habent omnes Principes supremi, prout Pontifices; reges autem, respublicæ et universitates, ad subveniendum civium necessitatibus, bene etiam possunt collectas sibi imponere. »[1] Eo plane dirigitur hæc excommunicatio, ut populus injustis exactionibus dominorum temporalium, extra juris terminos, non opprimeretur : medio scilicet ævo Pontifex reipublicæ christianæ præerat, invigilans ne cujusquam jura læderentur. III. Excommunicationem incurrunt piratæ interficientes aut deprædantes Christianos in mari ecclesiastico. IV. Falsificatores litterarum Apostolicarum. V. Transmittentes arma, sive armorum materiam ad hostes infideles . . . VI. Injuste impedientes deferri victualia ad Romanam curiam. VII. Vexantes peregrinos, qui devotionis causa Romam petunt. IX. Vexantes, seu ejicientes Episcopos, Legatos, vel Nuntios a suis diœcesibus : necnon id mandantes, ratum habentes, faventes, etc. X. Percutientes aut expoliantes eos (sive eorum procuratores) qui curiam Romanam pro suis negotiis petunt. XI. Appellantes sub privato prætextu ad curias laicales in causis ecclesiasticis ad impediendas litteras Apostolicas XII. Qui auctoritate laica, vel prætextu exemptionis causas spirituales, vel ipsis annexas ad se avocant a judicibus ecclesiasticis, etc. XIII. Qui ex quovis colore trahunt, vel trahi faciunt personas ecclesiasticas ad tribunal laicale. XIV. Impedientes judices ecclesiasticos sua jurisdictione uti. XV. Usurpantes jurisdictionem et fructus beneficiorum. XVI. Imponentes onera ecclesiasticis. Qui tamen (advertendum) tenentur contribuere, quando imponuntur collectæ pro refectione, v. g. viarum, fontium, etc. quorum utilitas directe pertinet etiam ad ipsos. XVII. Se interponentes sine jurisdictione in causis criminalibus contra ecclesiasticos. XVIII. Usurpantes jurisdictionem in terris Ecclesiæ Romanæ. »[2] Hæc quæ ex S. Alphonsi opere insigni transcripsimus, ostendunt Bullam illam latam, ut jura Ecclesiæ, quæ ab ipsis sæculi potestatibus per plura sæcula agnita sunt, illæsa servarentur. Cæterum in plerisque jam ætas nostra jura illa minuit, vel abstulit, adeo ut vix ullibi integra habeantur. Clemens XIV. et qui eum secuti sunt Pontifices a Bullæ illius publicatione quotannis abstinuerunt : sed quum exigat revocationem formalem, in foro conscientiæ valet adhuc, juxta tribunalia Romana.

77. *Canon*, *quo clerici percussio* sub anathemate vetatur, his verbis continetur : « Placuit, ut si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat : et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. »[3] Pœnam hanc incurrunt mandantes vel dolose permittentes, quum facile possent impedire,[4] et ratam habentes percussionem suo nomine

(1) S. Alph. l. vii. n. 310.

(2) Ibidem, n. 309. et seq. « La voilà donc cette fameuse bulle *In cœna Domini !* Plusieurs dispositions de la bulle appartiennent à une sagesse supérieure, et toutes ensemble auraient fait la police de l'Europe au xiv. siècle. » De Maistre. *Du Pape*. I. ii. ch. xv. (3) Conc. Lat. ii. can. xv. (4) Cap. xlvii. *de sent. excom.*

factam.[1] Monachorum nomine includuntur etiam sanctimoniales :[2] imo juxta S. Alphonsum, mulieres conviventes instar religiosarum ,[3] et laici conversi ,[4] et novitii.[5] Manus violentas injicere censetur , qui vim aliquam et injuriam facit , etiam conspuendo , vel carcere detinet , vel sistit equum , freno arrepto , ut clericus nequeat progredi : vel persequitur , ut in flumen fossamve cadat. Malitiosa sit percussio necesse est; quapropter non contrahitur excommunicatio si joco quis percutiat :[6] vel casu :[7] vel ignorans eum esse clericum. Non contrahitur , si correctionis causa pater percutiat filium in minoribus constitutum ,[8] vel præceptor ecclesiasticus subditum etiam in majoribus ,[9] dummodo laici opera non utatur.[10] Nec contrahitur , si percutiatur , qui deprehenditur turpiter agens cum matre , sorore, vel filia percutientis : vel si quis ad se defendendum percutiat , servato moderamine inculpatæ tutelæ.[11] Clerici impuberes se invicem percutientes non contrahunt excommunicationem ; puberes autem, qui ex odio vel gravi ira percutiunt , ea irretiuntur.[12] Percussio enormis « utpote si ad mutilationem membri vel ad effusionem sanguinis est processum , aut in Episcopum, aut Abbatem, violenta manus injecta , »[13] excommunicatione plectitur Papæ reservata : sed si fuerit occulta , potest ab Episcopo remitti.[14] Levis percussio semper potest ab Episcopo remitti.[15] Prælatus religiosorum subditos suos se invicem percutientes potest absolvere , si percussio non sit enormis :[16] sed si fuerint diversi ordinis percussor et percussus , utriusque superioris venia exigitur.[17] Si religiosus percusserit clericum sæcularem , nequit , jure communi , absolvi nisi ab Episcopo ,[18] vel a Pontifice , si percussio fuerit enormis. Attamen privilegia deinceps accepisse dicuntur ordines religiosi , quorum vi superiores absolvere valent.[19] Percussio levis , quæ mortalis peccati non habet malitiam, censuram ullatenus non inducit.

78. *Si quis dubitet*, *utrum contraxerit censuram* , tenet S. Alphonsus eum non privari libertate communicandi, donec de vinculo constet :[20] attamen Colletus contendit eum debere se abstinere ,[21] nixus Innocentii III. decreto , de Episcopo , qui , neglecta fama publica de excommunicatione in eum lata , solemniter celebravit. Cæterum non valde arguit eum Pontifex eo ex capite : « Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis exstitisse : quia tamen in dubiis via est eligenda tutior , etsi de lata in eum sententia dubitaret , debuerat tamen potius se abstinere , quam sacramenta ecclesiastica pertractare. »[22]

CAPUT V.

DE SUSPENSIONE.

79. *Suspensio* est censura ecclesiastica , qua clerico prohibetur usus ecclesiastici officii , vel beneficii , vel

(1) Cap. xxiii. *de sent. excom.* in 6.
(2) Cap. xxxiii. *de sent. excom.*
(3) L. vii. n. 271. (4) Cap. 5. *de sent. excom.*
(5) Cap. xxi. *eod. tit.* in 6. (6) Cap. i. *de sent. excom.* (7) C. iii. *eod. tit.* (8) Cap. i. *eod. tit.*
(9) S. Alph. l. vii. n. 275.
(10) Cap. xxiv. *de sent. excom.*
(11) Cap. iii. *eod. tit.*
(12) S. Alph. l. vii. n. 279.
(13) Cap. i. *de sent. excom.* in 6.
(14) C. *Cum illorum*, xxxii. §. Qui, *de sent. excom.* (15) C. xvii. *eod. tit.*
(16) C. xxxiii. *eod. tit.* (17) C. xxxii. *eod. tit.*
(18) C. xxi. *de sent. excom.* in 6.
(19) Collet, *de censuris.* p. ii. c. i. §. i. S. Alph. l. vii. n. 107. (20) S. Alph. l. vii. n. 67.
(21) *De Censuris*, p. ii. c. i. art. v. qu. iv.
(22) Cap. Illud, *de cler. excom.*

utriusque. Suspensio ab officio privat clericum exercitio potestatis, quæ ei ratione sui muneris competit : v. g. parochi muniis. Aliquando a jurisdictionis exercitio suspenditur clericus, v. g. a munere audiendi confessiones; aliquando ab ordinis exercitio, v. g. ne in ordine suscepto ministret. Suspensio a beneficio fit, quando fructuum beneficii perceptio ad tempus ei subducitur. Aliquando fertur suspensio absolute, nullo limite apposito, et privat ordinis et jurisdictionis exercitio, et beneficii redditibus : sed sæpe munere aliquo privat. Suspensus ab officio, non censetur ideo suspensus a beneficio, nec vicissim, nisi sententia id declaret. [1] Suspensus ab officio nequit aliquod officii munus exercere, nisi constet speciale tantum officium vetari. Episcopus suspensus ab officio episcopali potest Sacrum celebrare, aliaque munia sacerdotalia obire : sed si Pontificalibus indutus solemniter celebret, peccat, quamvis non fiat irregularis, quum solemnis illa ratio celebrandi non faciat, ut sit actus ordinis episcopalis. [2] Sacerdos suspensus ab officio nequit ullum sacrum obire munus. Suspensus ab ordine, non ideo censendus est jurisdictione privatus : nam Episcopus ab ordinis omni exercitio suspensus potest dare sacerdoti facultatem absolvendi. Suspensus a jurisdictione potest Ordinem exercere, Sacro celebrando. Suspensus ab ordine superiore non ideo habetur suspensus ab inferiore.

80. *Suspensus ab officio*, licet res occulta sit, peccat mortaliter exercendo munere, a quo suspensus est : nam violat prohibitionem Episcopi sui, vel Ecclesiæ in re gravi : actus tamen, qui non indigent jurisdictione, valent : imo et hi, qui ex jurisdictione pendent, si non sit denuntiatus. [3] Beneficium novum nequit recipere licite, et collatio ejus irritanda est. [4] Fit irregularis, si exerceat functiones Ordinis proprias. [5] Suspensus a beneficio privatur fructibus ejus, et quotidianis distributionibus, quæ in choro adstantibus fiunt. Tenetur tamen Officium recitare; nec enim ab onere sibi imposito censura eximitur.

81. *A suspensione a jure*, quæ reservata non sit, quilibet confessarius absolvere potest : non item ab ea, quæ ab homine specialiter in aliquem lata est : nam ejus absolutio spectat ad eum, qui eam tulit, vel ejus successorem, vel aliquem ab eo delegatum, vel superiorem, appellatione audita. Suspensio, quæ ad tempus fertur, vel alium habet limitem, desinet tempore expleto, vel conditione cessante : nec absolutione opus est.

82. *Suspensio perpetua* in pœnam delicti non est censura, sed pœna, quam solus remittere potest judex, qui eam tulit, vel alius ejus vices obiens.

83. *Suspensio plerumque ferenda est*, instar aliarum censurarum, causa cognita, quæ et scripto declaranda est, [6] et reo audito. Cæterum aliquando extra judicium fertur [7] ex informata conscientia, uti docet Benedictus XIV., [8] nec tenetur Episcopus rationem reddere nisi Summo Pontifici. Eo casu nulla datur Metropolitam appellandi facultas. Hanc suspensionem raro adhibendam esse liquet in crimine occulto, et non aliter, quum sit extra juris ordinem : mo-

(1) Cap. x. *de purgat. canon.* et cap. xiv. *de vita et honest.* (2) S. Alph. l. vii. n. 314.
(3) Martinus V. Bulla : *Ad evitandum.*
(4) Cap. viii. *de consuetud.*
(5) Cap. i. *de sent. et re judic.* in 6.
(6) C. i. *de sent. excom.* in 6.
(7) Trid. Conc. Sess. xiii. c. i. *de Ref.*
(8) *De Syn. Diœc.* l. xii. c. viii. n. 3, 4, 5.

net idcirco potestatem eam ferendi non esse in Synodo ostentandam.

84. In hac regione solent Episcopi *revocare facultates*, quas missionariis tribuerant, quoties sacerdotes suo munere judicant indignos : qua in re judicii formam non servant plerumque, quam tamen in posterum servandam innuit S. Cong. de Prop. fide, probato decreto Concilii S. Ludovici de causis criminalibus Clericorum. Hanc revocationem a suspensione plerique distinguunt. Quod si quis suspensionis censura ligatus munus sacrum aggrediatur, irregularis fit. [1]

85. Plures gravesque rationes adducuntur, cur Episcopi revocent facultates ex informata conscientia : etenim testes plerumque nolunt prodire, ne fama periclitentur, vel odium sibi conflent ; et clericorum crimina in judicio coram pluribus investigata facile vulgarentur, cum fidelium offensione et hæreticorum triumpho : et appellationibus ad Metropolitam daretur locus, sacerdotibus cum suæ innocentiæ vindicibus ad ejus tribunal confugientibus; quo pacto et criminum fama augeretur, Præsulum minueretur auctoritas, et litium coram civili tribunali occasio dari posset. Attamen, ut ingenue loquar, nulla forma judicii servata, datur ansa Præsulibus detrahendi, veluti omnia pro arbitrio agentibus : et appellationis ad Metropolitam remedio denegato, nulla reis spes relicta videtur, nisi itinere Romam suscepto : qua de causa oportere censeo suspensionis censuram post judicium rite habitum, prout locorum adjuncta sinunt, plerumque ferri, ut appellet reus, si velit, Archiepiscopum, cujus judicio subveniatur innocenti, si forte aliqua Episcopus deceptus sit ; vel confundatur reus ; adeo ut omnibus persuasum sit, copiam se vindicandi ei iterum datam.

86. *Jure ipso suspensio irrogatur* iis qui sacros Ordines recipiunt ab alieno Episcopo, sine litteris dimissoriis ; vel a suo Episcopo in aliena diœcesi, vel titulo conficto, vel per saltum, vel dum censura aliqua irretirentur, vel extra tempora a jure statuta ; vel ante ætatem legitimam, vel post matrimonium contractum, licet consummatum non fuerit ; vel qui furtim inter ordinandos irrepserunt. Hi omnes ab Ordinum exercitio suspenduntur, et irregulares fiunt, si id aggrediantur. Item qui eodem die duos sacros Ordines suscipit ; et ordinans et ordinatus simoniace, suspenduntur. « Quod si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. » Ita statuit Concilium Tridentinum : [2] quæ lex apud nos non obtinet, quum parochiæ nullæ stricti nominis agnoscantur : sed ab Episcopo in sua synodo diœcesana jure optimo poterit applicari sacerdotibus sponsos ex alieno districtu suscipientibus. Suspenduntur pariter ipso jure occupantes bona, vel census Ecclesiæ, beneficii, vel alterius loci pii ; simoniaci ; sodomiam exercentes ; provocantes ad duellum, vel acceptantes ; apostatæ a religioso Ordine, præsertim qui in apostasia Ordines sacros recipiunt.

87. *Depositio* est pœna per quam

(1) Cap. i. *de sent. et re judic.* in 6.

(2) Sess. xxiv. cap. i. *de ref. Mat.*

clericus privatur omni officio et beneficio ecclesiastico in perpetuum, sine spe ea recuperandi : retento tamen privilegio canonis et fori. Degradatio spoliat eum omni privilegio, eumque relinquit potestati civili puniendum instar laicorum. « Si clericus in quocumque Ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime, atque convictus, ab ecclesiastico judice deponendus est. Qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet : deinde, contumacia crescente, anathematis mucrone feriri ; postmodum vero, si in profundum malorum veniens, contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem ; ita quod ei deputetur exilium vel alia legitima pœna inferatur. »[1] Fit degradatio ritu solemni, detractis vestibus sacris, et abrasa unctione manibus sacerdotis. Omni potestatis exercitio penitus spoliatur, qui alterutram pœnam subit, qui tamen adhuc tenetur Officium divinum recitare. Si quem Ordinis actum exerceat, valet, etsi illicitus sit : non ita si jurisdictionem exigat. « Cum degradato solus Papa dispensare potest : sed cum deposito etiam Episcopus, si crimen sit minus adulterio. »[2]

88. Juvat quasdam recensere pœnas quas criminibus clericorum sacri statuerunt Canones. *Fornicatio* clericorum olim *irregularitatem* inducebat : nunc judicis arbitrio relinquitur. *Concubinatus*, frequens scilicet consuetudo carnis cum muliere domi retenta, seu extra, puniendus decernitur tertiæ partis beneficii fructuum amissione, si beneficiarius semel monitus non se emendaverit ; fructuum omnium amissione, et suspensione ab eorum administratione, si iterum monitus non obtemperet, « et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis . . . . perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem, ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat ; supradictorum omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu, et figura judicii, et sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, et contumaciæ perseverantiam, et qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones, puniantur.[3] Clericus stuprum patrans, violentam scilicet virginis violationem, deponitur, aliasque luit pœnas Episcopi arbitrio.[4] Adulterium a clerico commissum depositione plectitur.[5] Concubitus clerici cum moniali depositionem et detrusionem in monasterium ad pœnitentiam agendam inducit.[6] Sodomia et bestialitas easdem pœnas merentur.[7] Exigunt

(1) Cap. Cum non ab homine, *de judic.*
(2) S. Alph. l. vii. n. 527.
(3) Conc. Trid. Sess. xxv. *de Ref.* c. xiv.
(4) C. i. *de adulterio et stupro.* (5) C. vi. *eod. tit.*
(6) C. vi. xi. xxv. xxviii. caus. xxvii. qu. i.
(7) Cap. iii. *de excess. Præl.*

tamen pœnæ hæ judicis sententiam. Id etiam animadvertendum, quod « prohibet sancta Synodus quibuscumque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis, a sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis, puniantur. » [1] Id tamen semper præ oculis habendum est: « Quod si forte necessitas postularet, ut sacerdos, tamquam inutilis et indignus, a cura gregis debeat removeri, agendum est ordinate apud Episcopum, ad cujus officium tam institutio quam destitutio sacerdotum noscitur pertinere. » Ita Innocentius III. [2]

CAPUT VI.

DE INTERDICTO.

89. *Interdictum* est censura qua prohibentur Officiorum divinorum celebratio publica et auditio, Sacramentorum quorumdam administratio, et ecclesiastica sepultura. *Locale* dicitur, quando locum afficit, v. g. si in quadam ecclesia vetentur divina Officia: *Personale*, quando in quemdam, vel plures dirigitur, ne sacra munera peragant, vel locum sacrum ingrediantur: *Mixtum*, quando et persona et locus interdicuntur, v. g. si Capitulo cujusdam ecclesiæ interdicatur, ne in ea, vel alio quocumque loco sacra obeant munia, vel alios in illa celebrare sinant. *Generale* interdictum loci fit, quando regnum, respublica, civitas, subjacet huic censuræ: *particulare*, quando ecclesia aliqua, vel locus alius singularis privatur sacris muneribus. Personarum *generale* est interdictum, quando universi cives, vel integer quilibet hominum cœtus interdicitur: *particulare*, quando unus, vel plures, tamquam personæ singulares interdicuntur. « Est quædam partialis interdicti species, qua prohibetur ingressus in Ecclesiam; et si quis in tali interdicto sine pœnitentia moriatur, non debet in loco sacro sepeliri. » [3]

90. « *Interdictum in urbem latum* afficit etiam suburbia et ædificia continentia, quamvis sint sub jurisdictione, seu temporali, seu spirituali alterius, ne contemnatur interdictum, si populus in suburbiis posset divinis Officiis interesse. Item interdictum alicujus ecclesiæ, ad cœmeterium et sacella ei contigua extenditur. At, interdicto cœmeterio, non interdicitur ecclesia ei contigua: nam accessorium sequitur principale; non vicissim. » [4]

91. « *Interdictum ab Episcopo* in civitatem latum, debet etiam ab exemptis servari. » [5]

92. *Interdicto loco aliquo*, personæ interdici non censentur, nisi id exprimatur: quapropter alibi poterunt Sacra celebrare. Interdictis personis, locus non habetur interdictus: proindeque licebit alios arcessere, qui sacra obeant munera, nisi id vetitum sit. Interdicta communitate aliqua, omnes qui eam constituunt interdicuntur: sed si desinant ejus membra esse, cessat quoad eos interdictum, dummodo non fuerint nocentes. [6] Interdicto clero, non ideo populus interdicitur; et vicissim.

93. Ad speciale interdictum alicujus *requiritur culpa lethalis* propria: gravis enim est pœna; ad generale interdictum loci, vel hominum, sufficit

(1) Trid. Sess. xxv. *de Ref.* c. xiv.
(2) Cap. Cum ex injuncto, extra *de hæreticis.*
(3) Antoine, *de Censuris*, c. iii. qu. i. citans cap. xx. *de sent. excom.* in 6.
(4) Ibidem, citans c. xvii. *eod. tit.*
(5) Ibidem, citans Conc. Trid. Sess. xxv. cap. xii.
(6) C. xvi. *de sent. excom.*

grave peccatum a capite, vel præcipuis membris admissum : vix enim alia suppetit ratio contumaces ad bonam frugem reducendi, quam communitatis cui præsunt pœna : cæteri scilicet precibus fatigabunt eos ut pœnitentia se sublevent.

94. « Per privilegium absolvendi ab omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale generale ; et neutrum potest tolli, nisi ab habente jurisdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam. » [1]

95. *Effectus interdicti* tres recensentur. I. Missa et omnia sacra Officia, una cum benedictione solemni nuptiarum prohibentur. Cæterum in generali interdicto, qui interdicti non sunt clerici sæculares, vel religiosi, possunt quotidie in suis Ecclesiis Missam et divina Officia celebrare submissa voce, et januis clausis, exclusis excommunicatis et interdictis, et non pulsatis campanis. [2] In festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis beatæ Virginis, et in festo Corporis Domini, una cum tota octava, licet campanas pulsare, januas aperire, et alta voce celebrare divina Officia, admittere etiam interdictos, dummodo qui causam dederunt interdicto ad altare non appropinquent : sed exclusis excommunicatis. II. Quædam Sacramenta prohibentur administranda tempore interdicti : nempe Eucharistia laicis sanis non præbetur ; datur autem etiam personaliter interdictis, si in probabili mortis periculo versentur. [3] Extrema Unctio non datur moribundis, saltem nisi aliud Sacramentum nequeant recipere : ordinatio non fit : nuptiarum benedictio non datur ; sed matrimonium contrahitur minus solemniter. Baptismus, Confirmatio et Pœnitentia libere administrantur, etiam ab iis qui generali interdicto includuntur, non autem ab interdictis specialiter. Excommunicati autem, et qui dederunt causam interdicto, excluduntur ab omnibus Sacramentis, nisi cautionem præstiterint se satisfacturos. [4] III. Ecclesiastica sepultura prohibetur. Qui autem non dederunt causam interdicto sepeliri possunt in loco sacro non interdicto. Clerici, haud specialiter interdicti, possunt sepeliri in loco qui non sit specialiter interdictus, absque cantu et campanarum pulsatione. [5] Concio ecclesiastica tempore interdicti permittitur.

96. *Violantes interdictum* peccant mortaliter : violant enim grave Ecclesiæ præceptum. Qui actum Ordinis sui proprium exercet interdictus, fit irregularis. [6] Excommunicatione Papæ reservata percelluntur domini temporales cogentes clericos ad celebranda divina Officia in loco interdicto ; vel impedientes ne exeant excommunicati et interdicti, dum celebrantur : qua etiam pœna plectuntur ipsi interdicti non exeuntes post monitionem. [7] Si celebret quis in loco non interdicto, et nequeat expelli interdictus, poterit Missa ad finem perduci. [8] Qui scienter sepeliunt interdictos in loco sacro, extra casus in jure concessos, contrahunt excommunicationem reservatam Episcopo. [9] Excommunicantur religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum generale locale a Papa, vel ab Ordinario latum, quando servatur a matrice Ecclesia, vel a parochiali loci in quo habitant. [10] Qui admittunt laicos interdictos ad Officia

(1) Antoine, *ubi supra.*
(2) Cap. *Alma, de sent. excom.* in 6.
(3) Cap. xi. *de pœnit.*
(4) Cap. *Alma, de sent. excom.*
(5) C. xi. *de pœnit.*
(6) Cap. xviii. et xx. *de sent. excom.* in 6.
(7) Clem. II. *de sent. excom.*
(8) S. Alph. l. vii. n. 333.
(9) Clem. I. *de sepult.*
(10) Clem. I. *de sent. excom.*

divina, interdicuntur ipso facto ingressu Ecclesiæ, quoad Ordinum sacrorum in ea exercitium : licet autem eis ingredi orationis privatæ causa.

97. *Cessatio a divinis* aliquando præcipitur in indicium doloris ob injuriam Deo vel Ecclesiæ illatam, vel in sui defensionem. Est instar interdicti, quamvis eam violans non fiat irregularis. [1] Religiosi eam violantes incurrunt excommunicationem. [2] Refert S. Alphonsus decretum S. Congregationis Cæremoniarum a Clemente X. confirmatum : « Non licere cuicumque etc. (personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere : secus immediate cessandum a divinis. Quod nisi servetur, rectores, cæterosque ecclesiarum ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque ecclesiam habendam esse pro interdicta. » [3] Hoc ostendit quam abhorreat ab Ecclesiæ disciplina mos apud nos inductus scamna quæ fideles sibi compararunt, vel conduxerunt in Ecclesiis, pulvinaribus sternendi.

CAPUT VII.

DE IRREGULARITATE.

98. *Irregularitas* est impedimentum canonicum, quo prohibetur Ordinum susceptio, et eorum exercitium. Differt a censura, quum non semper ob culpam contrahatur : nam ex defectu aliquando oritur, aliquando tamen pœnæ habet rationem. Prima tonsura etiam intelligitur nomine ordinum, uti ex usu Ecclesiæ constat.

99. *Nulla est irregularitas nisi* ex jure universali ac pontificio ; [4] contrahitur autem ante omnem sententiam, et tollitur tantum dispensatione. Ignorantia invincibilis legis ecclesiasticæ plerisque videtur impedire irregularitatem, quæ ex delicto provenit, quum pœnæ instar sit juri divino addita, irroganda idcirco iis qui legem specialem norunt. [5] Plures tamen dicunt homicidam esse irregularem, etsi ignoraverit jus ecclesiasticum, quia irregularitas hæc nititur indecentia propter quam est ab altari repellendus. [6] Potest quis pluribus ex capitibus irregularis esse, vel ob eumdem actum sæpius repetitum : quo casu in petenda dispensatione rerum veritas exponenda erit : nam dispensatio concessa ab una irregularitate aliam non tollit. Qui irregularis est, potest quæcumque munera sacra, quæ ei vetita non sunt, obire : v. g. canere in ecclesia, suscipere Sacramenta, matrimonio adstare, si ita ejus ferat munus : nam jurisdictionis potius quam ordinis actus est.

100. *Effectus irregularitatis* duo sunt : I. Graviter illicita est Ordinum, etiam Tonsuræ, susceptio, vel Ordinis suscepti exercitium : obstat quippe Ecclesiæ prohibitio gravissima. Attamen jurisdictionis exercitium non tollitur, quoties ab Ordinis actu separari potest : proinde Episcopus irregularis posset sacerdotibus facultatem tribuere absolvendi. II. Inhabilis est ad beneficium recipiendum, adeo ut collatio nulla sit, si nequeat omnia ejus munia obire. [7] Idem dicendum de dignitate et prælatura Regularium. [8] Non tamen privatur quis ipso jure beneficio quod antea impetraverat, dummodo ejus munia curet obeunda : [9] debet tamen eo privari ; [10] quod si ne-

(1) Cap. xviii. *de sent. excom.* in 6.
(2) Clem. I. *de sent. excom.*
(3) Bullar. Clem. XI. p. iii. Dec. Cong. Card.
(4) Cap. Is qui, *de sent. excom.* in 6.
(5) S. Alph. l. vii. n. 350. (6) Ibidem.
(7) C. ii. *de cleric. pugnant.* et cap. xviii. *de sent. excom.* in 6.
(8) Cap. xii. *de pœnit.*
(9) C. v. Ne clerici vel monachi.
(10) C. x. *de excess. præl.*

queat brevi dispensationem obtinere, debet illud resignare.

101. Irregularitas *ex defectu* dicitur quando ex vitio aliquo natalium, corporis, vel animi, oritur, absque labe peccati: *ex delicto*, quando in pœnam peccati statuta est. *Totalis* est quæ hominem penitus inhabilem facit ad quælibet Ordinum munera: *partialis*, quæ ad aliquod munus facit inhabilem: v. g. ad Sacrum celebrandum.

102. Irregulares sunt *ex animi defectu*, pueri, amentes, furiosi, energumeni, lunatici. Amentes ordinari nequeunt, nequidem postquam sui compotes facti sint, si ex læsione organorum, vel alia hujusmodi causa amentia provenerit: facile enim relabuntur; secus si ex febre ad tempus deliraverint. Qui post ordines susceptos in amentiam inciderint, possunt in suscepto Ordine ministrare, quando judicio Episcopi sunt sui compotes, et abest periculum. II. Irregulares sunt litterarum ignari. [1] III. Neophyti, a paganismo, vel Judaismo, recens traducti: [2] sed Episcopi est judicare, quando satis profecerint. Elapso decennio, non censentur irregulares. Plerumque ordinantur post triennium.

103. *Ex defectu corporis* irregulares habentur, quicumque Ordinum actus nequeunt exercere, absque magna indecentia, vel periculo; vel adstantium horrore, ob deformitatem, vel morbum. [3] Episcopi autem in re dubia judicium est. [4] Hinc irregulares sunt I. cæcus vel cæcutiens; surdus; enormiter claudus, qui nonnisi baculo innixus, vel pede ligneo, ad altare ascendere valet: II. carens naso, manu, pollice, vel indice; III. carens suo oculo, cum magna deformitate: vel sinistro non videns, si nequeat absque indecenti faciei conversione Missale legere: IV. leprosus, deformiter gibbosus, aut facie maculatus. Morbo caduco laborans non est ullatenus ad Ordines provehendus; tamen si Ordines susceperit, ad eos exercendos admittitur, si per annum eo morbo non laboraverit; [5] vel si raro, et sine clamore, et spuma, cadat: nam tantum temporis spatium ex consuetudine non requiritur; ei tamen celebranti adstare debet sacerdos jejunus, qui ejus vices obire possit.

104. *Vitium corporis occultum* plerumque non inducit irregularitatem: irregularis tamen est: I. qui membrum, vel partem membri, absque justa causa sibi amputavit: [6] II. qui eunuchus sua culpa factus est: [7] III. hermaphroditus, qui et a professione religionis arcendus est, ob libidinis periculum. Æthiops, seu niger homo, etiam irregularis ab aliquibus habetur, « non tamen inter suos, sed alienos, ubi disparitas ludibrio est. » [8]

105 *Quicumque corporis defectus post Ordines* susceptos contingit, impedit tantum ab eo munere, ad quod quis fit eo inhabilis: et mitius plerumque de eo judicatur. Qui surdus omnino est, nequit confessiones excipere.

106. *Ex libertatis defectu irregulares* habentur I. servi, nisi libertate jam recuperata: II curiales, negotiis implicati, qui tamen iis expediti possunt ad Ordines promoveri: [9] III. qui ad rationes reddendas adhuc tenentur. [10]

(1) Cap. i. dist. xxxvi. (2) Ibidem xlviii.

(3) Tit. *De corpore vitiatis; de clerico ægrot.* et *dist.* lv. (4) Cap. ii. *de corpore vit.*

(5) C. Communiter, 3. dist. xxxiii. Vide et ep. Alex. II. ad Gebonard Vien. arch. xxxvi. Conc. col. reg. Vol. v. col. 1101.

(6) Cap. *Si quis*, 4. dist. lv.

(7) Cap. iii. *de corp. vit.*

(8) Busembaum, apud S. Alph. l. vii. n. 403. Vide et n. 412.

(9) Cap. iv. *de cleric. vel monach.*

(10) Cap. un. *de obligat. ad rat.*

107. *Defectu natalium irregulares* sunt omnes sive spurii, sive naturales. *Spurii* autem sunt quorum parentes tempore eorum conceptionis vel nativitatis, nequibant matrimonium inire, obstante impedimento dirimente: *naturales* e contra, quorum parentes legitimo matrimonio poterant conjungi. [1] Qui per matrimonium subsequens parentum legitimi habentur, [2] vel quorum parentes in facie Ecclesiæ conjuncti sunt, bona fide saltem ex una parte, licet obstaret impedimentum, [3] non sunt irregulares. Defectus natalium tollitur professione religiosa, quoad omnes Ordines, etiam sacerdotii; non tamen quoad prælaturam. [4] Episcopus potest dispensationem concedere, ut Ordines minores suscipiantur: nequit autem dispensare ad sacros Ordines, licet defectus sit occultus, nec ad eorum exercitium, si quis jam promotus sit. [5] Quod si ex confessione defectus innotescat Episcopo, nulla ejus ratio omnino est habenda.

108. *Ex defectu Sacramenti* irregulares habentur quicumque matrimonio bis conjuncti sunt, etiam ante baptismum: [6] Apostolus enim Episcopum, diaconumve « unius uxoris virum » jussit esse, quod de viro semel tantum ante Ordinem susceptum juncto conjugio tota intellexit antiquitas christiana, sicut « vidua unius viri uxor » eam quæ semel nupserat, plane designat. Sacramenti defectus vocatur hæc irregularitas, quia significatio Christi cum Ecclesia conjunctionis non adeo patet in secundo conjugio. Præterea animus ad voluptatem pronus infertur ex iterato conjugio; quapropter non adeo valet bigamus continentiam commendare. [7] Bigamia *vera* est, quo quis duas uxores legitimas habuit, cum quibus consummavit matrimonium; nam ratum matrimonium non inducit irregularitatem. [8] *Interpretativa* bigamia dicitur quæ ex juris interpretatione habetur, licet unicum fuerit matrimonium. Sic qui viduam duxit, vel mulierem ab alio corruptam, et cum ea consummavit matrimonium, censetur bigamus. [9] *Similitudinaria* bigamia est ea qua quis post solemnem religionis professionem, vel ordinis susceptionem, matrimonium attentavit etiam cum virgine, et copulam habuit. [10]

109. Ex defectu *lenitatis* irregularis est quilibet baptizatus homo qui ad hominis necem, vel mutilationem, membro abscisso, vel ad mortis accelerationem, voluntarie et proxime, licet juste, concurrit. Hinc irregulares sunt judex ferens sententiam mortis, vel mutilationis, ejus assessores, et omnes ministri justitiæ, ad eam auctoritate publica concurrentes, accusator, ejusque advocatus, testes, procurator reipublicæ, satellites, et executores sententiæ. Non sunt irregulares qui remote tantum concurrunt, ut legumlatores, magistratus jubentes ut capiatur reus ad criminis cognitionem instituendam; concionator, vel scriptor, qui reos universe plectendos etiam morte contenderet ob salutem publicam: secus si quosdam singulares morte puniendos quæreret.

110. « *Si furiosus*, *aut infans*, *seu dormiens*, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus qui mortem aliter vitare non valens, suum

(1) Cap. i. et fin. *de fil. presbyt.*
(2) C. Tanta. *Qui filii sint legitimi.*
(3) C. Cum inter, 2. *eod. tit.*
(4) Bulla Greg. XIII.
(5) Cap. i. et ii. *de fil. presb.*
(6) C. i. ii. iii. v. *de bigam.*
(7) Cap. iv. dist. xvi.
(8) Cap. Debitum, *de bigamis non ordin.*
(9) Cap. ix. dist. xxxiv.
(10) C. iv. *de bigam.* et can. *Quotquot*, xxvii. qu. i.

occidit vel mutilat invasorem. »[1] Qui suam defendens castitatem, vel bona magni momenti, injustum aggressorem occidit, servato moderamine, non videtur irregularis :[2] secus si moderamen non servaverit ; quapropter Religiosus qui duos occidit latrones, quando id non erat necessarium ad se suaque bona tuenda, irregularis habitus est.[3]

111. *Irregulares non sunt qui* dum ægroto inserviunt, mortem ejus forte aliqua accelerant, dum eum vertunt, vel in alium locum transferunt. « Sic etiam non fit irregularis sacerdos jubens fieri abscissionem membri præscriptam a medico, modo ipse non exequatur. . . . Immo multum probabiliter Concina, p. 501, n. 20, eximit ab irregularitate qui adjuvaret chirurgum congrue mutilantem ægrotum. »[4]

112. *In bello offensivo*, licet justo, *irregularis fit* qui alium occidit, vel mutilat : non item qui hortatur alios ad fortiter pugnandum, vel qui custodit sarcinas, aliis pugnantibus. In bello injusto, in quo aliquis occiditur, omnes fiunt irregulares, qui pugnarunt, vel qui animos addiderunt pugnantibus. In bello defensivo, justo et necessario, irregularis non est qui alium, se defendendo, occidit, servato moderamine inculpatæ tutelæ :[5] sed qui alios extra hujusmodi necessitatem interficit, irregularis a multis habetur.[6]

113. *Irregularis non fit :* I. magister qui discipulum, vel pater qui filium moderate verberat, correctionis causa, licet casu ex percussione puer moriatur : II. qui equitando in equo feroci puerum occiderit ; secus si ipse ebrius, vel temere in turbam irruens, furibundi instar, aliquem equo conculcet : III. qui canem, vel feram ferocem alit, cautela servata ne aliis noceat; quam tamen contingit fuga evadere, et aliquem occidere : secus si eam teneat in via, nulla cautela adhibita : IV. medicus, qui casu pharmacum præbet ex quo infirmi mors sequatur : secus si temere dederit. Clericus, si incisione vel adustione causa sit mortis, dum mederi studet infirmo, irregularis fit, quum utraque ei vetita sit, sub ea pœna : sed excusatur, si rem aggrediatur ob ægroti necessitatem, nullo medico adstante.[7] Clericus accusans reum, si protestetur se nolle sanguinem fundendum, non habetur irregularis, licet contingat eum morte plecti.[8] Occidens aggressorem alterius innocentis, etiam patris sui, fit irregularis, licet non peccet.

114. Ex defectu *bonæ famæ* sunt irregulares, qui jure declarantur infames ;[9] vel qui sententia judicis damnati sunt gravioris criminis ; vel qui plerumque noscuntur grave admisisse scelus : vel officium infame gessisse : v. g. histrionis cum turpibus repræsentationibus :[10] vel qui nati sunt ex parentibus jam infamibus : v. g. ex meretrice.[11] Dispensatio necessaria est quoties quis jure ipso, vel sententia judicis, infamis est : non ita si ex solo facto infamia ejus orta sit : nam per emendationem, quæ palam innotuit, et saltem triennium duravit, aliquando tollitur,[12] aliquando per loci mutationem ei obviam fit. Baptismus plerumque censetur tollere

(1) Clem. *de homicid.*
(2) S. Alph. l. vii. n. 389.
(3) C. Suscepimus, *de homicid.*
(4) S. Alph. l. vii. n. 382.
(5) Clem. *de homicidio.*
(6) Cap. xxiv. *de homicid.*
(7) Vide S. Alph. l. vii. n. 384.
(8) Cap. Prælatis, *de homicid.* in 6.
(9) Cap. Infames, 6. qu. i.
(10) S. Alph. l. vii. n. 363.
(11) Ibidem.
(12) Cap. liv. *de testibus.*

irregularitatem quæ ex facti infamia oritur. Episcopus potest dispensare, ut in Ordinibus susceptis ministret, qui facto irregularis est, dummodo crimina minora sint adulterio, et reus egerit pœnitentiam. Omnis hujusmodi, sive jure, sive facto, irregularitas tollitur ingressu in Religionem.

115. *Ex delicto oritur irregularitas* quando iteratur baptismus. Si id fiat absque solemnitate, probabilius non incurritur irregularitas. [1] Rebaptizatus scienter irregularis est : imo ex communi sententia, rebaptizans ; et ex canone speciali, acolythus adsistens rebaptizationi. [2] Qui baptizantur ab hæretico irregulares habentur. [3] Rebaptizans sub conditione, temere et culpabiliter, pluribus videtur irregularis ; aliis immunis a tanta pœna. [4]

116. *Qui furtive suscipit ordines*, se dolose ingerens, irregularis fit. [5] Item qui post contractum matrimonium Ordines sacros suscipit, invita uxore : [6] qui excommunicatione majore ligatus Ordinem sacrum suscipit : [7] qui exercet actum proprium Ordinis quo caret : [8] qui excommunicatione, etiam occulta, suspensione, aut interdicto irretitus, exercet actum proprium sacri Ordinis : [9] qualis foret Missam celebrare, vel munere diaconi vel subdiaconi, vestibus cujusque Ordinis propriis indutus, fungi ; secus si stola et manipulus non adhibeatur. Licet enim in necessitate clerico minores Ordines habenti subdiaconatum exercere absque manipulo. [10] Concionem habere vel adstare matrimonio non habetur actus proprius sacri Ordinis, sed jurisdictionis. [11] Qui celebrat in loco interdicto [12] fit irregularis. Idem dicunt multi de exercente officium minoris Ordinis, censura ligato.

117. *Ex homicidio et mutilatione* injusta, vel physice, vel moraliter admissa, consulendo, vel mandando ; imo, juxta plures, aliis probabiliter negantibus, non impediendo, quando quis ex justitia impedire tenetur, contrahitur irregularitas. [13] Si casu homicidium contingat, sed ex causa illicita, et cum periculo mortis conjuncta, contrahitur irregularitas : [14] non ita, si causa, quamvis illicita, periculo plerumque vacet, et diligentia necessaria adhibita sit, puta si clericus ferarum venationi dans operam, casu occidat hominem. [15] Eo magis irregularis non est habendus, qui casu ho-

(1) S. Alph. l. vii. n. 356.
(2) C. Ex litterarum, *de Apostat.*
(3) C. Ventum est, 1. qu.
(4) S. Alph. l. vii. n. 356.
(5) Tit. *De eo qui furt.*
(6) Extrav. *Antiquæ*, de vot.
(7) C. xxiii. *de sent. excom.*
(8) C. i. et ii. *de cleric. non ordin.*
(9) C. i. et xx. *de sent. excom.* in 6.
(10) Cong. Rit. 3328. 4269.
(11) S. Alph. l. vii. n. 358.
(12) Cap. xviii. *de sent. excom.* in 6.
(13) Dist. 1. et tit. *de homicid. et de sent. excom.*
(14) Tit. *de homicid. volunt. vel casual.*
(15) S. Alph. l. vii. n. 387. « When archbishop Abbot by an unfortunate accident had killed a park-keeper in shooting at a deer with a cross-bow, though it was allowedno blame could be imputed to the archbishop but from the nature of the diversion, yet it was though to bring such scandal upon the church, that an apology was published upon the occasion, which was warmly and learnedly answered by Sir Henry Spelman, who maintained that the archbishop was in the exercise of an act prohibited by the canons and ordinances of the church, and that he was even disqualified from exercising his spiritual functions. The king referred the consideration of the subject to the lord keeper and several of the judges and bishops, who recommended it to his majesty to grant his grace a dispensation *in majorem cautelam*, *si qua forte sit irregularitas*; which was done acordingly. See Reliquiæ Spelm. 107. » *Chitty's* Blackstone, l. ii. n. 413, note. En quo archiepiscopi dignitas apud Anglos deducta est !

minem interficit, dum rei honestæ incumbit,[1] nisi cautelam necessariam neglexerit.[2] Idem de mutilatione, proportione servata, dicendum est.[3] Irregularitas ex homicidio voluntario per baptismum tollitur,[4] vel per dispensationem Pontificis; non autem Episcopi,[5] qui tamen valet dispensare in homicidio occulto, quod casu, non voluntate contigit, licet cum culpa conjunctum sit. Si clericus chirurgiam exercens mortis fuerit causa, imperitia vel negligentia, poterit dispensationem ab Episcopo recipere. Qui mulierem prægnantem percutiendo abortui dedit locum, præter intentionem, est etiam idoneus dispensationi recipiendæ. Regulares confessarii possunt dispensare sæculares in omni irregularitate in qua possunt Episcopi cum suis subditis, ex concessione Sixti IV.[6]

118. *Ex apostasia a fide, vel hæresi externa*, licet occulta, irregularitas contrahitur:[7] quæ etiam ad filios et nepotes extenditur. Attamen in Galliis, et Germania, hæretici ad fidem conversi, et eorum filii ad Ordines ascendunt, absque speciali dispensatione.

119. *Gravia crimina* quæ palam innotuerunt, qualia sunt simonia, læsa majestas, adulterium, incestus, sodomia, concubinatus, perjurium in judicio, maleficium, raptus mulieris, et duellum infamiam secum trahunt: non autem quæ occulta sunt.[8]

120. *Mortalis culpa requiritur*, et opus exterius consummatum, ut irregularitas ex delicto contrahatur: nec enim pœna adeo gravi culpa minor, vel opere non perfecta plecti debet.

121. *Quandocumque dubitatur* utrum irregularitas in quodam casu, jure statuta sit, benigniorem sententiam sequi licet: quod plures dicunt etiam de facto, quando quis dubitat utrum actum fecerit cui pœna illa certo adnexa est. Cæterum si homicidium patratum sit, quod clericus utrum sua culpa contigerit dubitat, debet a Sacro celebrando se abstinere, et petere dispensationem, quum ita in jure statutum sit, ne manus cæde forsan inquinatæ, cum fidelium gravi offensione, victimam sanctam offerant; in re quippe tanti momenti « semitam debemus eligere tutiorem. »[9]

122. Episcopus potest cum suis subditis, non autem cum alienigenis, etiamsi quasi domicilium in sua diœcesi habeant,[10] dispensare in omni irregularitate et suspensione proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, excepta quæ oritur ex homicidio voluntario.[11] Item dispensare valet cum spurio ad Ordines minores et beneficium simplex, quod non exigat Ordinem sacrum.[12] Item dispensât in bigamia similitudinaria.[13] In cæteris Pontificis auctoritas desideratur, qui Præsulibus nostratibus solet tribuere facultatem dispensandi a quibuscumque irregularitatibus, exceptis iis quæ proveniunt ex bigamia vera, et homicidio voluntario. Cæterum a peccatis irregularitatem adnexam habentibus quilibet confessarius potest dispensare, sed

(1) C. ix. *de homicid.*
(2) C. xii. *eod. tit.*
(3) C. iv. *de raptor.* et cap. ult. *de homicid.*
(4) C. Si quis, *dist.* 50.
(5) Trid. Conc. Sess. xxiv. *de Ref.* c. vi.
(6) Bulla ix.
(7) Cap. ii. *de hæret.* in 6. et cap. *Saluberrimum*, i. qu. vii.
(8) Cap. iv. et ult. *et temp. ordin.*
(9) Cap. xii. de *homicid.*
(10) Ex decl. Greg. XIII.
(11) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. vi
(12) C. i. et ii. de fil. Presbyt.
(13) S. Alph. l. vii. n. 452.

eam tollere nequit nisi ex speciali concessione; quæ non habetur, etiam amplissima data absolvendi a censuris facultate. Potest tamen, Episcopus, sacerdotibus facultatem delegare dispensandi in irregularitatibus occultis, quia ita consuetudo interpretatur Decretum Tridentinum. In hisce provinciis Episcopi facultatibus sibi ab Apostolica Sede tributis usi, concedunt Missionariis potestatem dispensandi ad effectum exercitii Ordinum jam susceptorum in omnibus irregularitatibus quæ proveniunt ex delicto, exceptis quæ procedunt ex bigamia vera, vel homicidio voluntario.

Hæc de censuris, aliisque ligaminibus hujusmodi sufficiant. Jam vero claudimus hanc novam nostri operis editionem, eam ex animo Summi Pontificis judicio subjicientes. Det nobis Deus erratorum veniam, et animi omni labe expiata per sanguinem Christi aditum ad Beatorum sedes invenire.




PATRUM TESTIMONIORUM

QUÆ IN HOC OPERE CITANTUR

INDEX.

Littera Romana indicat tractatum, arabica numerum.



INDEX MATERIARUM.



A

B

C

D

F

G

H

I

J

L

N

O

P

R

S

T

U

FINIS VOL. II.




STACKS r BX1758.K4 1860x vol. 2
Kenrick, Francis Patrick,
Theologia moralis
3 5282 00175 5456